UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

urn:nbn:de:hbz:466:1-66112

Visual Library

Th. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS XII.
AB ANNO CHRISTI 859. USQUE AD ANNUM 887.

Collegii Aderani So. . . cid. Jesu 1762.



INVIDIA FRUSTRA CONTRA NITENTE.

Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. HERVONE PARODE
CIO. SCHEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS XII.



PRÆFATIO.

In ista, quæ se tuis oculis offert, Historiæ Ecclesiasticæ Periodo, amice Lector, utramque pene paginam faciunt, tum S. Viri Ignatii Constantinopolitani & Photii veteratoris schisma, tum Concilia duo, nempe Oecumenicum VIII. in quo Ecclesia Constantinopolitana, damnato Photio, Sacræ Sedi reconciliata est, & alterum Pseudo-octavum, in quo fraudulenti Græculi Bonæ Fidei Romanorum illuserunt.

Nihilominus Guilielmum Caveum in Sæc. Phot. pag. 84. scribere non puduit: *Obtortis oculis hanc Synodum intuentur,*

mille conviciis proſcindunt, mille ſpiculis configunt Scriptores pontificii. Teſtis ſit vel unus Leo Allatius, qui peculiari opere, quod Synodum Photianam inſcripſit, edito Romæ 1662. 8vo. hanc Synodum refutare aggreſſus eſt, quique non modo Acta ejus corrupta & falſata, ſed & ipſam Synodum nullam fuiſſe, neque alibi uspiam niſi in Photii cerebello extitiſſe diſerte contendit, futilibus quidem argumentis viro ingenuo & erudito parum dignis.

Non equidem totam Synodum illam a Photio confictam Pontificii dicunt; verumtamen viro ingenuo & erudito omnino indignum eſt, quod Caveus facit, cum ubique Photii in Adverſarios ſuos crudelitatem, ambitionem, inſolentiam, fraudes, mendacia, calumnias adverſus Romanos ſparſas, depravatas Pontificis literas, commentitia teſtimonia, quin integra Conciliabula, & tandem in doctrina de Proceſſione Spiritus Sancti Hæreſim, quæ omnia ex Scriptoribus aliis explorata habemus, perfide diſſimulat. Sed ad refutandum Caveum audiamus Scriptorem Catholicum

cum

cum de Photii indole & gestis differentem. Natal. Alex. Tom. XII. pag. 230. Edit. Paris. *Photius de his, quæ in Synodo Romana contra ipsum decreta fuerant, certior factus, actusque in rabiem, quod plebs fidelis turmatim ab ejus communione discederet, diram persecutionem in Catholicos Ignatianæ & Romanæ Communionis excitavit. Quin etiam eo prorupit audaciæ, ut congregato Conciliabulo, cujus se Michael Imperator Præsidem gessit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios ac Legatos Orientalium Patriarcharum mentiti sunt, accusatoribus testibusque pecunia redemptis conficta crimina Sanctissimo Papæ Nicolao impegerit, eumque anathemate, proh scelus! damnaverit.* Et infra: *Id nempe adhibitos dolos testatur Anastasius Bibliothecarius in præfat. VIII. Synodi. Aliud de Photio idem Auctor commemorat (quod cum ad ejus ingenium & indolem dignoscendam non parum conferat minime a nobis omittendum est) Illum scilicet ante annos aliquot docuisse palam, duas unicuique homini inesse animas. Quem ob errorem cum a Constantino Philosopho reprehenderetur, se absurdam opi-*

nionem docuisse respondit, non eo animo ut quemquam in errorem abduceret, sed ut exploraret, quomodo se gesturus esset Ignatius, si ejus temporibus Hæresis aliqua, Syllogismis Philosophorum obstetricantibus, in lucem emergeret. Tum iterum pag. 28. de Synodo pseudo-octava. *Cum Oratoribus Imperatoris Basilii Joannes VIII. Pontifex maximus novum Legatum Constantinopolim direxit Petrum, Tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, qui duobus aliis Legatis Paulo & Eugenio jam in Oriente degentibus adjunctus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum secundum mandata Sedis Apostolicæ, in Commonitorio contenta, quod ex Synodi sententia ipsi datum est, componeret. Petrus in Regiam urbem* (Constantinopolim) *Mense Nov. anni octingentesimi septuagesimi noni pervenit. Photio Summi Pontificis Epistolas & Commonitorium imprudentes & ignavi Legati tradidere, ut postulabat, specie quidem eas vertendi in linguam Græcam, ut in Synodo mox celebranda significarentur Orientalibus Episcopis, revera autem ut eas pro arbitrio truncaret, immutaret, interpolaret. Id ausus est nebulo ad frau-*

fraudem omnem compositus. Quæ ab eo deleta sint, quæ addita, quæ immutata, facile perspicies, si ipsas contuleris prout in Joannis VIII. Regesto servatæ sunt, & prout leguntur in Photiana Synodo, quod egregie præstitit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 879. Delevit inter alia perditus impostor conditionem harum tenore literarum sibi impositam, de venia coram Synodo deprecanda: addidit improbationem ac rescissionem octavæ Synodi ante decem annos Constantinopoli contra ipsum celebratæ, & omnium quæ a Summis Pontificibus Nicolao I. & Hadriano II. in illum gesta erant. Hac adornata fraude, Synodum habuit &c.

Jam quid de Cavei fide sentiendum, Lectoris judicium esto.

Excipe hanc quoque Partem benevolo oculo animoque, Erudite Lector, e præclaro Scriptore translatam; ex nullo enim alio purius facta omnia ad Historiam integram Ecclesiasticam spectantia hauries. Quippe Fleurius ex Epistolis Veterum maxime, aut Actis publicis excerpsit, quæ scripsit. Historia vero hac me-

thodo tradita majore præ ceteris certitudine gaudet; quia Scriptor, qui res sive præteritas, sive etiam sua ætate gestas, ut eas narrari audivit, aut in aliis auctoribus legit, suis verbis refert, facile vel partium studio ductus fallit, vel ignorantia fallitur. Quoties enim fit, res, quæ nostra ætate & in regionibus non procul remotis accidunt, nostram tamen notitiam ex parte fugere? Econtra qui Veteres in propriis ipsorum Epistolis aut Actis publicis loquentes inducit, nec ipse facile fallere potest, nec ullus suspicandi locus est, eos qui Epistolas scripserunt, quidquam contra mentem, vel aliud quam quod verum esse ipsi sciebant, scribere voluisse vel potuisse.

Dudum observaverit Lector attentus, annum in suprema parte cujuslibet paginæ non ideo poni, ut indicetur, omnia quæ referuntur in eodem fuisse acta, sed potius ut memoria Lectoris figatur, & ipse, si lubeat, amplius inquirere possit. Injuriam autem Fleurio inferunt Adversarii, qui dicunt, ipsi postremam aut nullam Chronologiæ curam fuisse; etenim distinguere oportet inter Chronolo-

nologiam certam & dubiam. Nam ubi certa est, vel certam esse argumentis probabilibus putat, eam nunquam negligit. Ubi incerta est, de illo circiter anno, vel tempore, quo factum contigisse verisimile est, tamen mentionem facit; sed scrupulosam & contentiosam disceptationem tunc maxime aversatur, quando notitia, an istud hoc vel alio anno contigerit, nec ad cognitionem clariorem Doctrinæ vel Disciplinæ Ecclesiasticæ, nec ad emendationem morum quidquam confert. Ceterum discretus Lector sive meos, sive Typographi (nam jurgando nihil proficio) errores, qualis ille est, quod Tomo X. pag. 594. Leo III. legatur Sacram Sedem tenuisse annis *viginti quinque*, pro annis *viginti & uno*, æquo animo ferre rogatur, & meminisse illius, quod Horatius cecinit:

Verum opere in longo fas est subrepere somnum.

CONSPECTUS
TOMI DUODECIMI.

LIBER L.

§. 1. *Bardas Conſtantinopoli literarum Cultor.* *Pag.* 1
§. 2. *Sanctus Ignatius pulſus.* 5
§. 3. *Photius Patriarcha.* 7
§. 4. *Photius Romam mittit.* 13
§. 5. *Synodus Confluentina.* 16
§. 6. *Lotharius Theutbergam dimittit.* 18
§. 7. *S. Ado Viennenſis.* 25
§. 8. *Concilium Tuſiacenſe.* 27
§. 9. *Cauſa Stephani & Regimundi.* 29
§. 10. *Cauſa Ingeltrudis.* 32
§. 11. *Papa Legatos Conſtantinopolim mittit.* 35
§. 12. *Concilium Anti-Ignatianum.* 39
§. 13. *Hujus Concilii Canones.* 46
§. 14. *Ignatius perſecutionem patitur.* 48
§. 15. *Epiſtola Photii ad Papam.* 52
§. 16. *Papa Legatorum ſuorum facta damnat.* 62
§. 17. *Joannes Archiepiſcopus Ravennas ad Officium compellitur.* 63
§. 18. *Epiſtolæ Papæ ad Michaelem & ad Photium.* 67
§. 19. *Photii aſtutia.* 70
§. 20. *Concilium Piſtenſe.* 73
§. 21. *Rotadi Sueſſionenſis Cauſa.* 75
§. 22. *Hincmari Tractatus de Lotharii divortio.* 79
§. 23. *Lotharius Waldradam ducit.* 87

§. 24.

§. 24. *Conventus Sabularienſis.* 90
§. 25. *Pontifex Legatos in Franciam mittit.* 92
§. 26. *Papa Photium condemnat.* 95
§. 27. *Quæ in cauſa Rotadi acta ſint.* 99
§. 28. *Concilium Metenſe Lothario favens.* 106
§. 29. *Hilduinus Cameraci intruſus.* 109
§. 30. *Concilium Vermerienſe.* 111
§. 31. *Pipini junioris pœnitentia.* 112
§. 32. *Pontifex Concilium Metenſe damnat.* 113
§. 33. *Guntharius Summo Pontifici refractarius.* 116
§. 34. *Adventius ad Officium redit.* 122
§. 35. *Rodoaldus Romæ condemnatur.* 126
§. 36. *Rotadus Romæ abſolvitur.* 127
§. 37. *Epiſtola Papæ in Franciam miſſa.* 133
§. 38. *S. Anſcharii obitus.* 140
§. 39. *S. Rembertus Archiepiſcopus Bremenſis.* 145
§. 40. *Arſenius Legatus in Francia.* 148
§. 41. *Epiſtola Papæ ad Michaelem Imperatorem.* 152
§. 42. *Bardas e vivis abit.* 161
§. 43. *Papa Waldradam excommunicat.* 166
§. 44. *Epiſtola Papæ in cauſa Wulfadi.* 168
§. 45. *Egilo Archiepiſcopus Senonenſis.* 172
§. 46. *Concilium Sueſſionenſe tertium.* 174
§. 47. *Egilo Romam mittitur.* 180
§. 48. *Gotteſchalci exitus.* 183
§. 49. *Converſio Bulgarorum.* 187
§. 50. *Reſponſa ad Conſulta Bulgarorum.* 192
§. 51. *Reſponſa ad Bulgaros.* 198
§. 52. *Epiſtola Papæ Conſtantinopolim data.* 204
§. 53. *Legati Pontificii in Bulgaria.* 209
§. 54. *Conſtantinus & Methodius Sclavorum Apoſtoli.* 211
§. 55. *Photius Papam deponit.* 213
§. 56. *Epiſtola Photii contra Latinos.* 217
§. 57. *Epiſtola Papæ in cauſa Wulfadi.* 223
§. 58. *Epiſtola ad Regem Salomonem.* 225
§. 59. *Literæ in Cauſa Reginæ Theutbergæ.* 227

LIBER

LIBER LI.

§. 1. *Michaelis fata. Basilius Imperator.* 235
§. 2. *Ignatius Constantinopoli restituitur.* 237
§. 3. *Ecclesiæ Orientales.* 241
§. 4. *S. Nicolaus Studita.* 245
§. 5. *Concilium Trecense.* 248
§. 6. *Rescriptum Papæ ad ea, quæ Græci objiciebant.* 252
§. 7. *Epistolæ in Causa Lotharii.* 258
§. 8. *Nicolai Papæ obitus.* 261
§. 9. *Hadrianus II. Papa.* 265
§. 10. *Hadrianus Papa objecta sibi diluit.* 271
§. 11. *Papa Lothario licentiam veniendi Romam tribuit.* 276
§. 12. *Literæ Pontificis Attardo faventes.* 282
§. 13. *Translatio S. Mauri.* 285
§. 14. *Tractatus Æneæ Parisiensis contra Græcos.* 289
§. 15. *Ratrami Tractatus de Processione Spiritus Sancti.* 295
§. 16. *Articuli ad Disciplinam pertinentes.* 300
§. 17. *Concilium Wormatiense.* 306
§. 18. *Epistolæ Basilii & Ignatii ad Papam datæ.* 307
§. 19. *Concilium Romanum.* 312
§. 20. *Anastasius Bibliothecarius excommunicatur.* 317
§. 21. *S. Cyrillus & S. Methodius Romæ.* 320
§. 22. *Initia causæ Hincmari Laudunensis.* 321
§. 23. *Lotharius in Italia.* 325
§. 24. *Lotharius moritur.* 329
§. 25. *Carolus Rex Lotharingiæ coronatur.* 332
§. 26. *Legati Pontificii Constantinopoli.* 337
§. 27. *Concilium Oecumenicum VIII. Sessio prima.* 342
§. 28. *Sessionis primæ continuatio.* 348
§. 29. *Sessio secunda. Pœnitentes recipiuntur.* 335
§. 30. *Sessio tertia. Contumaces citantur.* 361
§. 31. *Sessio IV. An Papa cum Legatis Photii excommunicaverit.* 362
§. 32. *Photius a Patriarchis rejicitur.* 369

§. 33.

§. 33. *Sessio V. Photius in Concilio.* 371
§. 34. *Sessio sexta. Imperator in Concilio.* 379
§. 35. *Objecta Photio faventia.* 383
§. 36. *Responsa ad ea, quæ Photius objiciebat.* 387
§. 37. *Photius & Gregorius in Concilio. Sessio septima.* 393
§. 38. *Alii Schismatici coram Concilio.* 394
§. 39. *Sessio VIII. Libelli combusti.* 399
§. 40. *Iconoclastæ.* 403
§. 41. *Sessio IX. Legatus Alexandrinus.* 407
§. 42. *Falsi testes contra Ignatium.* 411
§. 43. *Sanctæ Cæremoniæ ludibrio habitæ.* 417
§. 44. *Quæstio de falsis Legatis ex Oriente.* 419
§. 45. *Sessio decima. Canones.* 423
§. 46. *Concilii finis* 428
§. 47. *Libelli surrepti & redditi.* 435
§. 48. *Colloquium de Bulgaris.* 437
§. 49. *Legatorum Romanorum reditus.* 444
§. 50. *Versio Concilii Anastasio Auctore.* 445
§. 51. *Photii Epistolæ adversus Concilium.* 447
§. 52. *Theodorus Abucara.* 451
§. 53. *Normanni in Anglia.* 461
§. 54. *Monasterii Crulandensis eversio.* 463
§. 55. *S. Neotus.* 466

LIBER LII.

§. 1. *Epistolæ Hadriani ad Carolum Regem.* 469
§. 2. *Archiepiscopi Trevirensis & Colonienſis.* 472
§. 3. *Carlomannus Attiniaci condemnatur.* 475
§. 4. *Hincmarus Laudunensis submittitur.* 476
§. 5. *Prærogativæ Archiepiscoporum.* 481
§. 6. *Synodus septima in Francia non multum nota.* 483
§. 7. *Hadriani II. Legati in Francia.* 484
§. 8. *Hincmari vehemens Epistola.* 486
§. 9. *Carlomannus excommunicatur.* 494
§. 10. *Concilium Duziacense.* 496
§. 11. *Querelæ Hincmari Remensis.* 499

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 12. *Acta in Concilio Duziacensi.* 505
§. 13. *Responsum Hincmari Laudunensis.* 507
§. 14. *Hincmarus Laudunensis damnatur.* 513
§. 15. *Actardi Nannetensis Translatio.* 515
§. 16. *Epistolæ Constantinopoli ad Papam datæ.* 518
§. 17. *Bulgari Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjiciuntur.* 523
§. 18. *Historia Manichæorum Petri Siculi.* 524
§. 19. *Russi convertuntur.* 529
§. 20. *Photius querulans.* 531
§. 21. *Literæ Papæ in Franciam missæ.* 535
§. 22. *Regis Caroli Epistola ad Papam data.* 538
§. 23. *Mollius Responsum Papæ.* 542
§. 24. *S. Athanasius Episcopus Neapolitanus.* 544
§. 25. *Hadriani II. obitus. Joannes VIII. Papa.* 548
§. 26. *Carlomannus oculis privatur.* 550
§. 27. *Concilium Duziacense secundum. Duda Femina Religiosa.* 551
§. 28. *Hincmari Statuta Synodica.* 555
§. 29. *Concilium Ravennatense.* 558
§. 30. *Ludovici II. obitus. Carolus Calvus Imperator.* 559
§. 31. *Formosus damnatur.* 562
§. 32. *Concilium Pontigonense.* 566
§. 33. *Archiepiscopi Senonensis Primatus.* 569
§. 34. *Acta in Concilio Pontigonensi.* 572
§. 35. *Articuli rejecti.* 578
§. 36. *De Appellatione ad Sedem Romanam.* 582
§. 37. *Absolutio per Epistolam.* 584
§. 38. *Ludovici Germanici obitus.* 586
§. 39. *Translatio Frotarii ad Ecclesiam Bituricensem.* 589
§. 40. *Papa auxilium ab Imperatore poscit.* 590
§. 41. *Concilium Romanum.* 593
§. 42. *Saraceni ad portas Urbis.* 597
§. 43. *Concilium Ravennatense.* 601
§. 44. *Caroli Calvi obitus. Ludovicus Balbus Rex.* 603

§. 45. *Bernoldi Visio.* 607
§. 46. *Capitulare Hincmari.* 611
§. 47. *Res Italiæ.* 613
§. 48. *Paulus & Eugenius Constantinopolim mittuntur.* 616
§. 49. *Multa a Lamberto Romæ vi peraguntur.* 618
§. 50. *Joannes Papa in Francia.* 622
§. 51. *Concilium Trecense.* 625
§. 52. *Libellus Hincmari Laudunensis.* 629
§. 53. *Acta in Concilio Trecensi.* 631
§. 54. *Ludovicus Rex coronatur.* 634
§. 55. *Concilii Trecensis finis.* 639

LIBER LIII.

§. 1. *Photius revocatur.* 645
§. 2. *S. Ignatii obitus.* 649
§. 3. *Photius restituitur.* 651
§. 4. *Photius Apocrisiarium Romam mittit.* 655
§. 5. *Concilium Romanum.* 657
§. 6. *Pontificis Literæ ad Sclavos.* 658
§. 7. *Papæ Epistolæ Constantinopolim datæ.* 660
§. 8. *Mandata Legatis data.* 666
§. 9. *Concilium Romanum alterum.* 669
§. 10. *Boso Rex coronatur.* 672
§. 11. *Res Italiæ.* 674
§. 12. *Concilium Constantinopolitanum, falso octavum dictum.* 677
§. 13. *Sessio secunda, Epistolæ Papæ corruptæ.* 683
§. 14. *Apologia Photii.* 688
§. 15. *Epistolæ Orientalium.* 691
§. 16. *Sessio tertia.* 695
§. 17. *Sessio IV.* 701
§. 18. *Articuli Reconciliationis.* 703
§. 19. *Sessio quinta.* 707
§. 20. *Canones.* 711
§. 21. *Subscribitur.* 715
§. 22. *Sessio sexta Imperatore præsente.* 717
§. 23. *Sessio septima & ultima.* 720

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 24. *Epistola Papæ, de voce,* Filioque. 721
§. 25. *Res Orientis.* 724
§. 26. *S. Methodii Sclavorum Apostoli obitus.* 729
§. 27. *Literæ Papæ Constantinopolim datæ.* 733
§. 28. *Carolus Crassus Imperator.* 735
§. 29. *Athanasius Neapolitanus excommunicatur.* 737
§. 30. *Concilium ad S. Macram.* 739
§. 31. *Hincmari Epistolæ pro libertate Electionis.* 742
§. 32. *Odacer excommunicatur.* 747
§. 33. *Forma in Electione Episcoporum servanda.* 748
§. 34. *Examen Episcopi electi.* 755
§. 35. *Forma Consecrationis.* 761
§. 36. *Res Italiæ.* 767
§. 37. *Joannis VIII. obitus. Marinus Papa.* 770
§. 38. *Hincmari Documenta Regi Carlomanno data.* 773
§. 39. *Hincmari obitus.* 776
§. 40. *Normanni grassantur.* 778
§. 41. *Fulco Archiepiscopus Remensis.* 780
§. 42. *Capitulare Carlomanni.* 781
§. 43. *Alfredus Magnus Rex Angliæ.* 782
§. 44. *Leges ab Alfredo editæ.* 787
§. 45. *Marini obitus. Hadrianus III. Papa.* 789
§. 46. *Epistola Photii contra Latinos.* 790
§. 47. *Saraceni in Italia grassantes.* 792
§. 48. *Hadriani III. obitus. Stephanus VI. Papa.* 795
§. 49. *Epistola ad Basilium Imperatorem data.* 799
§. 50. *Basilii Imperatoris obitus.* 802
§. 51. *Leo Philosophus Photium ejicit.* 807
§. 52. *Epistola Styliani ad Pontificem.* 810
§. 53 *Epistola Fulconis ad Papam.* 814
§. 54. *Normanni ad Portas Parisiorum.* 816
§. 55. *Concilia Cabilonense & Colonienſe.* 822
§. 56. *Translatio secunda S. Martini.* 823

HISTO-

LATROCINIA NORMANNORUM.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER L.

NICOLAUS I. PAPA.
LUDOVICUS II. IMPERATOR OCC.
MICHAEL III. IMP. ORIENT.

§. I.

Bardas Conſtantinopoli Litterarum Cultor.

Dum hæc in Occidente geruntur, Bardas Cæſar, Michaelis Imperatoris Avunculus ſub Princi- Sæculum IX. A. C. 859.

pe *Poſt Theoph. lib. IV. n. 26.*

Sæculum IX. A. C. 859.

pe juvene voluptatibus immerso negotia publica administrans profanæ sapientiæ curam susceperit, cum jam diu humaniores literæ Imperatorum barbarie ac insscitia obsoleviſſent, ac prope extinctæ eſſent. In Palatio ad Magnauram (*) ſcholas Mathematicas & Philoſophicas conſtituit Magiſtro Leone cognomento Philoſopho. Is ſanguinis proſapia Jannis, id eſt, Joannis Leconomantæ, Patriarchæ, Patruelis olim Archiepiſcopus Theſſalonicenſis fuerat. Sed hujus viri fortuna altius repetenda.

Cedren. to. 2. p. 547.

n. 29. Leo Grammaticæ & Poeticæ Conſtantinopoli ſtuduit, Rhetoricam, Philoſophiam, Arithmeticam in *Antro* Inſula didicit. His vero initiis non contentus, ut majorem ſcientiam ſibi compararet, in terram firmam reverſus Monaſteria luſtravit; unde acceptis libris petens excelſa montium totum ſe lectioni dedit.

n. 27. Cum igitur Philoſophia & diſciplinis mathematicis, videlicet, Arithmetica, Geometria, & Muſica vir eſſet ſua ætate omnium doctiſſimus, Conſtantinopolim reverſus, ſolus & ab hominum frequentia remotus degebat in exigua domo, quoscunque ad ſe venientes recipiens, & quam ſcientiam diſcere vellent docens.

Inter

(*) Palatium a Conſtantino Magno conditum.

Sæculum IX. A. C. 859.

Inter alios complures, qui ipso Magistro profecerunt, quidam juvenis Geometriæ doctissimus, cujusdam Tribuni epistolis præfectus est. Dominum suum deinde in bellum proficiscentem secutus, a Musulmannis captus & viro potentissimo traditus. Califa vero Almamon, qui tunc rerum potiebatur, scientiarum, quas veteres Græci excoluerant, præcipue Mathematicæ studiosissimus erat; cumque juvenis captivus in domo Magistri sui versatus comperisset, Califam Geometriæ esse amantissimum, dixit, cupere se, ipsum Califam & Magistros ejus de hac arte differentes audire, quod hac disciplina se mediocriter saltem tinctum putaret. Ergo a Califa in Regiam vocatus, præsentibus Mathematicis, ostendit, neminem illorum quidquam amplius scire, quam generales definitiones & axiomata, sed demonstrationes ignorare. Omnibus stupentibus aliqui ex eo interrogarunt, an putaret quosdam alios Constantinopoli existere, qui de palma cum ipso decertare auderent. Ille respondit, se in his scientiis esse discipulum. Tum, quem Magistrum haberet, ejusque paupertatem & solitudinis amorem aperuit. *Sup. lib. XLVII. §. 41.*

Almamon illico captivum remisit cum epistola ad Leonem Philosophum data, qua eum humanissime ad Regiam

Sæculum IX. A. C. 859.

ſuam invitabat, promittens honores & divitias. At Leo veritus, ne ſuſpectus eſſe mereretur, ſi a quoquam fuiſſet vulgatum, quod ab Imperii hoſte epiſtolam accepiſſet, eam tradidit Theoctiſto Logothetæ, qui rem ad Imperatorem detulit. Regnabat tunc Theophilus, qui cognita Leonis peritia, accerſitum opibus auxit, atque ædes prope Eccleſiam quadraginta Martyrum conceſſit, ubi publice doceret. Califa Almamon, cum eum ad relinquendam patriam permovere non potuiſſet, per litteras propoſitis quæſtionibus Geometricis & Aſtronomicis conſuluit, & acceptis reſponſis usque adeo delectatus eſt, ut datis ad Imperatorem Theophilum litteris rogaret, hunc virum ad breve tempus ſibi mitti, in vicem tantilli obſequii promittens pacem perpetuam, ſeque *centenarium* id eſt decem millia librarum auri daturum. Noluit Theophilus conditionem recipere; ſed Leonem Archiepiſcopum Theſſalonicenſem a Patriarcha Leconomanta ordinari juſſit.

Cang. Gloſſ. Gr. centen.

Leo gregis ſui amorem ſibi conciliavit, præſertim magnæ calamitatis tempore, cum frumenti inopia ad famem ventum eſſet: quo malo incolæ Epiſcopi ſui ſolertia liberatos ſe putarunt, quod eis tempus indicaſſet, quo ſemen terræ eſſet committendum. Id enim ipſe ex aſtro-

n. 28.

aſtrorum inter ſe habitu cognoſcere di- Sæculum IX.
cebat. Cum annis tribus Sedem Theſ- A. C. 859.
ſalonicenſem tenuiſſet, cum ceteris Ico- n. 29.
noclaſtis depoſitus, rediit Conſtantino- *Cedr. p.* 548.
polim, ubi eum Bardas Scholæ Philoſo-
phicæ in Palatio ad Magnauram præfe-
cit. Theodorus ipſius Diſcipulus Geo-
metriam, Theodegus Aſtronomiam, &
Cometas Grammaticam docebant. Ipſe
Bardas Jurisprudentiæ operam dabat, & n. 30.
aſſidue in Hippodromo jus dicentibus
aderat, ſi quæ ſententia eſſet pronun-
cianda.

§. II.

S. Ignatius pulſus.

Attamen ſcientiarum amori Bardæ vita *Nicet. vit.*
nimium quantum repugnabat; præ *Ign. to.* 8.
terquam enim quod nullum poneret am- *Con. p.* 1191.
bitioni modum, eo usque indulgebat li-
bidini, ut ejecta legitima uxore publice
nurum ſuam domi aleret. (*) Ignatius
Patriarcha infame ſcandalum non ferens,
monet, hortaturque Cæſarem, ut animæ
ſuæ miſertus fœdum & enorme ſcelus
expiaret. Verum ſpreta S. Viri admo-
nitione Bardas ipſo Epiphaniæ die feſto,
ſexto Januarii, anno octingenteſimo
quinquageſimo octavo (**) in ædem Sa-

(*) Præclara ſane funeſti Schiſmatis exordia!

(**) Hic P. Pagi dicit: *Depoſitio S. Ignatii a Patriar-*

Sæculum IX. A. C. 859.

cram Evchariſtiæ Myſteria percepturus progreditur; eum vero Patriarcha a Sacris arcet. Minatur Bardas furore ardens, gladio ſe confoſſurum detrectantem, Ignatius econtra iram Dei & vindictam inceſtum timere jubet. Inde Bardas omnem contra Patriarcham movit lapidem, ut eum apud Imperatorem criminaretur, & tandem vigeſimo tertio Novembris e Palatio Patriarchali pulſum, in Inſulam Terebinthum ejecit.

p. 1193.

Necdum triduum a Patriarchæ diſceſſu fluxerat, cum adſunt, qui putabantur inter Epiſcopos præcipui, libellum abdicationis ob illorum temporum iniquitatem ab eo petentes; cum tamen illi ipſi Epiſcopi ſcripto & edito juramento invocata Sancta Trinitate promiſiſſent, nunquam ſe Ignatium Patriarcham depoſituros, niſi ſententia canonica præceſſiſſet. Inde etiam re infecta tunc reverſi ſunt. Intra paucos autem dies Patricii Judicumque clariſſimi cum iisdem Epiſcopis ad eum egreſſi omnes machinas, pollicitationes comminationesque admovent, quo Ignatium ad dandum abdicationis chirographum compellerent.

Sed

Patriarchatu Conſtantinopolitano, quam Baronius & omnes alii cum anno 858. *conjungunt, contigit anno ſuperiori, cum paulo antea Imperator Theodoram matrem Aula abire juſſiſſet.*

Sed nec secundo ariete flecti potuit. Interea complures Episcopi querebantur, maximam Patriarchæ inferri injuriam, & minabantur, non recepturos se alium Patriarcham, quem ei Successorem dare non nulli meditarentur, unde Schisma certissime esset oriturum. Hoc ut devitaret Bardas, singulis secreto collocutus unicuique eorum Patriarchalis dignitatis fastigium pollicitus est, si ab Ignatio deficeret. Omnibus hac conditione consentientibus dixit Bardas, Imperatorem, quod promisisset, impleturum, monuit vero, ut ab Imperatore ipsis Sedem Constantinopolitanam oblaturo accersiti saltem in modestiæ speciem tantum honorem recusarent. Episcopis id quoque se facturos annuentibus, cum Imperator singulis ad se vocatis Dignitatem Patriarchæ offerret, & illi se eam recusare simularent, respondit, nolle se invitos compellere. Unde nihil illis profuit indigna Episcopis vecordia.

Sæculum IX. A. C. 859.

§. III.

Photius Patriarcha.

Porro, Aula Constantinopolitana judice, dignitate Patriarchali Photio Evnucho nemo dignior fuit. Is vir erat nobilitate insignis, Tarasii quondam Patriarchæ pronepos, filius Irenis sororis Arsaberi Patricii & officiorum Magistri, qui

Nicet. pag. 1198. Post Theoph. n. 22.

Sæculum IX. A. C. 859. qui duxerat Calomariam, Imperatricis Theodoræ & Bardæ Cæsaris sororem. Natales inclytos superabat ingenium, quod excellens a natura acceptum magna cura excoluerat. Cum opibus abundaret, libris, quoscunque vellet, comparatis totas noctes legendo consumebat, ut animum gloriæ cupidum satiaret. Unde, non sui modo sæculi, sed etiam præcedentium doctissimus, Grammaticam, Poeticam, Rhetoricam, Philosophiam, Medicinam, omnes scientias profanas didicerat; nec tamen Ecclesiasticæ extra curam fuerant, & postquam Dignitate auctus fuit, iis quoque impensius studuit. Simplex vero Laicus erat, & in aula Protospatharius Imperatori primus a Secretis inserviebat. Ceterum Schismaticus & Gregorii Asbestæ Episcopi Syracusani in Sicilia, ob magna scelera depositi, factioni addictus.

Nicet. pag. 1199.

Jam illo tempore, quo S. Ignatius ad Sedem Constantinopolitanam evectus est, cum bene noviſſet, qualis esset Gregorius, noluit eum suæ Ordinationi interesse, nec cum eo communicare, donec, cum vacaret, ejus causam discuteret. Non omnibus probabatur hic rigor; Gregorium vero eo usque ad iracundiam incitavit, ut ceras (*), quas ad Cæremonias ordi-

Sup. lib. XLVII. §. 38.

(*) Nempe ceras, in quibus ordinatio Ignatii

ordinationis paratus tenebat, projiceret, & publice convicia ingereret, dicens, lupum hunc esse non pastorem, qui Ecclesiam intraret. Petrus Episcopus Sardensis, Eulampius Apamiensis, & non nulli ex Clericis Constantinopolitanis, Gregorii factionem sectati schisma moverunt contra Ignatium, qui per undecim Pontificatus sui annos nec verbis nec beneficiis Gregorii animum delinire potuit. Sæculum IX. A.C. 859.

Gregorius in omnium Optimatum domos penetrans Ignatii famæ detrahebat, quem ne quidem Christianum esse affirmabat, eumque præcipue magni faciebant Photius & ipsius propinqui, a quibus magnus Dei amicus habebatur. Tandem Ignatius coacto Concilio, quod post annum 854. celebratum dici non potest, Gregorium ab Episcopatu deposuit. Ille, ipsiusque Sectatores Romam mittunt, qui ad Leonem IV. Papam suas querelas (*) deferrent; scripsitque Papa Igna-

Gregorius Syracusanus. *Nicol. ep.* 9. *p.* 238. *Stylliani ep. to.* 8. *Conc. p.* 1400.

tii scripta erat, ut sonant verba Nicetæ hæc narrantis. Hinc minus accurate Fleurius habet cereos, les cierges.

(*) Exemplum Appellationis clarissimum, quo adversus Protestantes probatur, Sedem Constantinopolitanam Pontifici Romano tanquam totius Ecclesiæ Capiti fuisse subjectum. Ceterum Natalis Alexander in sua Dissertatione IV. ad Sæc. IX. hæc habet: *Orientalis Imperii pars adhuc erat Sicilia,*

Sæculum IX. A. C. 859.

Ignatio rogans, ut quemquam mitteret, qui sibi hanc causam exponeret. Misit Ignatius Lazarum Monachum in persecutione Iconoclastarum Confessorem, in causa Gregorii instructissimum. Nihilominus Leo condemnare eum distulit, sicut etiam postea Benedictus III. ejus Successor, quamvis ipso quoque sedente Gregorius Mandatarios Romam misisset. Id vero non ideo factum, quod Benedictus Papa Gregorium non plene convictum haberet; sed satis ipsi visum, eum pronunciare suspensum. Nec unquam Romæ Judicium definiens contra ipsum editum est. Talis erat Gregorius Asbestas.

Nic. ep. 12. *p.* 375.

Nic. ep. 10. *p.* 359.

ep. 11. *p.* 391.

Cum Photius ad occupandam Sedem Constantinopolitanam non ab Episcopis Canonice electus, sed solius Bardæ auctoritate evectus fuisset, primum Episcopi omnes, eo rejecto, tres alios communi consensu elegerunt, (*) & complures dies

Metroph. ep. to. 8. *Conc. p.* 1385.

cilia, & Constantinopolitano Patriarchæ parebant illius Provinciæ Ecclesiæ, ex quo illas cum omni Diœcesi Illyriciana Leo Isauricus a Ditione Patriarchica Romani Pontificis abstraxerat. Non mirum itaque quod Ignatius Constantinopolitanus Gregorium Syracusanum judicarit.

(*) Seu potius de eligendo ex tribus uno deliberarunt,

dies hoc propositum retinuerunt. Sed paulatim Aulæ insidiis capti consenserunt omnes, Episcopis quinque refragantibus, quos inter Metrophanem Metropolitam Smirnensem numerare erat. Imo & hi quinque, cum viderent, plurimos Episcopos flecti se passos, temporum iniquitati cesserunt iis tamen conditionibus, ut Photius dato Chirographo Schisma abjiceret, Communionem Ignatii amplecteretur, eundem legitimum Patriarcham agnosceret, nunquam ei quidquam objiceret, nec ipsum accusare volentes audiret; imo Patris loco haberet, & sine ipsius consensu nihil moliretur. Photius datis litteris hæc promisit, & his pactis Gregorii Syracusani manibus ordinatus, ex Laico intra sex dies factus est Episcopus. Nimirum, prima die Monachus, secunda Lector, tertia Subdiaconus, quarta Diaconus, quinta Presbyter & sexta, quæ erat Natalis Domini anno octingentesimo quinquagesimo octavo, Patriarcha Constantinopolitanus creatus est. Sæculum IX. A. C. 859.

Sed necdum ab ejus Ordinatione duo menses effluxerant, cum, violata juramenti tam solemnis fide, omnes Clericos, quos Ignatio favere noverat, persequi cœpit, eos flagellis cædi & totos verberibus dilaniari jubens. Rursus eosdem blanditiis postea tentabat, munera *Nicet. pag.* 1199. *p.* 1202.

&

Sæculum IX. A. C. 859.

& dignitates offerebat, vehementissime instans, ut litteras ipsorum manus signatas sibi darent, quibus Ignatium accusare possent. Cumque nihil ad perdendum virum inveniisset, scelerato Bardæ, & ejusdem opera Michaeli Imperatori, homini leviſſimo, suggessit, ut mitteret, qui in Ignatium velut Imperio insidiantem severe inquirerent. Ergo crudeles Præfecti atrocesque satellites extemplo Terebinthum petunt, omniaque genera quæstionum instituunt, famulos Ignatii tormentis omnibus excruciant, & postquam nihilominus nullum sceleris argumentum deprehendere potuissent, ipsum tamen cum famulis in Insulam Sacram * abstractum in caprarum stabulo concludunt. Inde iterum in Suburbium Promethi dictum prope Constantinopolim transferunt, ubi Leo *Lalacon* Domesticus Rationum, id est copiarum præfectus *, Patriarchæ maxillam pugnis appetens duos ex illa molares dentes excussit. Postea vero compedibus ferreis vinctum angusto carceri tradunt cum duobus tantum servulis, qui tanto Antistiti servirent. Hæcque omnia agebantur, ut Ignatius libellum abdicationis scriberet, quo throno Patriarchali sponte cessisse videretur. Facti atrocitate commoti Provinciæ Constantinopolitanæ Episcopi, tunc præsentes, in Ecclesia Pacis

Photius Ignatium persequitur.

* alias Hiera.

* alii, Sacrarum Largitionum domesticus.

Pacis per dies quadraginta convenientes Photium declarant depositum, addito non contra ipsum modo, sed contra omnes, qui eum pro Patriarcha haberent, anathemate. (*)

Sæculum IX. A. C. 859. *Metroph. p.* 1387.

Adversa ex parte Photius, Bardæ potentia subnixus, Concilio in Ecclesia Apostolorum congregato, Sententiam Depositionis pronunciat, & Ignatio licet absenti anathema dicit; cumque Episcopi Ignatio fideles nefas in faciem exprobrarent, ipsos quoque deponit, & in carcerem Palatii, qui *Noumera* dicebatur, locum admodum infectum compingi jubet, ubi per dies aliquot custoditi. Ignatius quoque inerat vinculis onustus, rursusque alii in carcere Prætorii detinebantur. Tandem mense Augusto anno octingentesimo quinquagesimo nono Ignatius navigio imponitur & Mitylenem in Insula Lesbia deportatur. Omnes, in quos suspicio cadebat, quod ei favererent, Constantinopoli ejecti, multi eorum verberibus conciſi, Blasio Chartophylaci lingua resecta, quod libere, quid hac de re sentiret, edixisset.

Cang. C. P. lib. 2. p. 123.

§. IV.

Photius Romam mittit.

At Photius, cum sciret, plurimis sua facta

Nicet. p. 1203.

(*) Quis ferat Protestantes dicentes, Photium

Sæculum IX. A. C. 859.

cta non probari, consilium cepit, quis crederet? Legationem Romam mittendi, qua a Nicolao peteret, ut & ipse Mandatarios Constantinopolim mitteret. Et in speciem quidem dicebat, sic Hæresis Iconoclastarum reliquias extingui debere (*); re ipsa vero his, quæ contra Ignatium ipse egerat, auctoritatem ex præsentia Romanorum conciliare volebat. Ergo Papæ scripsit, Ignatium propter senium & infirmitatem Corporis Ecclesiam Constantinopolitanam dimisisse, & ad sua se recepisse in Monasterio ab ipso fundato, ubi tam ab Imperatore, quam a tota civitate & a se etiam (Photio) omni honorum genere coleretur.

Hæc Photii epistola ad nos non pervenit; habemus vero aliam ad Nicolaum Papam

---

tium invitum Patriarchalem Dignitatem suscepisse.

(*) De hac Legatione Anastasius, referente Pagio, ait: *Quatenus sicut ipse* (Photius) *sperabat, approbante vel decernente* (Sacra Sede) *mox omnia ora resistentium obstructa silerent, & aditus sibi progrediendi, qua vellet, omnes omnino patescerent.* Dum hic Photius ad Sacram Sedem se convertit, quidquid postea ipsemet fecerit vel scripserit, contra se ipsum & Protestantes hodiernos invincibile coram orbe terrarum edidit testimonium, Sedem Romanam Constantinopolitana fuisse superiorem.

Papam datam, cujus exordium est hujusmodi: *Cum mihi Pontificatus magnitudo in mentem venit, cumque cogito hominis vilitatem, ac mearum virium imbecillitatem metior, cum, inquam, animum subit, me semper eos non sine stupore suspexisse, qui tremendum jugum in se susciperent, dici non potest, quibus doloribus incessar, & quanto mœrore detinear, cum eodem me nunc captum intueor.* Et infra: *Nuper itaque, cum is, cui ante nos Sacerdotio fungi obtigerat, honore abiisset, Clerici & Metropolitani congregati, præcipue vero Imperator in omnes quidem benignus & humanus, at mihi soli violentus & formidandus, nescio quo motu impulsi in me impetum fecerunt, & nequicquam reluctanti denunciant, subeundum mihi esse Episcopatus onus, jamque rem mutari non posse. Nihil lacrymæ profuerunt, nihil animi propemodum desperantis suspiria & gemitus, sed quod constituerant, perfecerunt.* Photius deinde Fidei suæ Confessionem subjungit, quæ integre Catholica est, & se nominatim septem Concilia universalia recipere profitetur. Sæculum IX. A. C. 859. ap. Baron. 859.

Michael quoque Imperator Papæ scripsit, misitque Legatos, (*) quorum Princeps *Anast. in Nicol.*

(*) Ex his sequitur, inter Ecclesiam Romanam & Constantinopolitanam, Communionem Eccle-

Sæculum IX. A. C. 859.

ceps erat Arſaber Protoſpatharius. Is, ut conjectura eſt, Photii propinquus & Bardæ affinis fuit, quem comitabantur Epiſcopi quatuor, Methodius Metropolita Gangrenſis, Samuel Epiſcopus Chonarum, ſeu, Coloſſenſium in Phrygia, cui Photius honoris cauſa Titulum Archiepiſcopi dedit, Theophilus Metropolita Amorienſis, & Zacharias Taurominienſis in Sicilia, nam & huic Eccleſiæ nomen Archiepiſcopatus tribuit. Hi Oratores dona pretioſa atque inter alia Patenam & calicem aureum gemmis fulgentem ad Eccleſiam S. Petri detulerunt.

§. V.

Synodus Confluentina.

Sup. lib. XLIX. §. 29.

Sub idem tempus nempe anno octingenteſimo quinquageſimo nono Ludovicus Rex Germaniæ, miſſo in Italiam Tiothone Abbate Fuldenſi, expeditionem ſuam anno ſuperiore in Franciam ſuſceptam purgavit, & facta ſua a Ludovico Imperatore, nepote ſuo, & Nicolao Papa approbari petiit. Thioto autem Abbas benigne exceptus, gratiſſimas epiſtolas a Papa ſcriptas ad Regem Dominum ſuum retulit. Anno

Eccleſiaſticam, ſine qua nemo Chriſtianus ſe Orthodoxum probare poteſt, usque ad hæc tempore perduraſſe.

Anno sequente octingentesimo sexagesimo cum idem Rex Ludovicus, Carolus Calvus ipsius frater, & Lotharius eorum nepos apud Castrum *Confluentes* cum Episcopis & Regni Principibus die quinta Junii in Secretario Basilicæ S. Castoris, ubi erat celebre Monasterium, convenissent, Præsulibus tredecim & triginta tribus Optimatibus demandatum, ut juramenti, quod sibi Reges mutuo præstarent, formulam, & Articulos ab eorum Subditis observandos conciperent, & conscriberent. Præsules illi tredecim, erant Episcopi undecim, & Abbates duo, videlicet Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Guntharius Archiepiscopus Colonienſis, Altfridus Episcopus Hildesheimensis, patria Saxo, cujus consiliis Rex Ludovicus maxime utebatur. Salomon Episcopus Constantiensis, Adventius Metensis, Hatto Virdunensis, Franco Tungrensis, & Christianus Antissiodorensis. Ceteri obscurioris nominis sunt. Vi juramenti quinque Reges Ludovicus & Carolus, eorumque tres Nepotes Ludovicus, Lotharius & Carolus, consilio & manu mutuum sibi auxilium promittebant. Inter Articulos memoratu dignissimus hic est. Si quis excommunicatus, aut criminis, quod excommunicationem meretur, reus ex uno Regno ad alterum migret, eo consilio, ut pœniten-

Sæculum IX. A. C. 860.

to. 8. Conc. p. 698.

to. 2. Capit. p. 137.

Not. Sirm.

Art. 5.

Sæculum IX. A. C. 860.

nitentiam effugiat, forsan fæminam Deo Sacram aut aliam mulierem a se raptam, qua ad explendam libidinem utitur, secum trahens, si Episcopus id nobis indicaverit, in talem solerter inquiri jubebimus, nec patiemur, ut in Regno nostro lateat, aliosque ex nostris subditis pervertat, sed compellemus, ut ad Episcopum suum redeat, & pœnitentiam vel recipiat, vel impleat. Adjicitur & alius Articulus jam pridem Epernaci anno octingentesimo quadragesimo sexto editus: Episcopus peccatorem ab Ecclesiæ Communione nunquam excludat, nisi prius eum secundum præceptum Evangelii ad pœnitentiam hortatus fuerit. Si peccator non obediat, Episcopus ad Regem ejusque Præfectos rem deferat, ut errantem ad pœnitentiam subeundam compellat. Si adhucdum detrectet, contumacem ab Ecclesiæ Communione separet.

Art. 6.

Sup. lib. XLVIII. §. 35.

Matth. 18. 15.

§. VI.

Lotharius Theutbergam dimittit.

Ann. Met. 856.

Rex Lotharius jam illo tempore vincebatur libidine, quæ non modo totius vitæ ejus quietem turbavit, sed etiam acceleravit interitum. Is enim, cum anno octingentesimo quinquagesimo sexto Theutbergam, Bosonis in aliqua Burgundiæ parte Comitis filiam, in matrimonium

nium accepiſſet, anno ſequente illa re-Sæculum IX,
jecta complures pellices alebat. Erat A. C. 860.
vero Theutbergæ Reginæ frater, nomine Hubertus, qui etiamnum adoleſcens, *Ann. Bert.* 857.
Clericis adſcriptus, publice in Eccleſia ut Subdiaconus legerat. Sed poſtea malorum ſocietate perverſus & in omnem licentiam effuſus, graſſari publice cœpit. Quippe Monaſterio S. Mauritii in Valleſia vi occupato, Regulam abolevit, ex fundis & reditibus Sacris mulieres, canes, aves ſuſtentavit. Monaſterium Luxovienſe armatorum cohorte latus ſtipante ingreſſus ibidem per aliquot dies cum perditiſſimis proſtibulis diverſatus eſt, quo ante illud tempus nulli fæminarum pedem inferre licuerat. Tandem pacem inter Ludovicum Imperatorem, & Lotharium atque Carolum fratres ejus Reges turbabat. Querelis ad Benedictum III. Papam delatis, Hubertum Romam vocavit, ubi cauſam diceret, atque ad omnes Epiſcopos in Regno Caroli Calvi exiſtentes litteras dedit; unde diſcimus, jam tunc Hubertum in illius Ditiones confugiſſe. *ep. 2. Bened. to. 8. Conc. p. 234.*

Ceterum fama in vulgo ſparſa eſt, *Hincm. de*
Hubertum & Theutbergam olim in- *divor. to. 1.*
ceſtu ſe polluiſſe, & talia referebantur *p. 568.*
adjuncta, quæ hanc laſciviam multo magis abominabilem reddidiſſent. Negabat Theutberga turpiſſimum factum,

Sæculum IX. A C. 860.

cumque nec a teſtibus, nec aliunde ſuppeterent argumenta, Proceres Laici, ex Epiſcoporum conſilio, Rege Lothario conſentiente, aquæ ferventis probationem adhibendam eſſe decreverunt. Tum vir quidam, Reginæ vices ſubiens, ex aqua illæſus exiit. (*) Itaque Regi reconciliandam & ad thori conſortium denuo admittendam omnes judicant. Eam quidem recepit Rex, quo Procerum precibus aliquid daret; ſed poſt breve temporis ſpatium eamdem in carcerem deduci juſſit.

Theutberga accuſatur.

Annal. Bert.

Tandem cum mora temporis odium concepiſſet implacabile, conſtituit ex miſera perhibiti inceſtus confeſſionem exprimere. Eo igitur ductus conſilio nona Januarii anno octingenteſimo ſexageſimo, Regni ſui quinto, Indictione octava Aquisgranum, ubi ſedem fixerat, Guntharium Archiepiſcopum Colonienſem Archicapellanum ſuum, Theutgaudum Archiepiſcopum Trevirenſem, Adventium Epiſcopum Metenſem, Franconem Tungrenſem, Egil Abbatem Prumienſem, alium Abbatem, cui nomen Odelingus, pluresque Optimates & Vaſallos

Ap. Hinem. to. 1. p. 574. to. 8. Conc. p. 696.

(*) Quid de hoc facto affirmandum non ſatis liquet. Nam vix credibile eſt, niſi aliqua fraus ſubſit, hominem ex aqua vere fervida incolumem poſſe emergere.

sallos suos convocari jubet. Congregatis Rex dicit; *ex quo Theutbergam duxisset, cœpisset que glíscere inter eos discordia, se comperisse, horrendo dudum crimine fuisse inquinatam, unde eam Conjugem habere sibi amplius non liceret. Sibi deinde in Italiam ad Ludovicum Imperatorem fratrem suum profecto complura adjuncta nefandi facinoris fuisse revelata. Cum itaque tantæ rei incertus diutius esse nollet, præcipere se quatuor Episcopis & Abbatibus duobus, ut ad Theutbergam se conferrent, & an vera de ea fama sparsisset inquirerent.* Sæculum IX A. C. 860.

Cum Episcopi a conspectu Reginæ fuissent digressi, Guntharius omnium nomine, *Theutberga*, inquit, *o Rex! Deo & nobis confessa est, se, attamen vi adhibita, flagitium, quod aperire verecundia non sineret, passam esse; unde se omnino indignam credit, quæ tibi vel cuicunque alio viro commercio conjugali jungatur. Petiit, ut liceat sibi vestem sæcularem mutare, & ad subeundam pœnitentiam secedere, dixitque, se ad hoc faciendum nullo iracundiæ contra te aut vindictæ motu impelli.* Adventius adjecit: *Hoc me crimen hucusque latuerat. Nunc vero, non amplius fas est vobis licentia conjugali uti; etsi amor in eam tibi ut antea duraret, suaderem tamen, ut eam, sicut cupit, velari permitteres.* In eandem

Sæculum IX. A. C. 860.

Theutgaudus conceſſit ſententiam, & Egil Abbas Reginæ nomine dixit, eam ad petendam diſcedendi facultatem non agi metu aliquo, ſed amore Dei & Salutis ſuæ deſiderio. Hæc in Actis in ſeptem Articulos diviſis leguntur.

Alia quoque in octo Articulos diviſa conſcripſerunt Epiſcopi, ad Epiſcopos Collegas ſuos directa, a quibus in hac cauſa conſilium expoſcebant. In iis accuratius, quæ inter ſe & Reginam acta eſſent, referunt; *cum Epiſcopos ad ſe vocaſſet, ad ipſorum pedes proſtratam rogaſſe, quid conſilii ſibi darent, & reſpondiſſe, invocato Dei nomine, ne ſpe aut metu, etiam mortis inferendæ, mendacio ſe ream diceret, ſi innocens eſſet. Ex ipſa deinde, poſtquam fuiſſet confeſſa, Epiſcopos quæſiviſſe, an, ſi ipſi pœnitentia, quam peteret, concederetur, promitteret, ſe nunquam quæ modo dixiſſet feciſſetque retractaturam? eamque addito juramento id promiſiſſe.* Ex ſequentibus videbimus, tantam Epiſcoporum prudentiam fuiſſe neceſſariam.

Ap. Hinc. p. 568.

Theutberga confitetur.

Sed necdum ſatis. Celebrata ſunt Comitia generalia præſentibus omnibus Regni, quo Lotharius potiebatur, Proceribus, Aquisgrani, circa medium Februarii, anno octingenteſimo ſexageſimo, quibus iidem qui prius Epiſcopi Guntharius Colonienſis, Theutgaudus Trevi-

ap. Hincm. p. 575.

Trevirenſis, Franco Tungrenſis, & præterea Venilo Rotomagenſis, Hatto Virdunenſis, Hildegarius Meldenſis, Hilduinus Avenionenſis interfuere. Theutberga primum coram Rege, & deinde apud quosdam Epiſcopos & Laicos, qui convenerant, crimen faſſa, Regi etiam tradidit libellum, in quo ſuam confeſſionem ſcribi juſſerat; ſe in prima adoleſcentia ab Huberto fratre ſuo Clerico fuiſſe vitiatam. Idque ſe confiteri non neceſſitate adactam, nec quoquam alio impellente, ſed voluntate libera, & ex amore Salutis ſuæ. Tum Epiſcopi ad Regem converſi jurejurando obteſtantur, ut ſincere ediceret, an hortatu vel comminatione Reginam ad ſe ipſam falſo accuſandam adegiſſet. Ille jurat, id a ſe minime factum, & profitetur, ſe nunquam fuiſſe vulgaturum arcanum malum, niſi id ab aliis præſertim in Burgundia & Italia fuiſſet manifeſtatum. Ideo etiam ſe Judicio, quod Theutbergæ faviſſet, acquieviſſe, quamvis, iniquum eſſe, ſciret. Nempe loquitur de Probatione aquæ ferventis, ex qua Theutberga innoxia fuerat pronunciata. Sæculum IX. A. C. 860.

Epiſcopi poſtea, ſermone ad illam directo, Dei nomine obſecrant, & pœnam damnationis æternæ comminantur, ſi crimen falſum in ſe reciperet. Promittunt auxilium contra omnes, qui innocentem

Sæculum IX. A.C. 860.

centem vellent opprimere, monent, non amplius locum defenſioni fore, ſi Epiſcopi ſententiam pronunciaſſent. Ipſa tamen conſtanter peccatum confitente, declarant Epiſcopi, Theutbergæ pœnitentiam publicam eſſe ſubeundam. Hæc in Actis hujus Conventus leguntur; ſequentia vero docebunt, an fide digna ſint.

Theutberga condemnatur.

Ann. Bert. 860.

Itaque ſecundum hoc Judicium Regina Theutberga Monaſterio includitur. At a Rege marito iræ impotente pejora timens, eodem anno clam egreſſa fugit ad fratrem Hubertum in Regno Caroli exiſtentem. Inde miſſis ad Nicolaum Papam Oratoribus contra judicium Epiſcoporum querelam movet. Nec non Lotharius Theutgaudum Archiepiſcopum Trevirenſem & Hattonem Epiſcopum Virdunenſem Romam mittit cum epiſtola nomine omnium Epiſcoporum in Regno ſuo ſcripta, in qua dicebant, ſe cauſam hanc non lata ultima ſententia definiviſſe, ſed ſolummodo Theutbergæ publice confitenti pœnitentiam injunxiſſe. Inde Papam rogabant, ne nimium faciles Lotharii inimicis aures concederet. Ad idem quoque tempus referri poteſt epiſtola Lotharii ſimulque Regis Ludovici, Patrui ipſius nomine ad Papam ſubmiſſiſſimo calamo data, in qua ambo Reges de Carolo Calvo conqueruntur, quod

Nicol. ep. 21. *to.* 8. *Conc. p.* 394.

ibid. p. 697.

ap. Bar. an. 860.

contra

contra ſancita toties fœdera Ditiones ipſorum invadere meditaretur, hortanturque Pontificem, ut exemplum Anteceſſorum ſuorum ſequeretur, & in Franciam veniens turbulentum Regem cenſurarum Eccleſiaſticarum metu coerceret. Sæculum IX. A. C. 860.

§. VII.

S. Ado Viennenſis.

Antequam Romam profectionem ſuſciperent Theutgaudus & Hatto frequentiſſimo interfuerunt Concilio, quod Tuſiaci in Diœceſi Tullenſi celebratum. Adfuere Epiſcopi ex Provinciis quatuordecim, nimirum ex Provincia Lugdunenſi, Rotomagenſi, Turonenſi, Senonenſi, Viennenſi, Arelatenſi, Veſuntina, Moguntina, Colonienſi, Trevirenſi, Remenſi, Bituricenſi, Burdegalenſi, & Narbonenſi. Item duodecim venerunt Archiepiſcopi, duobus ſolummodo emanentibus Arelatenſi & Moguntino. Univerſim vero in Subſcriptione quinquaginta ſeptem Epiſcopi numerantur. *to. 8. Conc. p. 708.*

Archiepiſcopus Bituricenſis erat Rodulfus, vulgo *Raoul*, filius cujusdam Comitis, ejusdem nominis, Cadurcenſis, qui eum anno octingenteſimo vigeſimo tertio Clericis adſcribi jubens, agrum dedit in Territorio Lemovicenſi. Hoc omnium primum exemplum mihi occur- *Act. SS. Ben. to. 6. p. 156.*

Sæculum IX. A. C. 860.

rit; Clerico Titulum patrimonii fuisse concessum.

At neminem magis illa ætate fama celebravit, quam Adonem Archiepiscopum Viennensem. Eum anno circiter octingentesimo natum parentes nobili genere insignes puerulum Abbatiæ Ferrariensi obtulerunt, ubi Monasticum habitum accepit. Exinde Marcuardus Abbas Prumiensis sciens quam egregius esset, Lupum tunc temporis Abbatem Ferrariensem rogavit, ut sibi Adonem mitteret. Concessit petenti, quod volebat; Lupus; sed Ado quorumdam Monachorum Prumiensium invidia vexatus, relicto illo Monasterio, Romam peregrinatus est, ubi per quinquennium commoratus Scientia Ecclesiastica apprime imbutus est. In reditu cum Ravennæ diversaretur, in manibus cujusdam Monachi vidit Martyrologium, ab aliquo SS. Pontificum olim ad Episcopum Aquilejensem missum, quod ipse descripsit. Id vetus Martyrologium Romanum fuisse creditur. Inde Ado in Franciam reversus Lugduni substitit, ubi ex consortio virorum Ecclesiasticorum doctrina florentium eruditior factus Martyrologium suum composuit, cujus fundamentum illud alterum Martyrologium posuit, quod Ravenna attulerat. Imo sua industria Remigii Archiepiscopi Lugdunensis

Eod. to. 6. p. 262.

Tom. Cod. 6. præf. c. 6. a. 174.

&

& Ebbonis Episcopi Gratianopolitani animos sibi adeo devinxit, ut Lupum Abbatem rogaverint, ne ægre ferret, si Ado nunquam rediret Ferrariam. Concessit ei Lupus obedientiæ Benedictionem, id est, epistolam regularem, qua petitam licentiam tribuebat, similemque epistolam ab Archiepiscopo Senonensi Venilone obtinuit. Itaque impetrato Præpositorum suorum consensu liber Lugduni mansit, ubi Remigius ei in Ecclesia S. Romani habitaculum constituit. Ecce vero, Agilmaro Archiepiscopo Viennensi vita functo Ado eodem anno 860. ejusdem Successor eligitur. Non defuere, qui obsisterent, dicentes, minime decere, ut Monachus Gyrovagus tanta Dignitate ornaretur. Cumque Gerardus Comes & Berta ejus uxor litteras ad Lupum Ferrarienſem dedissent, ille Discipulum suum ab omni labe immunem, & virum Episcopatu omnino dignum esse rescripsit. Ergo Archiepiscopus Viennensis annos natus circiter sexaginta ordinatus, eodem anno Concilio Tusiacensi interfuit.

Sæculum IX. A. C. 860.

Lup. ep. 122.

§. VIII.

Concilium Tusiacense.

Concilio Tusiacensi * initium datum est vigesima secunda Octobris, in quo Canones quinque contra rapinas, per-

* est Tullense secundum.

Sæculum IX. A.C. 860.

perjuria aliaque crimina, quæ tunc Franciam inundabant, conditi. Velatæ Virgines occulte lapſæ, vel quæ publice nupſerint, & Viduæ incontinentes, quæ luxuriando turpiſſime in domibus ſuis vivunt, ita ut etiam quædam filias ſuas laſcivis juvenibus proſtituant, usque ad finem vitæ in ergaſtulis retruſæ pœnitentiam agant. Viri autem, qui vim eis intulerint, & ipſi cenſura Eccleſiaſtica ad pœnitentiam conſtringantur. Principes autem & Judices ab Epiſcopis rogati eos ſua auctoritate adjuvent. Epiſcopi datis invicem litteris de Excommunicatis certiores ſe faciant, ut omnes ſciant, cum eis non eſſe communicandum. In Articulo quinto dicunt Epiſcopi: *Quia plurima loca Deo Sacra & Monaſteria a crudeli gente Normannorum incenſa & vaſtata ſunt, atque hac occaſione multi laſcivi Clerici & Monachi relicto Religionis habitu vagabundi circum feruntur, volumus, ut ad Diſciplinam Epiſcoporum & Abbatum ſuorum revertantur.*

c. 2.

c. 4.

c. 5.

Præter Canones promulgata eſt epiſtola Synodica ab Hincmaro compoſita & ad omnes Fideles directa, in qua Bonorum Deo Sacrorum naturam edocentur; atque ab eorum injuſta uſurpatione, quod vitium tunc erat frequentiſſimum, & ab omni rapina, abſtinere monentur.

p. 707.

§. IX.

Sæculum IX.
A. C. 860.

§. IX.

Causa Stephani & Regimundi.

Concilio Tusiacensi redditæ sunt epistolæ cujusdam Comitis Regimundi contra generum suum actionem moventis, quod uxorem suam nollet cognoscere; dicebat enim, se cum aliqua ejusdem puellæ propinqua quondam carnali commercio miscuisse. Cum igitur hæc res per annos circiter tres a plurimis ventilaretur, atque Socer Generque essent viri potentes, quorum jurgia Ecclesiam & rempublicam turbare possent, visum est Synodo hujus causæ cognitionem ad se pertinere, jussitque Stephanum, qui obsequii causa in Regia versabatur, advocari. Ille petiit, ut Episcopis secreto loqui sibi daretur, quibis dixit: *In fragili juventutis ætate cum quadam fœmina res mihi fuit. Filiæ Comitis Regimundi postea desponsatus meminisse cœpi, sponsam meam illam fœminam sanguinis propinquitate contingere. Consului virum, qui mihi erat a confessionibus, qui mihi ostendit librum, collectio Canonum, nisi fallat memoria, appellatum, legitque me præsente, non licere homini Christiano propinquæ suæ per matrimonium jungi, quousque cognationis gradus numerari possit, aut cum duabus fœminis affinibus copulari. Nec aliud incesto conjugio inveniri*

p. 716. *Hincm. ep.* 37.

Sæculum IX. A. C. 860.

veniri remedium, quam cito ſeparari. Interea Domini mei & Regis mei gratia excidi; jamque in ipſius Regno verſari tuto non licebat, & illinc Regimundus omnesque conſanguinei inſtabant, ut ſponſam meam conjugem ducerem. Unde neceſſitate compulſus (de vita enim periclitabar) publicis nuptiis in uxorem accepi, ſed intactam hactenus conſervavi, ne unamecum puellam innocentem perderem. Jam quid actum ſit ingenue & coram Deo vobis aperui, nec dolo, nec odio, nec amore alterius feminæ impulſus. Si petitis, idipſum Sacramento confirmabo aut quocunque alio argumento demonſtrabo. Ceterum conſiliis veſtris obedire paratus ſum.

Auditum Stephanum Synodus ſecedere juſſit. Deinde ſingulis opinionem ſuam proferentibus ſtatutum, ut Archiepiſcopi Biturícenſis & Burdegalenſis, in quorum provinciis partes litigantes exiſtebant, congregatis ad Synodum ſuis Suffraganeis, ubi Rex cum Proceribus intereſſent, cauſam iſtam ad felicem exitum perducere conarentur, & ſecundum Canones Epiſcopali auctoritate dirimerent. Tum Stephano gratiſſimam conditionem recipiente Synodus Tuſiacenſis Hincmaro Archiepiſcopo demandavit, ut Commentarium conſcriberet, in quo, poſtquam factum enarraſſet, qua ratio-

ratione de jure hæc quæstio decidenda esset, sententiam suam exponeret. Sæculum IX. A.C. 860.

Mandatum implevit Hincmarus edito libello ad Rodulfum Bituricensem & Frotarium Burdegalensem directo, in quo dicit: *Stephanus puellam sibi desponsatam adducat ad Synodum in Aquitania celebrandam, ibique puella interrogetur; an verum sit, quod Stephanus dicit, se illam hactenus servasse intactam. Si illa intactam se affirmet, examinandum est, quantum fieri potest, an subsit causa pudenda, ob quam Stephanus abstineat; non tamen propinquam illam, quacum se concubuisse fatetur, nominare compellatur, ne confessio ipsius reddatur publica. Si denique res ita se habeat, ut dicit, ipsius matrimonium cum filia Regimundi nullum est, quod metu contractum sine incestu consummare non potuit. Unde sequitur esse separandos, & utrique ad alias nuptias transeundi suam salvam manere libertatem. At Stephanus dotem filiæ Regimundi datam amittat, & pœnitentiam subeat, ob peccatum fornicationis cum illa propinqua admissum, & abusum Sacramenti Matrimonii, quod contra dictamen suæ conscientiæ iniit.* Hæc est Hincmari Sententia.

op. 37. to. 2. p. 647.

n. 2.

n. 3.

n. 4. p. 655.

n. 5.

§. X.

Sæculum IX. A. C. 860.

§. X.

Causa Ingeltrudis.

Nicol. ep. 58. p. 447.

In Concilio Tusiacensi Ingeltrudis quoque causa agitata. Ea Comitis Matfridi filia Comiti Bosoni in Longobardia provinciæ Mediolanensis nuptui data, & a quodam corrupta, relicto marito, in Gallias cum adultero effugit. Postquam vero Boso nihil intentatum reliquisset, quo perfidam ad saniorem mentem reduceret, imploravit auctoritatem Benedicti Papæ, tunc S. Sedem tenentis, qui dum vixit Imperatorem, Principes, omnesque Fideles datis litteris non cessavit hortari, ut hanc mulierem ad officium compellerent. Nicolaus Papa Benedicti Successor eosdem conatus adhibuit, sed frustra; tandem Mediolani Concilium celebrari jussit, quo Ingeltrudis citaretur, & nisi intra præstitutum tempus compareret, excommunicaretur. Illa deinde absens & contumax excommunicatur, Papa illius Concilii Decretum confirmante.

Interea cum ad notitiam Pontificis deveniisset, hanc mulierem in Regno Lotharii delitescere, datis ad illius Regni Episcopos & imprimis ad Archiepiscopos Theutgaudum & Guntharium litteris eorum vituperat negligentiam, quod tantum scandalum non tollerent, & certiores

tiores facit, Ingeltrudem fuisse excommunicatam, jubens, ut & ipsi eam excommunicent, nisi ad maritum suum rediret. Datis ad Regem Carolum quoque epistolis rogavit Pontifex, ut a Lothario nepote suo impetrare conaretur, hanc mulierem ex ipsius Regno expelli, ipseque eam ejiceret, si in Regnum suum veniret. Sæculum IX. A. C. 860. *Ep. 1. app. 1. p. 480.*

Guntharius Archiepiscopus Coloniensis, in cujus Diœcesi Ingeltrudis versabatur, cum sciret eam Regis sui præsidio munitam, ægre adduci poterat, ut eam remitteret. Unde Hincmarum Remensem totius Conventus nomine hac super re consulens litteras ad eum dedit in hunc modum: *Si uxor Bosonis veniat ad me & publice confitens dicat: in adulterium lapsa læsi maritum meum. Ideo ad te, qui Dei Vicarius es, confugio, ut salves animam meam & mihi vitam conserves. An bene faciam, si ei injungam pœnitentiam publicam, quam in mea Diœcesi, quo convolavit, impleat, vel estne remittenda ad maritum suum, ea conditione, ne eam morti addicat, sub pœna excommunicationis, atque ut post peractam pœnitentiam dilectam conjugem denuo recipiat?* *Hincmar. opusc. 38. to. 2. p. 669. to. 8. Conc. p. 1920.*

Cum Hincmarus protinus respondere non potuisset, data deinde epistola mentem suam declaravit in hunc modum

Sæculum IX. A. C. 860.

dum: *Hæc mulier nupſit Boſoni in alia Diœceſi & in alia Provincia exiſtenti; unde ſub pœnitentiæ prætextu non avellatur a marito, qui eam adulterii non accuſat, ſed ſolummodo conqueritur, quod a ſe diſceſſerit, jamque per annos ferme tres in remotis provinciis moretur, quamvis eam ſæpius ad reditum invitaſſet, eique, ut Pontificis mandato obſequatur, ignoſcere vellet. Itaque Rex ille, in cujus principatu degit, eam ad maritum ſuum reduci jubeat, & ſic ſervetur pactum inter Reges noſtros conſtitutum, velle ſe fugitivos alterum alteri remittere. Tu vero, in cujus Diœceſi illa verſatur, ab ejusdem marito juramentum exigas, quod eam clementer habere velit. Et jure tuo id facies, quia fugitiva Eccleſiæ patrocinium implorat. Si Boſo datam fidem fregerit, eum Epiſcopus ſuus Diœceſanus ſecundum Canones judicet; ſi vero mulier vel propria confeſſione, vel alio modo adulterii convincatur, ejusdem Epiſcopi Diœceſani eſt, ei pœnitentiam injungere. Secus, or-*

p. 674. *do Diſciplinæ turbabitur, eritque, quod improbi Sacerdotibus objiciant. Dicent enim; faciamus, quod lubet; ad Eccleſiam deinde & Epiſcopum convolabimus, & pœnam effugiemus.*

§. XI.

§. XI.

Sæculum IX. A. C. 860.

Papa Legatos Constantinopolim mittit.

Inter hæc Arsaber Michaelis Imperatoris Legatus & quatuor Metropolitæ a Photio missi Romam pervenerunt; nemo vero adfuit nomine Ignatii, adversariis ipsius id non permittentibus. Unde Pontificem etiamnum latebant, quæ inter Ignatium & Photium acta fuerant, & quam parum sincere Constantinopolitani cum ipso agerent. Nihilominus circumspecte rem aggressus Nicolaus, congregata Synodo, Legatos duos Rodualdum Episcopum Portuensem & Zachariam Episcopum Anagniensem mittit cum mandatis, ut omnia, quæ de cultu Sacrarum Imaginum proponerentur, in Concilio definirent; nihil enim amplius faciendum supererat, quam ea, quæ in Synodo Septima decreta fuerant, exequi. Quod vero ad causam Ignatii & Photii spectabat, id solummodo Legatis mandatum, ut in eam Canonice inquirerent, & quæ explorassent, ad Papam referrent. Duas iis deferendas dedit epistolas, unam ad Imperatorem Michaelem, alteram ad Photium, ambas vigesima quinta Septembris, Indictione nona, nempe anno octingentesimo sexagesimo, datas. *Anast. in Nic. ep. Metroph. p. 1387.*

Sæculum IX. A. C. 860.

In epistola ad Imperatorem Nicolaus Papa queritur; in ultimo Concilio Constantinopolitano Ignatium fuisse depositum Sacra Sede inconsulta, atque ex ipsa Imperatoris epistola non apparere, ipsum vel propria confessione, vel aliis argumentis canonice convictum fuisse. Deinde reprehendit, quod Laicus ad Sedem Constantinopolitanam fuerit promotus, ostenditque ex Conciliis & SS. Pontificum Decretalibus, quantum hæc ordinatio Regulis Ecclesiasticis repugnet. Concludit vero in hunc modum: *His itaque prælibatis in Consecrationem hujus viri consentire non possumus, donec per Legatos nostros, quid in hac causa actum sit, ad nos relatum fuerit. Atque ut in omnibus rectus ordo servetur, volumus, ut Ignatius in conspectum Legatorum nostrorum & totius Concilii veniat, ibi interrogetur, cur commissum sibi gregem deseruerit, & examinetur, an Canonice fuerit depositus. Tum si omnia nobis fuerint significata, quid pro pace Ecclesiæ vestræ agendum sit, Apostolica Sanctione definiemus.* Transit postea Pontifex ad quæstionem de imaginibus, præsumens secundum contenta in epistola Imperatoris, Constantinopoli adhucdum aliquos Iconoclastas reperire esse, & summatim de hac materia differit. Petit deinde, ut Sacræ Sedis Jurisdictio per Episcopum

Nic. ep. 2. to. 8. Conc. p. 270.

p. 1021.

p. 273.

pum Theſſalonicenſem, utpote Vicarium ſuum, in Epirum, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam, Mœſiam, Dardaniam, & Prævalim reſtituatur. Tandem poſtulat etiam, ut reſtituantur patrimonia Eccleſiæ Romanæ in Calabria & Sicilia, atque jus ordinandi Epiſcopum Syracuſanum S. Sedi conſervetur. Papa hujus epiſtolæ exemplaria tria ſcribi juſſit, actus ſuſpicione, fieri poſſe, ut unum depravaretur. Unum igitur exemplar ſibi Romæ ſervavit, alterum legatis dedit, quod Imperatori redderetur, & tertium, quod in Concilio Conſtantinopoli legerent, ſi forte Imperator ſuum ibi recitari nollet.

Sæculum IX. A. C. 860.

Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem.

p. 273. *Sup. lib. XXIV. ſ.* 31. *l. XXVI. ſ.* 39.

In Epiſtola ad Photium Papa dicit, ipſius Confeſſionem Fidei quidem eſſe Catholicam, ſed Ordinationem contra Canones factam non probat. *Hinc*, inquit, *nullatenus in eam conſentire poſſumus, donec ex illis, quos Conſtantinopolim miſimus, intellexerimus, qualis ſit vita tua & pro defenſione fidei zelus.*

Nic. ep. 10. *p.* 353. *Nic. ep.* 3.

Ubi Legati Conſtantinopolim pervenerunt, per tres menſes ita cuſtoditi ſunt, ut præter familiares ſuos nemini colloqui, nec qua ratione Ignatius depoſitus fuiſſet, explorare poſſent. Elapſo illius temporis ſpatio, iis comminatione terribili denunciatur, peſſime habendos eſſe, niſi Imperatoris voluntati obtemperarent,

Nic. ep. 6. *p.* 280. *ep.* 9. *p.* 329. *ep.* 6. *in fin.*

Sæculum IX. A. C. 861.

rent, & inter alia terriculamenta, ejiciendos esse in exilium, ubi tam dira longissimo tempore essent passuri, ut ad devorandos vermes ex putredine corporum suorum nascentes adigerentur. Legati, postquam per octo menses repugnassent, succubuerunt.

Epist. Metroph. p. 1388.

Interim Ignatius Patriarcha ex Insula Mitylene revocatur post semestre, unde sequitur id factum mense Februario anno octingentesimo sexagesimo primo, & in Insulam Terebinthum reducitur, ubi complures ærumnas sustinere coactus est ob improbitatem Nicetæ, cognomento Oriphæ Drongarii, inter Classiarios Cæsaris stipendia merentis, cui Ignatii domesticos sua manu flagellis cædere vacavit. Illo tempore ignoti hactenus populi (Scytharum coloniam putaverunt) crudelissimi, qui *Ros*, id est, Russi dicebantur, usque ad Ponti Euxini littora irrumpunt, omnia diripiunt, &, ne captivi oneri essent, omnes homines, quotquot in eorum manus incidebant, jugulant. Cum Insulas Constantinopoli proxime adjacentes depopularentur, Ignatii Monasteria quoque vastant, ejusque domesticos viginti duos præ ceteris caros hastis frustillatim concidunt. Qua sævitia ad S. Virum delata ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Additis reliquis Jobi verbis, & Gratias pro omnibus Deo egit.

Nic. p. 1203.

§. XII.

Sæculum IX.
A.C. 861.

§. XII.

Concilium Anti-Ignatianum.

Haud longo post tempore Photius Concilium in Ecclesia Apostolorum Constantinopoli celebrat, in quo Episcopi trecenti decem & octo annumeratis Papæ Legatis adfuerunt. Imperator quoque aderat cum omnibus Magistratibus & magna populi frequentia. Omnibus congregatis ad Ignatium Prætor Baanes, & quidam alii vilis conditionis mittuntur, qui ad eum dicunt: *Magnum & Sanctum Concilium vocat te, veni actutum, & ad ea, quæ contra te afferuntur, responde.* Ignatius respondet: *Edicite, obsecro, quomodo veniam, & cujus personam sustineam, Episcopi, Presbyteri, vel Monachi?* Illi respondent: *Nescimus; sed interrogabimus, & responsum tibi feremus.* Altera die redeuntes dicunt: *Antiquæ Romæ Legati tibi præcipiunt, ut ad Concilium Oecumenicum sine mora venias, eo habitu, quem te decere propria tibi conscientia suggerit.* Illico Ignatius vestem Patriarchalem induit, atque iter pedibus ingreditur Episcopis, Presbyteris & permultis Monachis sæcularibusque comitantibus. Ecce autem ante Ecclesiam S. Gregorii Nazianzeni, ubi Crux in media platea supra columnam marmoream posita erat, procedenti occurrit

Sæculum IX. A. C. 861.

rit Joannes Patricius cognomento *Coxes* dicens, missum se ab Imperatore, ipsi mortem denunciari jubente, si alio habitu quam simplicis Monachi in Concilio se sistere auderet. Paruit Ignatius, & a Joanne ad Concilium duci se passus est.

Cum ad Ecclesiam Apostolorum pervenit, Laurentius Presbyter & duo Stephani, unus Subdiaconus, & alter Laicus ad eum missi dixerunt: *Quomodo ausus es vestibus Sacris indui condemnatus & propter tot crimina depositus?* Tum vi adhibita ex eorum, qui eum comitabantur, manibus raptum, solum deducunt in conspectum Michaelis Imperatoris, qui statim in S. Virum convicia ingessit. Dixit Ignatius, dura verba tormentis tamen esse molliora. Tum Imperator aliquantisper mitior eum in scamno ligneo considere jubet.

Libell. Theogn. to. 8. Conc. p. 1266.

Brevi sermone interjecto, facta est Ignatio potestas Legatis Rodoaldo & Zachariæ colloquendi. Ille interrogat, quare Roma Constantinopolim iter suscepissent; cui respondent: *Legati sumus Nicolai Papæ, qui nos ad causam tuam judicandam misit.* Rursus ille quærere, an litteras Papæ ad se attulissent. Et Legati respondent, nullas se ad ipsum attulisse litteras, quia non ut Patriarcha, sed tanquam depositus a Concilio Provinciæ suæ haberetur. Se vero secundum

dum Canones judicaturos. Tunc Ignatius: *Ergo prius ejicite adulterum* (nempe Photium) *quod si non poteſtis, nolite eſſe Judices.* Legati manu extenſa Imperatorem oſtendentes dicunt: *vult, ut Judices ſimus.* (*) Tum qui Imperatorem circumſtabant, Ignatium qua precibus qua comminationibus urgere, ut datis litteris ſe munere ſuo abdicaret; cumque operam perderent, converſi ad Metropo-

Sæculum IX. A. C. 861.

Ignatius in Judicio.

(*) Ecce! Imperator Græcorum vult, ut Legati Pontificis Romani in hac cauſa Judices ſint. Quamvis vero ex his omnibus & ſequentibus mala Imperatoris, Photii, & Græcorum fides ſatis appareat, nihilominus etiam liquet, ipſos percupiiſſe cum Sede Romana Communionem conſervare, ſi res hæc cum ipſorum dominandi libidine (ſiquidem Titulus Epiſcopi novæ Romæ, vel Oecumenici, quem aliqui Patriarchæ Conſtantinopolitani uſurpabant, nihil aliud erat quam nova ſtultitia) conciliari potuiſſet. Ad hanc vero Antiquæ Romæ Communionem jam ante occulte ſed auſpicato rediiſſe vulgatum eſt anno 1754. Sereniſſimum Principem Fridericum, modo regnantem Landgravium Haſſo-Caſſellanum, cujus Parentis Wilhelmi VIII. obitus hoc anno 1760. nunciatur. Hæc converſio penſatis omnibus adjunctis (quippe nihil niſi ſolius veritatis vis hunc Principem ad amplexum Religionis Catholicæ impellere potuit) ingens contra Proteſtantes eſt præjudicium. Quam vero optandum fuiſſet, ut Sere-

Sæculum IX. A. C. 861.

tropolitas jurgabantur; *forsan pati potuissetis*, inquiebant, *ut se abdicaret, & modo ipsum Patriarcham vobis expetitis.* Metropolitæ responderunt: *ex duobus malis nobis imminentibus, ira Imperatoris, & seditione populi, minus elegimus. Sed vos Patriarcham Sedi suæ restituite, & cura nostri non angat vos.* Rursus Imperatoris præfecti Ignatium exhortari, & petere ab ipso scriptam abdicationis formulam, ut Photius quietam possessionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ consequeretur. Sed illo constanter recusante solutus est Conventus, & nihil amplius illa die actum.

Per dies complures tenuit contentio. Verum cum Ignatii constantia frangi non posset, iterum vocatur ad Concilium missis ad ipsum iisdem ministris, nempe Laurentio & duobus Stephanis, tanquam Judicum famulis. Respondit Ignatius, se non iturum, quod videret, Judices nullatenus secundum Regulas Ecclesiasticas agere. *Necdum enim*, inquiebat, quasi præsen-

---

Sereniſſimo Fidei Catholicæ Confeſſori in Actis, ut vocant, Aſſecurationis meliores futuri Regiminis conditiones fuiſſent aſſertæ, & non adempta libertas, jure naturæ patri competens, qua curare potuiſſet, ut tres filii Principes in Religione Catholica inſtituerentur, converterentur, & confirmarentur!

præsentibus Papæ Legatis loquens, *Usurpatorem non ejeciſtis; imo cum ipſo epulamini, & adhuc longe poſiti munera ejus accepiſtis; miſit quippe vobis adhuc Redeſte hærentibus veſtes & Reliquias. Non agnoſco vos Judices. Ad Papam me ducite, cujus Judicio ſubibo lubens.* Cuncti, qui apud Ignatium erant, idem ſe ſentire & velle profitebantur, & Ignatius illos, qui ſe vocatum advenerant, rogavit, ut lectionem epiſtolarum, quas epiſcopis mittebat Summo Pontifici reddendas, audirent. In iis adducebat Epiſtolam Innocentii Papæ pro cauſa S. Chryſoſtomi, ubi dicebat, non teneri ipſum prius in Judicio ſe ſiſtere, quam in Sedem ſuam fuiſſet reſtitutus. Item Canonem quartum Sardicenſem; ſi quando Epiſcopus depoſitus objecta diluere paratus ſit, non prius alium in ipſius Sedem eſſe intrudendum, quam Epiſcopus Romanus Sententiam pronunciaſſet. Tum obteſtabatur Ignatius Delegatos a Concilio, ut haſce litteras ad manus Papæ deferri curarent.

Sæculum IX. A. C. 861.

Sup. l. XXI. §. 50.

Epiſcopis poſtea & Magiſtratibus aſſidue inſtantibus, ut ad Concilium ſe conferret, dixit: *Canones nunquam legiſſe videmini. Regula eſt, Epiſcopum, cum ad Concilium citatur, a duobus Epiſcopis & ter vocari debere. Vos vero per duos homines, quorum unus Subdiaconus eſt, & alter*

Sæculum IX. A. C. 861.

ter Laicus, me vocatis. Cumque teſtes producerentur, qui juramento affirmare ſe velle dicerent, Ignatium nullo confecto decreto Electionis fuiſſe ordinatum, reſpondit: *Quinam ſunt hi teſtes? quibus fidem facient? quis Canon Imperatorem teſtes producere jubet? Si Epiſcopus non ſum, nec tu Imperator es, nec iſti & nec ipſe Photius Epiſcopi ſunt; omnes enim manibus meis, indignis quidem, conſecrati eſtis. Si Uſurpator ex gremio Eccleſiæ eſſet, lubentiſſime cederem; quomodo autem hominem alienum JEſu Chriſti ovibus paſtorem dare poſſum? de numero Excommunicatorum & Anathematizatorum eſt. E cœtu Præfectorum Laicorum evocatus, a viro anathematizato & depoſito ordinatus eſt. Cum Metropolitas eo adduxit, ut ipſum Epiſcopum vellent recipere, datis litteris & jurejurando promittere coactus eſt, nihil ſe, me non conſentiente, acturum, & pro patre habiturum. Attamen vix dies quadraginta ab ejus Ordinatione effluxerant, cum publice me depoſuit & abſentem anathematizavit. Ipſo jubente exemplar hujus promiſſi e manibus Archiepiſcopi Cyziceni ea violentia ereptum, ut nihil propius fuerit, quam ut etiam digiti illud tenentis avellerentur; quem deinde depoſuit. Alios terroribus, alios donis permovit, ne ultra illius jurati promiſſi meminiſſent.* Poſt hæc omnia

Ignatii Cauſa.

Epiſco-

Episcopi juncti Magistratibus & deinde iterum Episcopi soli Ignatium urgent, ut Scripto se Episcopatu abdicaret. Tandem omnes domum se conferunt. Sæculum IX. A. C. 861.

Inde diebus decem elapsis & Ignatio in Concilium perducto, contra eum producuntur septuaginta duo testes jam a longo tempore solicitati, omnis conditionis homines, aliqui de fæce populi, alii ex ordine Senatorio, quorum Duces erant duo Patricii, Leo Creticus & Theodotacius, exinde officiorum Magister. Hi singulatim admissi juramento affirmarunt, Ignatium sine ullo Electionis Decreto fuisse ordinatum. Tum legi jubetur trigesimus Canon Apostolorum, in quo statuitur, ut Episcopus, si ad capiendam possessionem Ecclesiæ usus est opera potestatis Sæcularis, deponatur & excommunicetur. At suppressa sunt ultima verba subjecta: *& omnes illi excommunicentur, qui cum ipso communicaverint;* nempe quia omnes ipsimet communicaverant cum Ignatio, quem annis undecim Patriarcham suum venerati fuerant. Tandem longo tempore jurgati contra Ignatium depositionis Sententiam pronunciant. Mox Procopius Subdiaconus, quem olim ob vitæ insaniam & mores profanos deposuerat, stans retro cœpit ejus humeris pallium & reliquas vestes Sacras detrahere, & clamare; *Nicet.* 1206.

Deponitur.

Ana-

Sæculum IX. A. C. 861.

Anaxios, id est, indignus! secundum Depositionis formulam. Legatis Zachariæ & Rodoaldo cum quibusdam aliis idem clamantibus & condemnationem confirmantibus, Ignatius stabat in medio coopertus centonibus, quos ei prius de industria injecerant.

§. XIII.

Hujus Concilii Canones.

Nic. ep. 10. *p.* 355.

Altera quoque Sessio habita, in qua de Cultu imaginum non serio, sed in speciem egerunt; hanc enim causam petendi Legatos Imperator obtenderat, etsi vix ulli supererent Iconoclastæ. In ea igitur Sessione ex composito lecta est Epistola Papæ ad Imperatorem data, cujus in superioribus Sessionibus nulla mentio facta, sed misere truncata & corrupta, ita ut nihil appareret, quod Ignatio faveret, aut Photio adversaretur. Concilii vero Acta in duas partes divisa sunt, quarum una ad Ignatium & altera ad Imagines pertinet; hinc forte etiam Concilium primum & secundum in Basilica Apostolorum celebratum nominatur.

ap. Th. Balf. p. 549.

Canones Septendecim conditi, quorum plerique ad Monachos & Monasteria spectant. Nulla sine consensu Episcopi ædificentur Monasteria, & in Tabulario Episcopatus Commentarius omnium Bonorum Monasterii asservetur. Episco-

Zonar. p. 238. *c.* 7.

pis

pis nova fundare Monasteria ex reditibus Ecclesiarum suarum non liceat. Nemo vestem Monasticam induat, nisi præsente Præposito, cui futurus est subditus, & post tres probationis annos. Monachi nihil proprium possideant. Non egrediantur e suis Monasteriis, nec in alia transeant, nec in domos Sæcularium hominum divertant. Præpositi autem fugitivos persequantur, & captos custodiæ tradant. Nempe furentibus Iconoclastis Principibus permulti e Monasteriis fugere, quo demum possent, compellebantur; unde postea abusus ortus est.

Sæculum IX. A. C. 861.

c. 2.

c. 5.

c. 6.

c. 4.

c. 3.

Ad Schismatis occasionem præscindendam renovatur præceptum, ne Liturgia celebretur, aut Baptismus in Oratoriis domesticis conferatur. Nemo sub quocunque prætextu a Communione sui Episcopi se separet, donec in Concilio judicatus & condemnatus fuerit. Pari modo Episcopi a suis Metropolitis, & Metropolitæ a suo Patriarcha recedere non audeant, nisi forte aliquis Præsul Hæresim publice damnatam doceat. Nemo non videt, hos tres Canones in gratiam Photii & ipsius Sectatorum esse fabricatos, & in odium illorum, qui cum ipsis communicare recusabant, quod etiamnum Ignatium pro suo Patriarcha haberent. Ultimi vero duo Canones contra Photium pugnare videntur; nam prohi-

c. 12.

Sæculum IX. A. C. 861.

prohibetur, ne alius Episcopus in Ecclesia, cujus Episcopus luce fruitur, ordinetur, nisi abdicaverit, vel deseruerit Sedem suam per sex menses, & tandem statuitur, ne deinceps Laicus ordinetur Episcopus priusquam per omnes gradus Ecclesiasticos fuisset probatus, nec illud trahatur in exemplum, quod raro & ob singularem Ecclesiæ utilitatem factum, si aliquando eximiorum meritorum viri præter ordinem assumpti fuissent. Hac exceptione se ipsum exemptum volebat Photius, haud gravate laturus, si in futura tempora in Electione aliorum Regula strictissime servaretur. Quod spectat ad Canonem præcedentem sperabat adhuc dum, Ignatium ad abdicationem compelli posse.

c. 16.

§. XIV.

Ignatius persecutionem patitur.

Nicet. pag. 1207. *Theogn. p.* 1270. *Post Theoph. IV. n.* 31.

Ut vero compelleret, eum in Constantini Copronymi sepulchro, quod in eadem Ecclesia Apostolorum erat, includi jussit, tradiditque tribus viris crudelibus, qui Patriarchæ vultum venerabilem verberare non veriti, omnibus vestimentis usque ad solam interulam tempestate perfrigida spoliarunt, pronum expansis in modum crucis brachiis in pavimentum marmoreum prostraverunt, & duabus septimanis in carcere detentum

tum diebus septem nullo cibo vel somno refocillatum semper pedibus suis erectum perdurare coegerunt. Tandem Sanctum virum in arcam marmoream superius arctiorem, in qua Copronymi corpus conditum erat, attollunt eique equitantium more insidere compellunt, ipsius pedibus graves lapides alligantes, adjectis conviciis sannisque. Cum tota nocte immanem cruciatum toleraſſet, rigentem deponunt & pavimento adeo dure allidunt, ut ejus sanguine tingeretur. Cum vix spiritum traheret & præterea profluvio affligeretur, Theodorus ex illis tribus unus accepta ejus manu & pagina crucem in illa formavit, quam deinde ad Photium detulit. Is subscripsit: *Ego Ignatius indignus Patriarcha Constantinopolitanus confiteor, me ingressum sine Decreto Electionis, & his annis tyrannice me gessisse.* Hac qualicunque Subscriptione ad Imperatorem perlata, Ignatius ex illo carcere dimissus ad palatium Posanum, domum nempe maternam, se contulit, ubi aliquantisper respirare licuit. Saeculum IX. A. C. 861.

Ibi Ignatius Libellum ad Papam direxisse creditur, quem Theognostus Monachus Archimandrita Romanus & Exarchus Constantinopolitanus nomen Ignatii, decem Metropolitarum, quindecim Episcoporum, plurimorum Presbyterorum *to. 8. Conc. p. 1263. ep. Stylia p. 1402. Nicet. pag. 1210.*

Sæculum IX. A. C. 861.

rum & Monachorum conscripsit. In e
Ignatius persecutionem, qua premeba
tur, refert, rogatque Pontificem, ut An
tecessorum suorum exemplo causa
suam defenderet. Hunc Libellum a
Papam detulit ipse Theognostus, qui de
posita veste Monastica Sæcularem simu
Ignatius in fuga. lans occulto itinere Romam profectu
Nicolaum Pontificem omnia, sicut ac
fuerant, edocuit. Interim vero Photiu
necdum quiescens Imperatori suggeri
ut Ignatium ad Ecclesiam Apostoloru
reduci juberet, ubi conscenso Ambon
suæ Depositionis paginam recitare &
ipsum anathematizare cogeretur; poste
autem & oculi eruerentur & manus a
scinderetur. Sanctum Pentecostes ag
batur Festum, quod illo anno octinge
tesimo sexagesimo primo in diem vige
mam quintam Maji incidebat, cum v
dit Ignatius, domum in qua versabatu
armatorum manu derepente circumd
ri. Tunc vero unius ex mancipiis su
amictum indutus & duas sportas ex un
ligno pendentes suis humeris imponen
egressus est noctis tenebris faventibu
Ita custodes elusi. Pergebat igitur l
crymis madefactus solo Discipulo suo Cy
priano comitante; tumque omnibu
ignotus cum naviculam conscendisset, a
Principis & Proconesi atque inde ad Pr
pontidis Insulas navigat, sæpe sedem m

tan

tans, atque in solitudine montibus aut cavernis latitans, ubi maximas ærumnas perferebat, & victitabat eleemosynis, quibus eum Fidelium Charitas sustentabat, ad mendicitatem redactum, Patriarcham, & Imperatoris filium. Photius autem spe frustratus omnia Monasteria & omnes civitates lustrari jubebat. Imo Oripham, Classiariis præfectum, cum sex lembis velocibus emisit, qui Ignatium in omnibus Insulis & omnibus oris quæreret, & inventum tanquam Reipublicæ hostem & ruinam interficeret. Aliquoties etiam exploratores sibi occurrentem Ignatium, cum habitu mancipium referret, Patriarcham non cognoverunt. Sæculum IX. A. C. 861.

Mense circiter Augusto Civitas Constantinopolitana per dies quadraginta ingentibus terræ motibus concutiebatur, toto populo clamante, Deum Vindicem ob injustam viri innocentis persecutionem pœnas reposcere. Ipse Imperator & Bardas perterriti publice juramento se obstrinxerunt, nihil mali se Ignatio, nec illis, qui ipsum occultassent, illaturos; itaque ei libere ad suum Monasterium reverti licere. His auditis Christi Athleta Ignatius, se ipsum Patricio Petronio manifestavit, qui cum Imperatoris Avunculus esset torquem ipsam Principis Patriarchæ attulit, obsidis instar. Hanc e collo suspendens Ignatius venit

Sæculum IX. A. C. 861. ad Bardam, cui sibi dicenti: *Cur fugitivo similis ad aliam ex alia regione percurrens peregrinaris?* respondit: *JEsus Christus præcepit: si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam.* Illum itaque Bardas ad suum Monasterium illæsum dimisit, atque illico terræ motus quievit.

§. XV.

Epistola Photii ad Papam.

Nic. p. 1214. Nicol. ep. 10. p. 354. Inter hæc Rodoaldus & Zacharias Legati, a Photio muneribus cumulati Romam redeunt, nihil aliud nudis verbis Pontifici renunciantes, nisi depositum Ignatium, & Photium in Sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies adest Leo Imperatori a secretis ejusdemque Romam Legatus, qui Papæ epistolam Domini sui reddidit cum duobus Voluminibus, quorum unum Depositionis Ignatii gesta, alterum de Sanctis Imaginibus acta continebat. (*) Michael Imperator in ea epistola Papam permovere nitebatur, ut Depositionem Ignatii & Ordinationem Photii confirmaret. Juncta erat epistola Photii, in quam, causam suam ipsemet dicens, omnem Elo-

quen-

(*) Quorsum hæc omnia, nisi quod Constantinopolitani crederent, consensum Romani Pontificis esse necessarium?

quentiæ artem contulerat. Summa autem hæc est. Sæculum IX. A. C. 861.

Charitate nihil pretiosius esse, omnes confitentur. Hæc enim filios parentibus, amicos amicis, & homines terrarum spatio remotissimos reconciliat. Hæc ipsa Charitas meæ mediocritati persuasit, non graviter objurgationes ferre, quæ a tua (*) Sanctitate jaculorum instar in me emissæ sunt, & fecit, ut has non iracundiæ, sed zelo tuo, quo ordinem Disciplinæ Ecclesiasticæ conservatum cupis, adscriberem. Utor vero illa libertate, quæ non inter fratres modo, sed etiam inter parentes & filios locum habet, & scribo, non ut tecum jurger, sed ut me defendam. Plane, non increpare me debuisses, sed commiseratione tangi, cum invitus ad id, quod maxime horrebam, compulsus fuerim. Deus quem nihil rerum humanarum latet, scit, vim extremam mihi fuisse illatam. carcerem missus sum tanquam magni criminis reus, appositi custodes, invitus electus sum. Flevi, pectus percussi, dolui, quod omnes sciunt. Num igitur non magis solatio quam exprobratione dignus fui? ap. Baro. an. 861.

Amisi pacem & vitæ dulcedinem, qua sedens domi meæ in medio amicorum & doctorum virorum fruebar. Studio sa-

pientiæ

(*) In versione apud Eminentissimum Baronium addita est vox: *paterna.*

Sæculum IX. A. C. 861.

Photius ad Nicolaum Pontificem.

pientiæ & Scientiarum delectabar, veri tatem in ſuavi otio quærebam. Cum ne mine in orbe terrarum mihi jurgia; im amicorum meorum virorum eruditorun fama plures alios ſcientiæ laude florente ad me invitabat. Sæpe Regiam adiba amicis comitantibus, ibique maneba quamdiu lubebat, iisque ſemper longa ba mora videbatur. His bonis omnibus ja privor, quæ ſatis deflere nequeo. No enim ignorabam, priusquam experire quot curarum ſpinis Dignitatis Epiſc palis faſtigium, ad quod evectus ſum, r geat. Non ignorabam populi pervic ciam, ad ſeditiones proclivitatem, & e ga ſibi præpoſitos inſolentiam. Si quo petit plebs deneges, obſtrepit, ſi conceda contemneris, quaſi id non tuo beneficio, ſ propria audacia obtinuerit. Epiſcop nunquam licet talem coram hominibus v deri, qualis eſt. Jam lætitiam profite oportet, triſtitia pectus rodente. Ira debet ſimulare, etſi non ſit commotu Vultum ſæpe ab animo alienum oſtende cogitur. At inter amicos candidam men tem verbis non fucatis aperire licet. Ep ſcopi officium ſæpe poſtulat, ut amicos r prehendat, conſanguineos negligat, omniu Peccatorum iracundiam in ſe provocet unde & omnis conditionis hominum inv diam incurrat neceſſe eſt. Quant mihi patientia opus eſt adverſus Sim niaco

niacos, licentius in Ecclesia confabulantes, rebus vanis, omissa propriæ salutis cura, inhiantes pugnanti? hæc omnia cum præviderem, Episcopatum fugiebam. Sæculum IX. A. C. 861.

Verum enimvero cur hæc scribo? nam si fides mihi adhibetur, injuriam accipio, quia nemo mihi condolet, si non adhibetur, rursus afficior injuria, quia veritatem scribenti non creditur. Non oportebat, inquiunt, tibi vim inferri, hoc dicite iis, qui vim intulerunt. At Canones violati sunt, prohibentes, ne quis e Laicorum ordine ad Pontificatus fastigium ascendat. Sed quis violavit? an is qui vim irrogavit, an qui per vim invitus attractus est? sed resistere oportuit. Restiti vero, & plusquam oportuit. Quod si sic non prævidissem infestorum ventorum procellas sæviores fore, restitissem etiam usque ad ipsam mortem. Ceterum Canones hos, qui violati dicuntur, ad hanc usque diem Constantinopolitanorum Ecclesia non recepit. Hic Photio sermo est de Concilio Sardicensi, & de Decretalibus SS. Pontificum Cœlestini, Leonis & Gelasii, quas Nicolaus in prima sua epistola ad Photium allegaverat. (*)

(*) Oportebat Photium modestius loqui de Epistolis Decretalibus SS. Pontificum, quorum in tota Ecclesia Primatum, ipsemet, ut infra videbimus, agnoscit.

Sæculum IX. A. C. 861.

Tum prosequitur: *Satis videri poterant, quæ dixi, nec enim ad hæc adductus sum, ut me justa defensione commendarem. Sed quemadmodum ingressus sum invitus, sic invitus sedeo. Veruntamen defensio Patrum nostrorum Nicephori & Tarasii, qui propter me vituperantur, mihi suscipienda est. Hi in ordinem Sacerdotum ex Laicis contra regulam & formam Ecclesiasticam adlecti dicuntur. At ignota ipsis erant hæ Regulæ; quas vero acceperant, fideliter custodierunt. Quilibet Regulis sibi traditis tenetur; permulti Canones a quibusdam recepti sunt, quos alii ne quidem de nomine noverunt. Situ tonderi aliis patrium est, aliis prohibitum. Ita præter unum alia etiam Sabbata observare apud nos reprehensione non caret, alii in pluribus jejunant. Legitimis nuptiis Presbyter Romæ uxori conjunctus non invenitur, nos vero edocti sumus, eos, qui uno conjugio contenti sunt, ad Presbyteri gradum evehere. Item si quis apud nos presbyterii consecrationem præteriens Episcopi honore Diaconum affecerit, condemnatur, quibusdam vero istud pari ducitur loco.* (*) *Nemo legem ob-*

Variæ Consuetudines.

servare

(*) Nullibi, quod sciam, exemplum satis clarum occurrit, Diaconos per saltum omisso Presbyteratus Ordine consecratos fuisse Episcopos; quod

Sæculum IX. A. C. 861.

observare quam non accepit tenetur, si modo nec Fides, nec Constitutiones universales violentur.

Nullatenus vituperandi sunt, qui e statu Laicorum ad Episcopatum evehuntur, sed potius summis laudibus efferendi, quod ita vitam suam moderati sint, ut omnibus aliis, quibus jam ante Sacerdotium obtigerat, ad Pontificatum præferantur. Non vestis, non capillorum figura, non temporis prorogatio, sed mores virum Episcopatu dignum reddunt. Atque hæc dicimus non nos ipsos commendantes, æque enim nos a moribus atque ab habitu abfuimus, sed Tarasium Proavunculum nostrum, sed Nicephorum & Ambrosium defendimus, quem condemnare Latinos (sat scio) puderet, Latinitatis decus, quique latino sermone multa eaque utilissima scripsit. Nec vero etiam Nectarius in eorum reprehensionem incidet, nisi simul Synodum Universalem, quæ ipsi Dignitatem Episcopi

Sup. lib. XLIV. §. 24. & 25.

XLV. §. 33.

Sup. lib. XVIII. §. 5.

quod etiam aliquatenus est impossibile, nam non potest ordinari Episcopus nisi ei conferatur potestas in Corpus Christi verum, idque nihil aliud est, quam Presbyterum creare. Unde totum potius de continuatione Ordinationis & Cæremoniarum sine interstitio quam de omisso Presbyterii Ordine accipiendum videtur. Utrum exempla certa de Ordinatione per saltum afferri possint, legatur Nota infra Lib. LI. §. 6. occurrens.

Sæculum IX. A.C. 861.

ſcopi confirmavit, in jus vocare velint. Et quidem eorum uterque non ſolum Laicus erat, ſed necdum baptizatus Pontificatus gloriam meruit. Ut jam nihil dicam de Gregorio Patre Theologo, de Thalaſſio Cæſarienſi, aliisque Epiſcopis, qui ita promoti omni vituperatione & calumnia caruerunt. (*)

Non hæc litigandi cauſa ſcribo, nam

Can. 17. Sup. *aſſenſus ſum, ut Synodice promulgaretur, ne poſthac ad Epiſcopatus ſublimitatem Laicus vel Monachus extollatur, niſi prius per Sacros gradus procederet. Nam paratus ſum occaſionem tollere offenſionis & ſcandali, quoties ſine peccato poſſum. Itaque regulam, quam vos obſervatis, ad præterita extendere Patribus erat contumeliam admetiri, in poſterum vero id ſtatue-*

re,

(*) Contra hoſtem non exiſtentem hic pugnat Photius. Siquidem non ideo in totum rejiciebatur ejus Ordinatio, quod ex Laicis fuiſſet aſſumptus, ſed ob aliam cauſam quam refert eminentiſſimus Cardinalis in hunc modum: *Ha ſua Apologia Photium omnes expleſſe numero Phariſæorum, quos Dominus in Evangelio acriter increpat, quod mundent quæ foris ſunt, & illa omittant quæ ſunt graviſſima crimina, cum totus ſit in excuſatione & commendatione ſui quod invitus ſit coactus ſedere ex Laico in Sede Epiſcopali, nullum prorſus verbum faciens quod Sanctiſſimus Ignatius ſit ejectus, & ipſe*

pe

re, nemini nocet. Atque utinam pridem Ecclesia Constantinopolitana regulam hanc servasset! sic enim influentium in me opprimentiumque incommodorum turbam effugissem. Undique circumdor impiis; alii imaginem Christi conspuunt, alii Naturas in eo confundunt, aut negant, alii novam Naturam inducunt, & quartam Synodum innumerabilibus maledictis incessunt. His bellum infero, & multos obedientia Christi captivavit. Sed etiam vulpes ex latibulis suis prodeunt, & simplices per fraudem ut pullos devorant. Schismaticas dico vulpes, quarum abscondita est malitia, multo iis infestior, qui aperte insidiantur. Hos omnes repressimus Decreto edito Concilii, in quo nobis per tuos Vicarios opitulatus es. Sed & plura

Sæculum IX. A. C. 861.

Epistola Photii.

Can. 13. 14. 15.

per excommunicatos suffectus. Sed præteriit ista ipse, cum sit eloquens, quomodo excusaret, non haberet.

Dixerat paulo ante Photius: *Nemo legem observare quam non accepit tenetur, si modo nec Fides nec Constitutiones Universales violentur.* Nunc autem Constitutio Ecclesiastica universalis certe erat, ne quis Episcopo vivo & legitime non deposito in ejus Sedem intrudi se patiatur. Itaque si se sincere purgare voluisset Photius, demonstrandum erat, Ignatium legitime fuisse depositum, priusquam ipse in Sedem Constantinopolitanam involasset.

Sæculum IX. A. C. 861.

plura alia iisdem Vicariis consentientibus promulgavimus; nec ulla Regularum a beatissima in Deo Paternitate vestra definitarum prætermissa esset, nisi Imperator obstitisset. Idcirco unacum venerabilibus Vicariis arbitrati sumus, expedire aliquos potius Canones dissimulare, quam omnes perdere.

Ep. 2. Sup. n. 11. Photius deinde transit ad Ecclesias Illyrici aliasque, in quas restitui sibi jurisdictionem Papa petebat, & dicit: *Reddidissemus, si res a nostro penderet arbitrio; cum vero de regionibus & finibus agatur, negotium ad administrationem Reipublicæ spectat. Ego vero non modo aliis reddere cuperem, quæ ipsorum sunt, sed etiam partem eorum, quæ antea huic Sedi dicata erant, petenti potius cederem quam ea retinerem. Qui jurisdictionis meæ partem in se transfert, gratiam a me init, levius enim mihi præfecturæ pondus facit. Tantum absum, ut sua petenti denegem, tibi præsertim tanto Patri, qui id per Vicarios tuos venerabiles & Deo amabiles viros postulas. Quippe hi vestræ paternæ Perfectionis Vicarii revera prudentia & virtute & multa rerum experientia fulgent, atque JEsu Christi Discipulis similes sua conversatione eum, a quo missi sunt, honorant. Ipsis etiam complura eorum, quæ scribi debuerant, exposui, cum mihi persuasum sit,*

sit, & dicere eos posse, quæ vera sunt, & multo magis quam alios dignos esse, quibus fides habeatur. Sæculum IX. A. C. 861.

Unum porro me pæne effugit, quod dici oportet; nimirum, cum neminem magis quam te (*) *Canones custodire deceat, ne eos, qui sine commendatitiis literis ad Romanam Ecclesiam hinc proficiscuntur, temere ac fortuito recipias. Nam ut quicunque voluerint Romam eant, & tuis fruantur* † *vestigiis, gaudemus, sed ut fiat sine nostra scientia nolumus. Complures enim peccatores sub pulcbra peregrinationis specie pœnitentiam, quam patratis rapinis, adulteriis, cædibus merentur, effugere quærunt, quos spe sua frustraberis, si literis nostris destitutos huc remittas.*

† scilicet osculando.

Hæc

(*) Ipsa verba in Card. Baron. sunt: *Canonum custodia a quovis bono debetur, magis vero ab iis qui divinæ Providentiæ dignatione alios regunt; omnium sane maxime, quibus in horum numero Primatus obtigit.*

Quamvis hic Photius numero plurali utatur, non tamen de Primatu cum Romano Pontifice contendere audet, sed etiam voce Paternitatis in hac Epistola eum sæpius honorat. Quomodo ergo Papa, qui prius ipso Photio fatente in universa Ecclesia Primatum tenuit, postquam Photio Sedem alienam invadenti adversatus est, eundem amisit?

Sæculum IX. A. C. 861.

Hæc est Photii Epistola, in cujus fine astute cavet, ne Romæ reciperentur, qui ipsum pro Patriarcha habere & Ignatium abjicere detrectantes Romam ad exposcendum Papæ præsidium proficiscebantur.

§. XVI.

Papa Legatorum suorum facta damnat.

Nic. ep. 10. *p.* 354.

Ex Epistolis Michaelis Imperatoris & Photii, multoque magis ex Actis Concilii Constantinopolitani Nicolaus Papa facile perspexit, Legatos mandatis suis omnino contraria egisse. Epistolam suam ad Imperatorem in priore Concilii parte, quæ ad Ignatii causam spectabat, non fuisse lectam, nec Legatos alterum ipsius Epistolæ exemplar, ut eis erat imperatum, protulisse. In secunda Concilii parte, ubi de Imaginibus actum, aliquam suæ Epistolæ partem fuisse lectam, sed ita mutatam, ut vix aliqua de Ignatio mentio appareret. Inde Pontifici pronum fuit conjicere, quam mala fide Græci ante adventum Legatorum suorum egissent, cum ista ipsis præsentibus gesta essent. Itaque ob Legatorum suorum socordiam admodum commotus, congregata universa Ecclesia Romana, præsente Leone Imperatoris Legato, declara-

claravit, nunquam se misisse Legatos, qui in Depositionem Ignatii, & Promotionem Photii consentirent, nec se ipsum unquam consensisse, nec in unum vel alterum consensurum. Sæculum IX. A. C. 861. *Ep. 13. p. 382*

§. XVII.

Joannes Archiepiscopus Ravennas ad Officium compellitur.

Eodem anno octingentesimo sexagesimo primo Nicolaus Papa Romæ Concilium celebravit, in causa Joannis Archiepiscopi Ravennatis, quem permulti ex illa civitate apud ipsum accusaverant. Is, sæpe per literas admonitus, pejor fiebat; nam Romam proficisci volentes avertebat, alios viros innocentes excommunicabat, privatorum Bona sine legali Judicio occupabat, Ecclesiæ Romanæ prœdia auferebat, suppressis titulis, & suæ tribuebat, Legatos Pontificios spernebat, Presbyteros & Diaconos non solum ex suis Clericis, sed etiam Sacræ Sedi subjectos, & in Provincia Æmiliana residentes, sine Judicio Canonico deponebat, quosdam carceri & antris teterrimis mancipabat. Idem alios ad confitendum datis literis crimina, quæ non admiserant, adigebat, a Summo Pontifice vocatus negabat, teneri se ad Synodum Romam pergere, & tandem chartas, *Anast. in Nic. p. 255.*

Sæculum IX. A.C. 861.

tas, quibus Anteceſſores ejus fidem & obedientiam S. Sedi promiſerant, in Tabulario Eccleſiæ ſuæ ſervatas, corruperat.

Cum eum Papa ter ſuis literis vocatum, & venire contemnentem excommunicaſſet, Ticinum ad Ludovicum Imperatorem ſe contulit, obtinuitque, ut ſibi concederentur Delegati, quibuscum tanto præſidio tumidus Romam pervenit. Pontifex Legatos benigne redarguit, quod cum viro excommunicato communicaſſent; iisque dolorem profitentibus, Joanni Archiepiſcopo præcepit, ut prima Novembris in illa Synodo, in qua excommunicatus fuerat, ſe ſiſteret, & factorum ſuorum rationem redderet. Ipſe vero Roma exceſſit. Tunc veri Æmilienſes & Senatores urbis Ravennæ innumero populo comitante, ad veſtigia Summi Præſulis inter lacrymas procidentes rogant, ut ipſe non dedignaretur Ravennam proficiſci, cauſam perſpiceret, & eos ab oppreſſione liberaret. Ivit Pontifex; cujus adventum ſibi non expectandum ratus Joannes rurſus Ticinum ad Imperatorem convolavit, & interim Papa edito Decreto civibus Ravennæ, Æmiliæ, & Pentapolis, Bona a Joanne Archiepiſcopo & Gregorio ipſius fratre uſurpata reſtituit.

Ticin

Ticini vero cives & Episcopus Luithardus a Papa olim consecratus, cum scirent, Archiepiscopum Ravennatem fuisse excommunicatum, in domos suas eum recipere noluerunt, nec pati, ut hominibus ipsius aliquid venumdaretur, vel solum colloquerentur. Atque etiam, si quos in plateis incedentes conspicerent, clamabant: *En, homines excommunicati! non licet nobis iis conjungi.* Interim Imperator Archiepiscopo præsidium suum imploranti renunciari jubet: *Vadat, & fastu depositio Pontificis voluntati se submittat, cui & nos* (*) *cum tota Ecclesia subjicimur. Secus, quæ cupit; non consequetur.* Nihilominus Imperator secundo permisit, ut eum Legati comitarentur, quibus, cum Romam perveniissent, dixit Papa: *Si Imperator hujus Archiepiscopi mores bene cognosceret, non solum nollet ejus patrocinium suscipere, sed eum etiam invitum nobis castigandum mitteret.* Tum Papa convocatis complurium provinciarum Episcopis Archiepiscopum venire jubet. Ille ter vocatus, cernens se ab omnibus destitutum, ad preces & lamenta conversus

Sæculum IX. A.C. 861.

(*) Vox Imperatore Christiano digna! ejusmodi testimoniis quod opponant, Protestantes nihil habent.

Sæculum IX. A. C. 861.

sus dicebat: *Rogate summum Præsulem ut mei misereatur. Faciam, quæcunque jusserit.* Ergo Papa eum recipere statuit; Archiepiscopus vero libellum suum in quo fidem & obedientiam tempore Ordinationis suæ non satis sincere promiserat, renovavit, & eum publice super Crucem & Evangelia jurans confirmavit.

His ita peractis, cum altera die Pontifex ad Ecclesiam Lateranensem cum omnibus Episcopis Clericisque processisset, Joannes Archiepiscopus de Hæresi cujus accusatus fuerat, se purgavit, & Papa ad Communionem receptus, licentiam quoque Missam celebrandi impetravit. Sequente die indulsit Pontifex ut in Concilio consideret. Ibi Episcopi Æmiliæ, quidam alii illius provinciæ incolæ & cives Ravennates dato contra eum Libello de compluribus abusibus conquesti sunt, qui ut emendarentur, Papa ex totius Concilii sententia mandatum suo nomine ad Joannem Archiepiscopum directum conscribi jussit in hunc modum: *Præcipimus tibi, ut singulis annis Romam venias. Episcopos per Æmiliam* (*) *non consecres, nisi, post Ele-*

&c.

(*) Æmilia, olim Regio Italiæ, partem Lombardiæ cispadanæ, & Romandiolam comple-

&c.

ctionem Ducis, Cleri, & populi, per Epistolam Apostolicæ Sedis Præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem Episcopos, quotiescunque ad Apostolicam Sedem accedere voluerint, nequaquam prohibeas. Sed & nihil quod SS. Canones non permittunt, aut quod eorum privilegia violat, exiges. Nullorum prædiorum possessionem invades, nisi ea tibi in Judicio Canonico Ravennæ præsente Papa, aut ipsius Legato, tuoque, adscripta fuerint.

Sæculum IX. A. C. 861.

§. XVIII.

Epistolæ Papæ ad Michaelem & ad Photium.

Cum Nicolaus Papa Leoni Oratori Constantinopolitano significasset, sibi nullatenus probari, quæ contra Ignatium & pro Photio acta essent, dimisit eum, traditis duabus Epistolis, una ad Photium, altera ad Imperatorem Michaelem datis. In Epistola ad Photium, illum virum admodum prudentem appellat, ut indicet, quod ipsum pro viro Laico habeat. Ad exempla vero, quæ Photius pro sua Ordinatione in amplissima Epistola attulerat, respondet in hunc modum: *Nectarius urgente necessitate* *Nic. ep. 9. p. 335.* *Nic. ep. 6.*

ctens, ab Arimino Placentiam usque protensa. Geogr.

Sæculum IX. A. C. 862.

Sup. Lib. XLIV. §. 25

electus fuit, quia nullum inter Clericos Constantinopolitanos tunc invenire erat quem Hæresis non inficeret. Ordinationem Tarasii Hadrianus Papa primum damnavit, & nunquam consensisset, nisi ejus zelum, quo restitutum Imaginum cultum cupiebat, cognovisset. S. Ambrosius non sine prodigio electus est, &, quod potuit, fecit, ut lateret. Tibi vero, prosequitur Papa, *& S. Ambrosio quid commune sit, non video; tibi, inquam, qui non solum ex Laicis evocatus es, sed etiam viri viventis Sedem ut Mœchus invadere præsumsisti? Quod vero dicis, neque Sardicense Concilium, neque Decretales Sanctorum Pontificum a vobis recipi, credere non possumus. Maxime, cum Sardicense Concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, ab omni Ecclesia recipitur. Decretales autem Epistolæ a Sacra Sede emanarunt, cujus Auctoritate omnia Concilia confirmantur.*

Dicis: vi mihi illata ad Sacerdotalem Dignitatem promotus sum. Cur ergo in throno Patriarchali vix stabilitus, non te mitissimum patrem, sed immitem & crudelem invasorem ostendisti, Archiepiscopos & Episcopos deposuisti, Ignatium, virum innocentem deposuisti? At quamdiu illius culpam non clarissime cognoverimus, nec eum pro deposito, nec tu pro Patriarcha habebimus. Quod spe-

stat

ctat ad varias Ecclesiarum consuetudines, quas nobis opponere videris, non eas damnamus, si iis Canonica non obsistit Auctoritas; cavere tamen volumus, ne hæc vestra consuetudo ex Laico subito ordinandi Episcopum vires accipiat. (*) Hæc Epistola decima octava Martii, Indictione decima, id est anno octingentesimo sexagesimo secundo data est. Saeculum IX. A. C. 862.

In Epistola ad Imperatorem Papa eadem pro Ignatii causa & contra Photium significat. *In manibus nostris sunt*, inquit, *Epistolæ vestræ, tam ad Leonem Antecessorem nostrum, quam ad nos ipsos datæ, in quibus Ignatii vitam laudatis, & Canonice ordinatum affirmatis. Nunc vero dicitis, eum multis accusationibus obnoxium fuisse expulsum, & Depositionis causam affertis, quod opera potestatis Sæcularis in Sedem se intruserit. Tandem dicitis, Concilio, in quo depositus est Ignatius, tot Patres, quot aliquando Concilio Niceno, interfuisse. Nos vero in Conciliis non ad numerum Episcoporum attendimus, sed Sententiæ pronunciatæ justitiam æstimamus.*

Eodem tempore, sed verisimiliter alia via, Papa tertiam Epistolam misit, ad o- *Ep. 4.*

(*) Ex hac Epistola sinceritas, veritas, scientia Canonum, & summa Auctoritas elucet.

Sæculum IX. A. C. 862. mnes Orientis Fideles directam, in qua poſtquam ſummatim hanc Cauſam & L gatorum ſuorum culpam expoſuit, d cit: *Oportet vos certiores fieri, nos nu lo modo in Ordinationem Photii, aut D poſitionem Ignatii conſenſiſſe, & nullam in hoc negotio partem habuiſſe.* Tu ſermone ad tres Patriarchas Alexandr num, Antiochenum & Jeroſolymit num, ad Metropolitas & Epiſcopos ſp ciatim directo, *vobis Auctoritate Ap ſtolica*, inquit, *præcipimus, ut de Ignat & Photii cauſa nobiscum eadem ſenti tis, atque has literas noſtras in Diœce bus veſtris prædicari curetis, quo ad om nium notitiam perveniant.*

§. XIX.

Photii Aſtutia.

Nic. vit Ign. p. 1215. Photius non modo Epiſtolæ Pontifici nullam rationem habuit, ſed etiam liam contraria omnia continentem in gni dolo commentus eſt. Fabulam v ro adornavit in hunc modum; adve aliquis, cui nomen Euſtratius, veſte m nachum præferens, ceterum in illum u que diem Conſtantinopoli nunquam v ſus, Palatium Patriarchale ingreſſus, ſp ctantibus omnibus, quotquot præſe tes erant, ait ad Photium, ſe Roma miſſum fuiſſe ab Ignatio, cujus Epiſtola (nempe confictam) ad Nicolaum Papa dir

directam simul Photio reddidit. In ea Ignatius persecutionem, quam passus erat, vivis coloribus depingere videbatur; *sed Papa*, addidit Eustratius, *ne quidem eam aspicere dignatus est. Quod me coegit, ut eandem huc referrem.* Mox alteram Photio tradit Epistolam nomine Nicolai Papæ scriptam, in qua excusabat, quod inter ambos irrepsisset discordia, se vero deinceps Communionem & amicitiam indissolubilem cum Photio exculturum. Illico Photius has Epistolas ad Imperatorem & Bardam Cæsarem defert, quo amborum animi in Ignatium irritarentur, si crederent, Ignatium eos apud homines exteros calumniare voluisse. Tunc vero mittuntur iterum milites, qui Ignatium custodirent, & inquiri cœptum, an nulla fraus huic rei subesset. Quæstio de Eustratio habetur, jubetur edicere, quis ipsi Epistolam Ignatii ad Papam tradidisset. Dicit, hanc se a Cypriano Ignatii Discipulo accepisse, cumque per spatium unius ferme mensis urgeretur quæstio, ut manifestaret, ubi iste Cyprianus esset, tandem patuit, tam Cyprianum quam ceteros omnes Ignatii familiares huic homini esse penitus ignotos. Ita fraude detecta Bardas Eustratium virgis acerrime cædi jubet, Photio frustra efflictim rogante, ut parceret. Qui postea con-

Sæculum IX. A. C. 862.

Sæculum IX. A. C. 862.

solaturus afflictum, effecit, ut apparitoribus præficeretur. Tempore non multo elapso satis exploratum, ipsum Photium Epistolas fabricasse, & astutissimi sceleris auctorem extitisse.

P. 1218.

Haud multo post tempore ad Photium defertur, Ignatium Altare, a Russi in illa Insula, in qua ejus positum era Monasterium, eversum reparasse. Ill apud Imperatorem conqueritur, crime maximum esse admissum, nec enim lice re viro deposito Sacras Episcopalis Offi cii functiones peragere. Ergo in illun locum duo Metropolitæ mittuntur, qu Altare ipsis jubentibus e loco avulsun ad littus maris deportant, quadragesie lavant, & in pristinum locum repo nunt.

Interim Photius dissimulabat impio mores Imperatoris, qui divinam Religionem ludibrio habens inter Sycophantas suos propudiosæ licentiæ socios nulla re magis delectabatur, quam cum Sacras Cæremonias scurrili mimo imitaretur. (*) Cum in Festo Ascensionis Domini

Sup. Lib. XLIX. §. 17

(*) Hic observet Lector studiosus Auctores Schismatis Græcorum, Photium, superbiæ mancipium, & Michaelem impium Imperatorem, Photius nihilominus a Cave laudatissimus homo est. Sed non invidemus hos Duces, quibuscunque eos sequi lubet.

mini anno octingenteſimo ſexageſimo motus terræ totam civitatem Conſtantinopolitanam perterruiſſet, Baſilius Archiepiſcopus Theſſalonicenſis auſus eſt virili conſtantia Principem corripere, dicens, eum factis impiis iram Dei in totam civitatem provocare. At Imperator more tyrannorum incenſus Epiſcopum colaphis tundi juſſit tam crudelem in modum, ut dentes exciderent, moxque dorſum ita flagris (*) dilaniari, ut etiam de vita periclitaretur. Photius econtra ab Imperatoris latere non avellebatur, & cum ſacrilegis hiſtrionibus menſæ ejusdem accumbebat. Unde ipſe Imperator cavillans dicere ſolebat: *Ego Theophilum* (erat is Ludionum ſuorum princeps) *habeo Patriarcham, Cæſar Photium, & Chriſtiani Ignatium.* Sæculum IX. A. C. 862. p. 1214.

§. XX.

Concilium Piſtenſe.

In Francia Rex Carolus Calvus eodem anno octingenteſimo ſexageſimo ſecun- to. 8. Conc. p. 755. 776. Ann. Bert. 862.

(*) Id quoque Græcorum mores non parum dehoneſtabat, quod ſæpiſſime non plebejorum modo, ſed etiam virorum Magiſtratu ſpectabilium, Conſularium, Presbyterorum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Imperatorum depoſitorum etiam, humeros virgis cædere non puderet.

Sæculum IX. A. C. 862.

cundo, Indictione decima, cum annum Regni ſui vigeſimum tertium auſpicare tur, Concilium celebravit. Juſſerat i quemdam vicum, vulgo *Piſtres* ad Se quanam, ubi in eam Andela undas de volvit, ad repellendos hoſtes parari quippe Normanni ibi caſtra munita al quamdiu tenuerant. Apud illum igitu locum ad promovendum opus commo rans Comitia convocavit, Conciliis dein de adnumerata, quo Epiſcopi ex quatuo provinciis convenerunt. In iis Capitu lare, quatuor amplos articulos compl ctens, ad reprimenda latrocinia promu

c. 1. gatum. Primo Rex ceterique in h Conventu præſentes profitentur, illi temporis calamitates præſertim Norma norum latrocinia pœnas eſſe, a juſto C lo ad caſtiganda peccata ipſorum immi

c. 2. ſas. Deinde ſtatuitur, ut cuilibet Epi copo in ſua Diœceſi, Regiis præfectis ſuo territorio, & Comitibus in ſuo C mitatu, curæ ſit, raptores ad ſatisfacie dum legibus compellere. Epiſcopi a tem ſecundum Canones pœnitentia hujusmodi criminis convictis injun gant.

c. 3. His, qui ejusmodi flagitia publice p trarunt, tempus usque ad Feſtum S. R migii prima die Octobris celebrandu præſtituitur, intra quod Deo & parti la ſæ ſatisfaciant. Si non obediant, omn

eorum

eorum Bona Fisco addicantur, & ipsi excommunicentur. Pœnæ in præcedentibus Capitularibus statutæ renovantur. Optimates rapinarum a suis Vasallis & familiaribus commissarum rationem reddere teneantur. Eos Episcopi excommunicent, donec damna illa resarciant, & subditos ad peragendam pœnitentiam compellant. Episcopus qui suo officio, cum castigandi Optimates aliive tenuioris conditionis homines essent, defuerit, a Communione Confratrum suorum excludatur. Sed tam exigua erat istarum legum reverentia, ut malis non tam mederentur, quam proderent, esse illa remediis longe majora. Sæculum IX. A. C. 862.

§. XXI.

Rotadi Suessionensis causa.

Rotadus Episcopus Suessionensis querelam contra sententiam, in se anno superiore ab Hincmaro Metropolita suo latam, ad Concilium Pistense detulit. Is jam ultra annos triginta Sedem Episcopalem Suessionensem tenens, cum alteri Rotado anno octingentesimo trigesimo primo successisset, circa annum octingentesimum quinquagesimum octavum quemdam suæ Diœcesis parochum, cum muliere in flagranti scelere deprehensum, & pudendum in modum mutilatum, in Concilio triginta trium Episcoporum *An. Bert. 862. Coint. an. 831. n. 29. Lib. Rot. to. 8. Conc. p. 787.*

Sæculum IX. A.C. 862.

porum ad judicium vocavit, depoſuit, & alium in ejus locum ſuffecit. At Hincmarus pridem Rotado infenſus poſt lapſum trium annorum hunc Presbyterum reſtituere molitus eſt. Quippe illius Presbyteri Succeſſorem in Eccleſia, die Dominica, Miſſam pro populo celebrare parantem comprehendi, & ad ſe adduci juſſit, excommunicavit & in carcerem compegit. Priorem vero Parochum reſtituit, tanquam injuſte a Rotado depoſitum. Rotadum deinde querelas moventem Hincmarus in Concilio Provinciali ad S. Criſpinum Sueſſione anno octingenteſimo ſexageſimo primo tanquam contumacem Communione Epiſcopali, usque dum pareret, privavit.

An. Bert. 861. to. 8. Conc. p. 736.

Contra hanc igitur Sententiam Rotadus in Concilio Piſtenſi actionem movit, & Hincmaro econtra poſtulante, ut ſua ſententia confirmaretur, ad Sacram Sedem appellavit. Totum acquievit Concilium, & Hincmarus, cum repugnare non poſſet, Rotado diem præſtitui voluit, qua iter Romam ingrederetur. Rotadus ſine mora Sueſſionem rediit, & omnibus ad profectionem Romanam præparatis, ad Regem Carolum, Dominum ſuum, & ad Hincmarum Metropolitam dedit Epiſtolas, quibus Eccleſiam ſuam ſe abſente commendabat. Presbyterum quoque, cujus Depoſitio hujus litis

Lib. Rot. to. 8. Conc. p. 785.

tis causa erat, data Epistola jussit Romam proficisci, ubi una secum judicium subiret. Per eundem Tabellarium cuidam Episcopo amico suo misit commentarium, in quo ea conscripserat, quæ Episcopis, in suam condemnationem non consentientibus, essent suggerenda, ut ad eum defendendum instruerentur. Sæculum IX. A. C. 862.

Episcopus ille Rotadi amicus apud Regem tunc non erat; sed Hincmaro præsenti nescio quis indicavit, Presbyterum Epistolarum latorem habere commentarium ad Episcopos directum. Ille protinus permovit Regem, ut Episcopos, quotquot adhucdum aderant, convocaret, quibus præsentibus Presbyterum jussit reddere Epistolas, quas haberet ad Concilium datas. Ille vehementer repugnare & dicere, neutiquam se ad Concilium missum esse; sed frustra, quippe Rege imperante commentarium exhibere coactus est. Hincmarus vero dicere, quod hoc facto Rotadus appellandi ad Papam animum abjecisset, seque rursus Episcoporum Judicio submisisset. Ergo ipso auctore Rex Trasulfum Abbatem Corbejensem Suessionem mittit, qui maxima celeritate illo contendens prius advenit, quam Rotadus discessisset. Tum Ecclesiæ vestibulum ingressus publice Regis & Archiepiscopi nomine vetuit, ne quis Rotadum in hoc itinere comitaretur. Rotadus Suessionensis.

Sæculum IX. A. C. 862.

retur. Rotadus, ignorans novi mandati causam, profitebatur velle se Romam ire, & appellationis suæ causæ vacare. Sed non auditur & custodiæ traditur. Tum Synodo in Ecclesia S. Medardi Suessione convocata Rex ipse adest. Hincmarus tres ad Rotadum mittit Episcopos cum mandato; Rotadus ad Concilium veniret. Ille respondet, non audere se ire contempta S. Sedis auctoritate ad quam appellasset, & jam secundo appellaret. Episcopi ejus responsi ad Synodum relato, statim secundo & tertio mittuntur, ut eum ad Concilium vocarent, & constanter renuentem invitant, ut saltem veniret in locum Concilio proximum ad colloquendum Regi data fide, incolumem fore. Clericis Ecclesiæ Suessionensis, qui cum ipso erant suadentibus, ut ad Regem iret, consensit, & ad illum locum deduci se passus est vestibus indutus Sacerdotalibus in pectore Evangelium & Crucis lignum gerens; quod forte faciebat magis ob reverentiam Regis, quam ut timori suo consuleret.

Solus in conclave prope fores Concilii deductus misso ad Regem Diacono cui nomen Luido, rogat, ut sibi liceret Regi loqui. Venit Rex, & Rotado eum obtestante, ut sibi libertatem jam priùs concessam Romam eundi non adimeret,

hæc licentia, inquit, *potius a Concilio & Metropolita tuo petenda est; ego enim, quidquid Episcopi decreverint, exequor.* His ad Concilium regreditur. Iterum mittuntur ter Episcopi, qui Rotado jam precibus, jam minis vehementer instant, ut in Concilium ingrederetur. Ipse in proposito immotus, in ipso conclavi arcte custoditur, dum Synodus, cui Hincmarus præerat, in eum sententiam pronunciat & ab Episcopatu deponit. Mittuntur tres Episcopi, qui cadentibus lacrymis sententiam denunciant. Ipse in terram se demittens per Deum obtestabatur, ne hujus causæ judicium sibi arrogarent, sed libertatem eundi Romam relinquerent. Mox comprehensus in quodam Monasterio carceri includitur. Alius postea Episcopus in Ecclesia Suessionensi electus. (*). Sæculum IX. A. C. 862.

§. XXII.

Hincmari Tractatus de Lotharii Divortio.

Sub idem ferme tempus redditur Hincmaro Libellus continens quæstiones viginti tres de divortio Regis Lotharii & Theutberga, quem miserant complures viri spectati tum Ecclesiastici tum Laici, roga- *De Div. Loth. & Th. to. 1. p. 557.*

(*) Hincmarus in hac causa nec Canonice, nec bona fide egisse videtur.

Sæculum IX. A.C. 862.

rogabantque, ut sibi quid sentiret, sup
pressis eorum nominibus, rescriberet
Hinc Tractatum composuit ad Reges
Episcopos, omnesque Fideles, utpot
quorum omnium interesset. Primo qua
rebatur, an ratio habenda esset Confe
sionis secretæ a Theutberga in duobu
Conciliis Aquisgranensibus anno octin
Sup. §. 6. genteſimo sexageſimo editæ. Hincma
rus respondet; oportuisse, ut de Confe
sione Reginæ Marito in pagina data La
ci secundum leges, non vero Episcopi se
cundum Canones judicarent. Proind
non debuisse Episcopos facta hac confe
sione matrimonium solvere, nec uxo
pœnitentiam publicam injungere; qui
tunc rei condemnandi sunt, cum clar
argumentis convincuntur, vel delictu
ore proprio coram Judicibus confitentu
Interr. 11. Captata transitione Hincmarus quæri
Interr. 1. quare Episcopi hortati fuerint Reginam
ne crimen, cujus conscientia sibi non es
set, fateretur, nisi id saltem sciverint
quod confessura esset? item an fidem me
reantur Regis Lotharii verba, cum di
xit, tantum abesse, ut Theutbergam ad
crimen confitendum vellet compellere
ut potius ejus lapsum maxime doleret
ille ipse qui publice declaraverat, quod
post probationem per aquam calidam ac
quievisset, etiamsi falsum esse judicium
sciret.

Quære

Quærebant etiam in genere; quibus ex cauſis conjuges poſſint ſeparari, & an ſeparatis ad alias nuptias tranſire liceret. Hincmarus reſpondet: *Secundum Evangelium ob ſolum adulterium uxor dimitti poteſt, & præterea mandatum Epiſcopi accedat. Separatis vero ad alias nuptias tranſire non licet.* Re ipſa nullum argumentum niſi ſola ſuſpicio contra Theutbergam pugnabat, & priusquam pro rea haberetur, a principibus Laicis condemnanda fuiſſet. Item, cum Theutberga per probationem aquæ ferventis fuiſſet abſoluta, quærebant, quid de ejusmodi judiciis eſſet ſentiendum. Illa Hincmarus defendere nititur, non ſolum illius ætatis conſuetudine, ſed etiam Auctoritate Scripturæ, quam pro ſuo explicat arbitrio. Objicit ſibi ipſi Capitularia & Canones, quibus nihil ſolidum ſatis reſpondet. In omnibus forte Hincmari Scriptis nihil debile magis repereris. Aſſerit deinde, Theutbergam probatione aquæ ferventis purgatam, atque auctoritate Procerum & Epiſcoporum Benedictione marito ſuo reconciliatam, eodem crimine iterum accuſari non poſſe. *Attamen*, dicebant, *homo Theutbergæ illæſus evaſit, quia illa crimen ingenue confitebatur, aut, quod alii putant, quia, cum factum negaret, in mente verba dirigebat ad alium fratrem ejusdem nominis,*

Sæculum IX. A. C. 862.

Matth. 19, 9.

Interrog. 7. *Interrog.* 8.

Sæculum IX. A. C. 862.

quocum nunquam rem turpem admisi
Hincmarus jure merito inconditas ar
tias ridet, unde sequeretur, vel a D
falli homines, dum personam ream t
quam innoxiam exhiberet, vel Divin
mentem falli. Si vero in illa probat
ne fraus interveniisset, non negat Hi
marus, rem denuo ad examen voc
posse.

Interr. 9.

Præterea quærebant: *Estne credi*
le, dari mulieres, quæ maleficio odium
placabile inter maritum & uxorem, n
susque amorem ferventissimum ponere,
omnino complexum conjugalem impe
possunt? Hincmarus id fieri posse
debat, (*) & Deum non nunquam in
nam peccatorum permittere Dæm
bus, ut multis ærumnis opera magor
homines afficerent. Dicebat hanc
maxime Episcopis curæ esse debere, ip
que e Cathedra contra maleficos ve
menter declamandum. *Si nihilom*
non emendantur, subjungit Hincma
custodiæ tradantur, & si Servi sint,
eos corrigendos flagra & tormenta a
beantur, si Liberi, ad peragendam pe
tentiam includantur. Si his pœnis
clesiasticis nihil efficiatur, Rex impio
vere non sinat.

Interr. 15.

An dentur fagæ & veneficiæ.

Interr. 17.

p. 664. *ex Greg. l.* 7. *ind.* 2. *ep.* 66.

Rur

(*) Fleurius autem non credere videtur

Rursus, *si novum instituatur Judicium, in quo Theutberga probetur nocens, an tunc Lothario alteram ducere licebit?* Hincmarus respondet: *Si matrimonium primum ex Legibus Ecclesiasticis & Civilibus declaratum fuerit nullum, Lotharius alteri mulieri jungi potest; stante autem priore matrimonio, quæcunque separationis causa subsit, neutri parti licet ad alias nuptias transire.* Item, *si Rex crimina admisit, quæ pœnitentia publica delenda sunt, an alteram uxorem ducere potest, si aliunde liber sit?* Responsum: *Possunt ipsi concedi secundæ nuptiæ, in remedium incontinentiæ. Si conceditur aliam accipere, an ei licebit illi mulieri conjugio legitimo jungi, cui, stante priore matrimonio, adulterio junctus fuit?* Responsum: *Licebit, si pœnitentiam subierit, & aliunde sua libertate gaudeat.* Item, an sit constans doctrina Ecclesiæ, Confessariis defensionem pœnitentium, qui ipsis peccata sua confessi fuerint, in se suscipiendam esse, & obsistendum, ne ob illa ipsa crimina, aliunde vulgata, in judicio sæculari puniantur? *Absurdum est hoc affirmare; sed præsidium, quod Episcopi peccatoribus concedunt, nunquam Justitiæ vindicativæ potestati resistat.*

Sæculum IX. A. C. 862.

Interr. 19.

Interr. 20.

Interr. 21.

Interr. 22.

Qui has Quæstiones Hincmaro proposuerant, interjectis sex mensibus alias septem quasi disputandi causa ad eundem

Sæculum IX, A. C. 862.

miserunt; videlicet, *cum in Regno* [L]*tharii Episcopi ipsius Proceresque sem*[-] *tiam in causa inter ipsum & uxorem* [p]*nunciaverint, hæc res ad cognition*[-] *Episcoporum alterius Regni deferri* [n]*debet. Non expedit causam ab Episc*[-] *semel judicatam iterum moveri; qui*[-] *sic eorum auctoritas destruitur. Alio*[-] *Archiepiscoporum, excepto Papa, non major auctoritas, quam illorum, qui bac causa Judices fuere, &, si eo*[-] *damnatur judicium, deponendi sunt,* [-] *cunque in ferenda iniqua sententia ta*[-] *peccati participes extiterunt.* Ad [h]tria sibi objecta Hincmarus respond[-] esse propositiones schismaticas; qui[-] unam esse omnium Regnorum Ec[-] siam, (*) atque per Canones licere a C[-]

p. 683. q. 1. Hincmarus de divortio.

q. 3.

(*) Optimam Doctrinam hic tradit Hinc[-] rus. Una est in universo orbe JEsu Christi [-] clesia; atque unitas hæc soli Ecclesiæ Rom[-] Catholicæ convenit. Hodie in paginis Hist[-] cis Ratisbonensibus lego, Delegatos Provin[-] quæ speciatim Hollandia dicitur, tandem in [-] ptias Principis Nassovio-Weilburgensis cum P[-] cipe Carolina Arausica, Wilhelmi junioris, [-] Administratoris septem Provinciarum unita[-] Sorore, consensisse, addita sequente cautio[-] Daß sie den Fortgang und die Vollziehung [-] gedachten Vermählung geschehen lassen wer[-] ohne sich dagegen zu setzen, jedoch mit dem [-]

cilio particulari ad Concilium majus, & tandem ad Papam appellare. Item pro Lothario afferebatur: *Si ei non permittitur aliam uxorem accipere, Theutbergam, nolit velit, revocare compelletur,* Sæculum IX. A. C. 862. *p.* 686. *q.* 4.

F 3 *non*

behalt, daß man auf keine Weise dafür halte, daß dieses Nachgeben der Entschliessung vom 16. Nov. 1747. Eintrag thuend oder zuwiderlaufend angesehen werde. Als welche Ihro Edlen und Großmögenden vollkommen wie ein unveränderliches Gesetz des Staats bey ihrer Kraft zu erhalten willens sind. Declaratione vero anni 1747. cavetur, ut Administrator Reipublicæ nunquam aliam Religionem profiteatur, quam, ut in Hollandia vocant, veram Reformatam, qualis in Ecclesiis Provinciarum unitarum viget. Nunc autem, cum Princeps Carolus Nassovio-Weilburgensis Principis Carolinæ Sponsus Confessioni Augustanæ addictus sit, timent Hollandi, ne jus in Administratoris munere succedendi aliquando ad Principes illi Confessioni addictos devolvatur. Sed cur, quæso! id timeant, cum Princeps Weilburgensis membrum sit illius Ecclesiæ, quam ut Deus conservet, & contra Adversariorum (nempe Catholicorum) insidias tueatur, singulis annis & speciatim anno 1759. indictis in tota Republicam jejunii, orationis & pœnitentiæ diebus iidem Domini Hollandi precantur? nam id vel maxime Communionis Ecclesiasticæ, aliquod saltem, indicium est. Vel enim reformati Hollandi Confessionistarum Ecclesiam credunt esse ve-

ram

Sæculum IX. A. C. 862.

non ſine periculo, ne quacunque demu via ab inviſæ mulieris conſortio ſe lib ret. Rex eſt, ſolius Dei judicio ſubj ctus, qui nec ab Epiſcopis Regni ſui n ab aliis excommunicari poteſt. Tande

q. 6.

q. 7.

quærebatur, an non liceret cum Loth rio communicare. Hincmarus reſpo det; Epiſcopos Lotharium non eſſe con pulſuros ad revocandam Theutberga quod reconciliationem inter conjuges berrimam eſſe oporteret; ipſam vero Lotharium non redituram, niſi pactis conditionibus, quibus ſaluti ſuæ ſa conſultum crederet. Lotharium q dem eſſe Regem, ſed ideo neutiquam Legibus Eccleſiaſticis exemptum; pe cata vero Regum eo eſſe graviora, qu nunquam abeſſet ſcandalum. Imo aff

q. 695.

mare videtur Hincmarus, Regem n eſſe, qui Regis officium non implen

---

ram JEſu Chriſti Sponſam, vel adulteram? credunt eſſe veram, cur Communionem n ſolum in Spiritualibus, ſed etiam in Tempor bus cum Adminiſtratore Confeſſioniſtarum Ecc ſiæ adſcripto reſpuunt? ſi falſam, cur eandc Eccleſiam ſingulis annis cum omnibus aliis toto terrarum orbe diffuſis Proteſtantium Ecc ſiis a Deo conſervari & defendi orant? Nem omnes Proteſtantes, præſertim in Articulo: qu ſit Eccleſia, deſtruunt, ædificant, & quid affi mandum negandumve ſit, neſciunt.

& Principibus impiis neminem teneri obedientiam præstare. Sæculum IX. A. C. 862.

Erant, qui Hincmaro objicerent, quod in Episcoporum Sententiam Regi Lothario faventem consensisset. Ipse fatetur, se ad Synodum in Regno illius Principis celebratam fuisse invitatum, sed probat, rogasse se, ut excusatus haberetur, tum morbi causa, tum quod tempus sibi non fuerit, quo Episcoporum Provinciæ suæ mentem & vota exquireret, sine quibus quidquam extra suam Diœcesim agere secundum Canones sibi non liceret. *Interrog.* 3. *p.* 583.

§. XXIII.

Lotharius Waldradam ducit.

Inter hæc Lotharius Concilium vigesima octava Aprilis anno octingentesimo sexagesimo secundo, Indictione decima convocavit. Adfuere Episcopi octo, videlicet Guntharius Colonienſis, Archicapellanus, quem Rex dulci spe lactabat, ipsius neptem ad regias nuptias perventuram, Theutgaudus Trevirensis, Adventius Metensis, Hatto Virdunensis, Arnoldus Tullensis, Franco Tungrensis, Hangarius Ultrajectensis & Ratoldus Argentoratensis. Prætextus conveniendi fuit, quod id necessitas Ecclesiarum exigeret, revera autem aderant, ut de novis Regis nuptiis agerent. Is Episcopis Libel- *to.* 8. *p.* 736. *p.* 741.

Sæculum IX. A. C. 862.

lum obtulit, in quo postquam eos Mediatores inter Deum & hominem appellasset, & confessus esset, Dignitatem Episcopalem Regali esse majorem, dicit, se eorum secutum consilia Theutbergam dimisisse, atque paratum esse, peccata, quæ ex illo tempore carnis fragilitate lapsus admisisset, pœnitentia ab Episcopis sibi injungenda delere. Tum subdit: *Mementote me esse juvenem, &, quid consilii capiendum mihi, edicite. Caterum fateor, quod a commercio cum fœmina continere me non valeam, & tamen peccatum devitare cupiam. Hinc, obsecro! periclitanti opem ferte.*

Cap. 4. &c. p. 743.

Cum Theutgaudus Archiepiscopus coram Concilio fuisset testatus, Regem Lotharium tota Quadragesima jejunando, eleemosynas largiendo, aliaque bona opera perficiendo, etiam nudis pedibus incedendo pœnitentiam, qua stupri cum pellice admissi consuetudinem expiaret, subiisse, Concilium duobus delectis Episcopis quæstionem examinandam tradidit; qui cum nocturnis horis laborassent, mane Libellum attulerunt, in quo suam sententiam exponebant, eamque ex Scriptura, Conciliis & Patribus probabant. *Quæstio in eo vertitur,* inquiunt, *an homo, relicta uxore sua, ipsa luce fruente, aliam ducere possit. Secundum Evangelium non potest dimitti uxor*

p. 745.

Matth. 5, 32. 19, 9. Marc. 10, 11.

nisi

nisi ob adulterium, & quicunque dimissa uxore sua aliam accipit mœchatur. In hoc facto non invenimus causam divortii; nam scelus, quod Theutbergæ objicitur, ante conjugium commissum dicunt; unde adultera non est. Et si noxæ ante matrimonium admissæ in memoriam revocare liceret, maritis & multo magis uxoribus ansa præberetur matrimonia sæpissime dissolvendi. Sed matrimonium, de quo movetur quæstio, neque ob incestum solvi potest, cum Lotharius & Theutberga nullo propinquitatis gradu conjuncti sint, & incestus, crimen quo se cum tertio antea polluisset, a marito objici non possit. Quam ob rem Lotharius Theutbergam licite retinere & potest, & debet. Nihilominus, hac sententia sapientissimorum virorum rejecta, definivit Concilium, Lothario in eo conjugio permanere non licere, innixum Canoni Concilii Ilerdensis, in quo dicitur, incestum committentes tamdiu esse excommunicatos, quamdiu ab illicito commercio non abstinent. At, constabat utique, Theutbergam fratri suo nunquam nupsisse. Itaque hujus Concilii Episcopi præsumentes, satis se ostendisse, Matrimonium non esse validum, Lothario licentiam dant, aliud legitime ineundi, adducentes pro sua sententia Commentarium in S. Paulum, qui S. Ambrosio tribuitur, ubi legitur; legem con-

Sæculum IX. A. C. 862.

Luc. 16, 18.

Theutberga defenditur.

Conc. c. 7. *Sup. lib. XXXII. §.* 2.

in 1. *Cor.* 11.

Sæculum IX. A. C. 862.

tinentiæ post separationem conjugum ob causam fornicationis non æque ambas partes obstringere, & solam uxorem non vero maritum ligare. Omnes in eo consentiunt, hunc Commentarium S. Ambrosium auctorem non habere, & non nulli credunt, verba, de quibus hic agitur, a quoquam per fraudem fuisse adjecta. Ut ut autem hoc se habeat, constanter ab omnibus in Ecclesia Latina contrarium docetur.

v. not. ed. Bened. & 4 sent. dist. 35. Conc. Trid. Sess. 14. c. 7.

Hac sententia pronunciata, cum Rex liberum se putaret, ad Regiam vocatur neptis Guntharii Archiepiscopi; quæ vero probrose iterum ejicitur, postquam puellæ Rex una nocte, ut ferebatur, illusisset. Mox Waldrada publice prodire visa est, quam Lotharius jam diu alebat, Theutbergæ æmulam, unicam divortii causam. Hanc igitur inter solemnes ritus publice ducit, & Reginam coronari præcipit, amicorum præcipuis vehementer dolentibus. Ceterum ajebant permulti, Regem juvenem a Waldrada fascino captum teneri.

Ann. Met.

Annal. Bert.

§. XXIV.

Conventus Sabularienſis.

His nuptiis Carolus Lotharii patruus non parum offensus. Is asylum Theutbergæ in Regno suo concesserat, ejusque causam aperte tuebatur, & eodem

dem anno octingenteſimo ſexageſimo ſecundo Abbatiam S. Martini Turonenſis Huberto Theutbergæ fratri contulerat. Sed plura erant, de quibus Carolus adverſus Lotharium querebatur; nempe quod Ingeltrudi Boſonis uxori, quæ jam ab annis quinque maritum fugerat, ſuo præſidio foveret, &, quo Carolus acerbiſſime lædebatur, quod in regno ſuo retineret Juditham ipſius filiam a Comite Balduino raptam. Nam Judith, Edilulfi Regis Anglorum vidua, in Franciam reverſa, cum Balduino ejus nuptias ambienti faciles aures inſcio Carolo patre dediſſet, ſub aliena veſte procum ſecuta in Regnum Lotharii ſe receperat; iratus vero Carolus fugitivos præcepit damnari a regni proceribus Epiſcopisque, qui præterea ambos excommunicarunt. Hic eſt Balduinus, a quo veteres Flandriæ Comites genus ducebant. Igitur Carolus Calvus Lotharii nepotis ſui aſpectum fugiebat, & pro excommunicato habebat.

Sæculum IX. A.C. 862.

Sup. §. 10.

Ann. Bert. 862.

At Ludovicus Rex Germaniæ Caroli frater miſſis ad eum Legatis irritatum mitigavit, permovitque, ut ſecum Sabulariam prope Tullum ſe conferret, quo etiam Lotharius venturus erat. Priusquam tamen Carolus Lothario colloqui vellet, Ludovico tradidit paginam, in qua injurias ab ipſo acceptas referebat, dice-

ibid.

Capit. tit. 35. *to.* 1. *p.* 163.

Sæculum IX. A. C. 862.

dicebatque, adduci se non posse, ut cum eo communicaret, nisi judicio Papæ & Episcoporum se submissurum promitteret. Cum itaque Carolus hanc paginam ab ipso Ludovico & quatuor Episcopis, Alfrido Hildesheimensi, Salomone Constantiensi, Adventio Metensi, & Hattone Virdunensi ad Lotharium deferri petiisset, peracta legatione retulerunt, Lotharium, omnia se facturum, quæ Carolo viderentur, pollicitari. Tunc demum Carolus præsentibus etiam quatuor Episcopis Hincmaro Remensi, Hincmaro Laudunensi, Odone Bellovacensi, & Christiano Antissiodorensi, venientem ad se Lotharium amplexus est. Hic Conventus Sabulariensis tertia Novembris anno 862. solutus est.

§. XXV.

Pontifex Legatos in Franciam mittit.

Nic. ep. 17. *ep.* 50. *p.* 448.

Ceterum tam Lotharius quam Theutberga ad Nicolaum Papam Oratores suos miserant. Lotharius ad hanc Legationem obeundam duos Comites delegerat, dederatque Epistolas Pontifici reddendas, in quibus dicebat; Regni sui Episcopos & quosdam alios suam sententiam aperuisse, quod repudiata Theutberga Waldradam ducere sibi liceret. Se vero, ne leges Ecclesiasticas spernere vide-

videretur, ad ipsius Papæ auctoritatem recurrere, ejusque consilium expectare. Petere itaque, ut Legati mitterentur, in Regno suo Concilium celebraturi. Rescripsit Papa; Legatos se certissime missurum, aliquam tamen morulam esse necessario interjiciendam, & nolle se, ut interim de hac causa deliberaretur. Cum igitur ignoraret, quid interim Lotharius, contemptis suis mandatis, molitus fuisset, sub finem ejusdem anni octingentesimi sexagesimi secundi Rodoaldum Episcopum Portuensem, eundem qui Constantinopoli fuerat, (*) & Joannem Episcopum Ficoclæ, hodie Cerviæ, in Romandiola, ad eum misit. Regem quoque Germaniæ Ludovicum duosque Reges Carolos patruum nempe & nepotem per epistolas monuit, ut e Regno suo quilibet duos Episcopos illo delegaret. Et tandem Ludovicum Imperatorem rogavit, ut Legatos Romanæ Sedis tuto in Regnum Lotharii fratris sui deduci juberet. Præterea Papa datis ad Episcopos Galliæ & Germaniæ litteris mandavit; Metas, ubi Concilium celebrandum erat, se conferrent, & Regem Lotharium ad dicendam causam vocarent.

Sæculum IX. A.C. 862.

ep. 18.
ep. 19.
ep. 22.

In

(*) Quia necdum sciebat Pontifex, qua fide Legationem Constantinopolitanam obiisset.

Sæculum IX. A. C. 862.

In illa epistola Papa Episcopis significat, ad se jam jam Legatos dimissurum fuisse delatum, quod Lotharius, S. Sedis Judicio non expectato, in præcoces nuptias prorupisset. In alia epistola Epi-
ep. 23. scopis tunc reddenda, quando Metis essent congregati, hortatur, ut æquum judicium ferrent, & Acta Concilii ad se transmitterent, unde plenam de hac causa cognitionem acquireret.

His epistolis rursus additæ erant aliæ
ep. 20. duæ, in quibus Papa Balduini Comitis
21. patrocinium suscipiebat, una nempe ad Regem Carolum Calvum, & altera ad Reginam Ermentrudem ipsius uxorem data. Quippe Balduinus Romam profectus editis sinceri doloris signis S. Petri & Summi Pontificis præsidium imploraverat; inde Papa Regem monet, dandum esse aliquid Balduini amori, consensisse Juditham, & si vir ille veniam desperaret, timendum, ne ad ineunda cum Normannis funesta fœdera impelleretur. Has ergo epistolas Legati deferendas acceperunt, omnes eadem die vigesima tertia Novembris anno octingentesimo sexagesimo secundo datas.

Tandem Nicolaus Papa his epistolis
to. 8. *Conc.* mandata adjecit; si Concilium Metense
p. 481. celebrari non posset, aut si Lotharius venire cunctaretur, ad eum se conferrent, & S. Sedis mandata traderent. *Postea*, dice-

dicebat, *Regem Carolum adibitis, de causa Balduini agetis, & coram omnibus literas Synodicas atque Commentarium, quem vobis transmittimus exhibebitis;* in illo autem Commentario hæc legebantur: *Lotharius affirmat, sibi primum Waldradam a parente suo* traditam, & deinde Huberti Sororem duxisse. Maxima cura inquirite, an Waldradam ritu Ecclesiæ & præsentibus testibus duxerit; cur deinde illam repudiaverit, & Bosonis filiam* (id est Theutbergam) *acceperit. Dicturus est, se id metu adactum fecisse; reponetis, non oportuisse virum privatum tantopere a Rege timeri, ut animam in Salutis periculum conjiceret. Si non probetur, ipsum cum Waldrada legitimas nuptias contraxisse, instate, ut Theutbergæ, si illa inveniatur innocens, reconcilietur. Nam certiores vos facio, ipsam ter S. Sedis præsidium efflagitasse, & cum libellum appellationis misit, indicasse, urgeri se ad confitendum falsum crimen, & nisi ab his angustiis liberaretur, fassuram se denique, quidquid inimici cuperent, ut salva esse posset. Postquam igitur ad Concilium venerit, rem tantam accurato examini subjicite.*

Sæculum IX. A.C. 862.

* Lothario Imp.

§. XXVI.

Papa Photium condemnat.

Legatis in Franciam iter ingressis, complures

Sæculum IX. A. C. 863. plures viri Constantinopoli Romam pervenientes, quorum aliqui Photii persecutionem fugiebant, manifestarunt, quantum Legati Pontificii in sua Legatione deliquerint. Indoluit vehementer Pontifex, & remedium cogitans, quo grandem labem ab Ecclesia Romana absterget, Concilium ex pluribus Provinciis primum in Ecclesia S. Petri convocavit, unde deinde Episcopi ob tempestatem perfrigidam ad Ecclesiam Lateranensem transierunt. Hinc videmus, ista in hyeme & verisimiliter sub initium anni 863. acta fuisse. In eo Concilio Acta Concilii Constantinopolitani, & epistolæ Michaelis Imperatoris a Leone Notario allatæ, ex Græco in Latinum conversæ, lectæ sunt. Introducitur Zacharias Episcopus, qui solus ex duobus Legatis præsens erat; nam Rodoaldus in Francia tunc versabatur. Interrogatur & convincitur etiam propria confessione, quod in Depositionem Ignatii consensisset, & cum Photio contemptis Papæ mandatis communicasset. Ergo Concilii sententia deponitur & excommunicatur. Rodoaldi vero absentis judicium ad alterius Concilii tempus differtur.

ep. 7.

61. In eodem Concilio de causa Constantinopolitana pronunciatum est in hunc modum: *Quod Photius Schismaticorum fautor sit, quod, relicta militia Sæculari,*

a Gre-

a Gregorio Syracusano, viro dudum damnato, se se Episcopum ordinari passus sit, quod Ignatio Constantinopolitano Fratre Nostro vivo ipsius Sedem invaserit, & tanquam latro in ovile irruperit, quod cum hominibus a Benedicto Papa Antecessore nostro damnatis communicaverit, quod contra datam fidem Synodum convocaverit, in quo Ignatium deponere & anathematizare ausus est, quod S. Sedis Legatos, violato Gentium jure, corruperit, eosque non ad contemnenda modo mandata nostra, sed etiam impugnanda compulerit, quod Episcopos cum ipso communicare detrectantes in exilium ejecerit, aliosque eorum Ecclesiis dederit, quod Ecclesiam hodieque persequatur, & Ignatium horrendis cruciatibus afficiat, Photius tot criminum reus, Auctoritate Dei omnipotentis, SS. Apostolorum Petri & Pauli, omnium Sanctorum, sex Conciliorum universalium, Judicio Spiritus Sancti per os nostrum pronunciato, omni honore Sacerdotali, & omni Clericali officio privatus sit; ita ut si, postquam istud Decretum ad ipsius notitiam pervenerit, Sedem Constantinopolitanam retinere conatus fuerit, Ignatium in Regimine Ecclesiæ suæ turbaverit, aut quocunque officio Sacerdotali fungi præsumpserit, ab omni spe Sacræ Communionis in omne tempus excluſus sit & anathematizatus, nec Corpus Sæculum IX. A. C. 863.

Sæculum IX. A. C. 863.

& Sanguinem JEſu Chriſti niſi in arti-culo mortis ſuæ accipiat.

c. 2. Gregorius Syracuſanus.

Gregorius Syracuſanus Schiſmaticus, qui in Concilio depoſitus, atque a Benedicto Papa ſuſpenſus, Photium conſecrare & alia Sacerdotalia munia peragere auſus eſt, Sacerdotio privatus ſit in perpetuum, & ſi poſthac quocunque officio fungatur, aut contra Ignatium turbas excitet, anathema ſit, & quicunque cum ipſo communicaverit, anathema ſit. Omne officium Sacerdotale illis interdicimus, quos Photius ordinavit.

Quod vero ſpectat ad Fratrem noſtrum

c. 3. *Ignatium, e Sede ſua Imperatoris violen-*

c. 4. *tia pulſum, & Legatorum noſtrorum per-fidia veſtibus Sacerdotalibus ſpoliatum, Auctoritate JEſu Chriſti declaramus nunquam fuiſſe depoſitum aut anathematizatum, cum illi, qui depoſuerunt, omni poteſtate ad id faciendum fuerint deſtituti. Itaque eum Dignitati ſuæ & muneri reſtituimus. Quicunque vero impoſterum ei obſtiterit, vel turbas moverit contra S. Sedis Decretum, ſi Clericus eſt, deponatur, ſi Laicus, cujuscunque demum gradus, anathematizetur.* Hæc ultima verba ad Imperatorem pertinere videntur. *Volumus, ut Epiſcopi & Clerici in*

c. 5. *exilium miſſi, aut poſt injuſtam Ignatii ex-pulſionem depoſiti, Sedibus ſuis & Muneri reſtituantur. Quicunque obſtiterint anathe-*

anathema sint. Si forte admissi criminis accusentur, prius restituantur, & deinde, sed a sola Sacra Sede, judicentur. Tandem Concilium Romanum Traditionem de honore SS. Imaginibus exhibendo confirmat, & in Joannem, olim Patriarcham Constantinopolitanum, ejusque Sectatores, anathema pronunciat. Sæculum IX. A. C. 863. c. 6.

§. XXVII.

Quæ in Causa Rotadi acta sint.

Concilio Metensi, ad pertractandum negotium Regis Lotharii celebrando, primum dies Purificationi Sacra, secunda Februarii, anno 863. præstituta fuerat, quod videmus ex epistola Adventii Metensis ad Theutgaudum Trevirensem datam, in qua eum hortatur, ut Regem confirmaret in laudabili proposito submittendi se Judicio, quod secundum Deum optimum visum fuisset; sed illud Concilium deinde ad decimam quintam Martii indictum, & tandem usque ad medium mensem Julium dilatum. Quia scilicet Lothario sub initium hujus anni negotia non differenda oblata sunt. Normanni in Frisiam irrumpentes adversis Rheni fluctibus Coloniam versus advecti, usque ad Insulam prope Novesium sitam pervenerunt. Præterea, Rege Carolo juniore ejus fratre fatis functo, Lothario iter in Provinciam suscipiendum fuit, ubi *ap. Bar. an. 862. in fin.* *ep. ad Hincm. to. 8. Conc. p. 762.*

Sæculum IX. A. C. 863.

ipse & Ludovicus Imperator mortui fratris Regnum inter se divisérunt. Per has moras occasionem nactus est Lotharius pervertendi Legatos Papæ; brevi enim bonum, quod conceperat, propositum evanuerat.

Interim Legati Suessionem profecti Regem Carolum Calvum adierunt, qui in Abbatia S. Medardi honorifice exceptos aliquamdiu apud se retinuit. Veniam Papæ nomine pro Comite Balduino rogantibus tunc quidem necdum concessit, sed discessuros cum epistolis & muneribus benigne dimisit. Exinde hunc Regem, nepote ejus Rege Provinciæ mortuo, simpliciter Carolum nominabimus.

Ann. Bert. 863.

Legatis Rodoaldo & Joanne Suessione commorantibus, accurrit populus, Rotadi Episcopi, eo usque captivi libertatem & restitutionem magnis clamoribus postulans, non obstante, quod Erchanradus Episcopus Catalaunensis, addens comminationibus verbera, Regis & Archiepiscopi nomine prohiberet, ne quis clamare auderet. Conjectura est, id complurium Provinciarum in Regno Caroli Episcopos permovisse, ut prope Silvanectum Concilium celebrarent, unde datis ad Papam epistolis rogabant, ut Rotadi depositionem confirmaret, cujus Acta Romam transmittebant. Privilegia

to. 8. Conc. p. 761. Nic. ep. 32.

gia quoque Ecclesiarum suarum confirmari petebant, dicebantque, Rotadum non debuisse Romam appellare, spretis legibus Cæsareis, quæ id prohiberent, cum præterea malam causam defendisset. Tandem rogabant Pontificem, ut causæ Lotharii cum uxoribus faveret; non enim dubitabant, quin Legati Pontificii, quorum propensum in Waldradæ conjugium animum non ignorabant, ex ipsius Papæ mandatis ita sentirent. Hinc petebant etiam, ut alterum Concilium ex omnibus Provinciis ad discutiendam hanc causam convocaretur. Hanc epistolam, aliasque Hincmari suo tantum nomine datas, item & Regis Caroli, Odo Episcopus Bellovacensis ad Papam deferendas suscepit.

Sæculum IX. A. C. 863.

Causa Rotadi.

Episcopi vero in Lotharii Regno, in quo nemo Hincmaro favebat, pro Rotado ad Episcopos Regni Ludovici dederunt epistolam. In ejus fronte apparent nomina quinque Archiepiscoporum, Theutgaudi Trevirensis, Guntharii Colonienſis, Arduici Vesuntionensis, Rolandi Arelatensis, & Tadonis Mediolanensis. Hortantur Episcopos Germaniæ, ut juncta secum opera scandalum tollere conarentur, exortum, propter litem inter duos Præsules, alterum dignitate & scientia eximium, alterum senili gravitate venerabilem; causam hanc vero accurate

to. 8. *Conc. p.* 202.

Sæculum IX. A. C. 863. cognoscerent, ne vel unam vel alteram partem temere damnarent. Attamen nihil, quod Hincmaro faveret, dicunt, cum prolixe Rotadi querelas & Canones, qui ejus causam juvare possunt, referant.

Sed antequam Odo Bellovacensis Romam perveniisset, Nicolaus Papa Rotadi causam aliunde edoctus, litteras ad Hincmarum dederat in hunc sensum: *A multis Fidelibus ad nos delatum, te auctore Rotadum fratrem nostrum, frustra ad Sedem Apostolicam, nefas! appellantem, & absentem fuisse depositum, & in Monasterio retrusum. Itaque volumus, ut cum accusatoribus suis & Presbytero, propter quem depositus est, abjecta omni mora Romam veniat, & si post triginta dies, ex quo hæc nostra epistola tibi reddita fuerit, Rotadum non restitueris, nec cum ipso tu, aut a te Delegatus, ad nos venerit, Missarum Solemnia celebrandi nec tu, nec omnes Episcopi, qui in depositione illius viri consensisse noscuntur, licentiam habeatis, quamdiu, quæ præcepimus, executioni data non fuerint.* Papa simul, data ad Regem Carolum epistola, rogat, ut Rotado Romam proficiscendi licentiam tribuat.

ep. 29.

Epistola Nicolai I.

ep. 31.

Post adventum vero Odonis Episcopi, Papa hujus causæ viscera melius perspiciens vehementiore stilo scripsit. Primo

ep. 32.

mo ad epistolam Synodicam Concilii Silvanectensis respondens, depositionem Rotadi approbare rotunde denegat. *Non possumus*, inquit, *sine cognitione causæ judicare. Odo Actoris onus contra Rotadum in se suscipere noluit, nec etiam potuisset, cum nemo, ad rei causam defendendam, adfuisset. Animum vero nostrum summopere læsit, quod hunc virum deposueritis, & spreta ejus ad S. Sedem appellatione custodiæ tradideritis, velut ex ipsis Actis vestris constat. Dicitis; secundum Leges Cæsareas Rotadi appellationem recipi non potuisse. Sed quotiescunque Leges Canonibus adversantur, potius Canonum ratio habenda est. Jus vero appellandi ad Sacram Sedem in Synodo Sardicensi stabilitum est, & sufficit, si appellans bonam causam se habere putet, etiamsi re ipsa non haberet.* Queritur deinde Pontifex, quod alius Episcopus in Sede Rotadi ordinatus fuerit, & easdem minas, quas prius Hincmaro adhibet. Tum ait: *Si in vestra obstinatione perseveratis, Rotadum a sententia vestra absolvemus, & vos ipsos in legitimo Concilio damnabimus. Ceterum Sedis Nostræ Prærogativas, quoad spiritum trahemus, defendemus; sed & vestra quoque res agitur, nescitis enim, an non eadem sors vobis cras obventura sit, quæ hodie Rotadum premit; quod si contigerit, quo* Sæculum IX. A. C. 863.

p. 417.

Sæculum IX. A. C. 863.

vos vertetis? unde accersetis auxilium?

Tum Papa in eadem epistola de causa Balduini mentionem facit, & transiens ad nuptiarum scandalum ait: *quid de Lotharii facto sentiamus, ex epistolis & mandatis, quæ Rodoaldo & Joanni Legatis nostris commisimus, cognoscetis. Inde videbitis, nullam rem nobis magis curæ esse, quam istum offensionis lapidem tollere. Nisi hac vice Lotharius mandatis nostris pareat, eum ab Ecclesia excludimus. Atque etiam, quo simplices & rudes intelligant, quid agatur, e re esse credimus, ut ad omnes Fratres vestros perscribatis, qua nobis in hac causa stet sententia, populumque in vestris Ecclesiis publice edoceatis. Concilium autem, quod petitis celebrari, locum prius habere non potest, quam Legati nostri reduces, quæ apud vos acta fuerint, referant.*

Nicolaus Papa datis etiam, Odone deferente, ad Hincmarum litteris, blanditias severitati miscuit, & ad epistolam præcedentem remisit. *Oportebat te,* inquit, *causa Rotadi sæpius ad examen vocata, id memoriæ & honori S. Petri dare, ut nobis scriberes, & judicium nostrum expectares, etiamsi Rotadus non appellasset.* Et infra: *Petis, privilegia Ecclesiæ tuæ confirmari, dum jura & prærogativas Ecclesiæ nostræ, quoad potes, labefactas.*

p. 18.

Nicolai Papæ Epistolæ.

ctas. Nempe eodem anno 863. Hincmarus a Papa obtinuit, ut Prærogativæ Ecclesiæ suæ Metropolitanæ, & Concilium Suessionense, vigesima quarta Aprilis anno 853. celebratum, in quo pronunciatum, Canonicam esse ipsius electionem, confirmarentur. Sæculum IX. A. C. 863. *to. 8. Conc. p. 488. Sup. lib. XLIX. §. 8.*

Regem Carolum & Episcopos, quos ad consilium adhibere adsueverat, epistola Papæ Balduino faventis ab ejus Legatis Suessione reddita offendit. Credebant enim Papam non debuisse eum ab excommunicatione in eum ab ipsis lata absolvere, & non oportuisse Papam imperantium more Regi scribere. Papa in epistola per Odonem ad Regem missa factum excusat, dicitque, quod Balduinum non absolverit. *Balduinum non liberavimus*, inquit, *ab anathemate, & ad Communionem nostram non recepimus, crimen admissum abominamur, & justo dolori tuo accedimus. Attamen S. Petri præsidium implorantem repellere non debuimus, precesque nostras pro reo non imperia adhibuimus.* Regi etiam illa communicat, quæ ad Episcopos in causa Rotadi scripsit, & rogantem inter & præcipientem medius petit, ut eum Romam mitteret. Rursus, id quoque excusat, quod in præcedentibus litteris verbis duriusculis usus fuisset. *ep. 302.*

Sæculum IX. A. C. 863.

Odoni præterea epistolam Papa commisit, ad Rotadum datam, in qua solatium suggerit, & hortatur, ut Romam se conferat, quamprimum libertate frueretur. *Si eam vero*, inquit, *impetrare non possis, id nobis per litteras significa, & a proposito Sacram Sedem appellandi dimoveri te non patiaris.* Hæc epistola vigesima octava Aprilis, Indictione undecima, nempe anno octingentesimo sexagesimo tertio data est, unde conjicimus, ceteras quoque, quas Odo detulit, eadem die datas fuisse. Duobus vero mensibus moratus est Romæ, & in Franciam redux pervenit vigesima tertia Julii, cum Hincmarum Papæ epistolas illa die accepisse sciamus.

ep. 33.

Nic. ep. 41. *to.* 8. *Conc. p.* 796.

§. XXVIII.

Concilium Metense Lotharium favens.

Interim Legati Rodoaldus & Joannes Metas profecti indictum Concilium mense Junio mediante eodem anno 863. celebrarunt. Nullus Episcoporum Germaniæ vel Neustriæ, id est, ex Regnis Ludovici vel Caroli advenit, sed ex Regno Lotharii adfuere omnes, solo Hungario Ultrajectensi excepto, quem morbus venire prohibuit. Omnes Regis voluntati assentati sunt, & Legati Regia munificentia corrupti, pressis Papæ epistolis, accepta mandata dissimularunt.

Ann. Fuld. 863. *Metens.* 865. *Bertin.* 863. *Nic. ep.* 58.

Dixit,

Dixit iis Lotharius, se simpliciter paruisse Judicio Episcoporum Regni sui in Concilio generali congregatorum. Nempe in Concilio tertio Aquisgranensi, anno præterito, celebrato. Id non negarunt Episcopi; itaque congestis in speciem aliquot argumentis, quibus facta sua probare nitebantur, cuncti conscripto Libello subscripserunt; cumque aliquis Episcoporum subscribens adjecisset, hæc Acta prius non valitura, quam Papæ examen subiissent, Guntharius accepto cultello hæc verba e pergameno ita erasit, ut nihil nisi nomen Episcopi remaneret. Tandem Legati, ut aliquid saltem præstitisse viderentur, Regi suaserunt, Romam esse mittendos Gunthariun Colonienſem & Theutgaudum Trevirensem hujus Concilii Præsides, qui Libellum deferrent, & a Papa confirmationem peterent. Sæculum IX. A. C. 863.

Sub idem tempus, Concilio Metensi soluto, Adventius Episcopus libellum conscripsit, quo se & Regem Lotharium purgaret; in quo summatim dicebat: *Augustus Lotharius filio suo Lothario adolescentulo Virginem nobilem nomine Waldradam sponsam conciliare volens, eidem ut sponsalia confirmaret, centum mansos* donaverat. Quoad parens in vivis egit, Lotharius junior cum Waldrada tanquam sponsa legitima fuit, id videntibus & scien-* centum familias glebæ adscriptas. *ap. Baro. an. 862.*

Sæculum IX. A. C. 863.

scientibus ejus pædagogis, Præsulibus, & Regni proceribus. Vix autem Lotharius Imperator decesserat, diebus luctus necdum præteritis, Hubertus Theutbergam sororem suam juveni Regi adducit, & malis artibus uxorem obtrudit, ausus minari, effecturum se, si consiliis suis repugnaret Rex, ut de regno periclitaretur. Duxit ergo Theutbergam Lotharius, sed invitus, ut ipse testatus est. Cum postea turpissima fama Theutbergam sequeretur, quod olim fratri suo fuisset commixta; ipsa scelus confessa, & damnata, fugæ se proripuit. Hac re jubente Rege Lothario ad Nicolaum Papam delata, misit illi Oratores, quibus & Rege præsentibus celebratum est Metense Concilium. Ibi Rex omnia, quæ modo dicta fuerunt, de nuptiis suis cum Waldrada, Augusti parentis sui auctoritate initis, exposuit. Quia vero plurimi passim de hac re varie opinantur, publice, quid sentiam, & qua mente hoc negotium pertractaverim, profitebor: quando Imperator filio suo Waldradam tradidit, necdum eram episcopali onere gravatus, & his actibus non interfui. Sed etiam secundum cum Theutberga conjugium non nisi per famam ad aures meas delatum est. At postquam Episcopus ordinatus fui, de his nuptiis ita sentire cœpi: Christianissimus Imperator in Fide Christi, & sua, filio suo dedit virginem.

At

At Fides Dei ſcortum non donat. Econtra illa dimiſſa aliam ducere adulterium fuit. Theutberga vero ſponte horrendum fratris amplexum confeſſa eſt, quod viri fide digni teſtatum faciunt. Hæc ſunt, quæ de hac cauſa ſentio. Sæculum IX. A. C. 863.

§. XXIX.

Hilduinus Cameraci intruſus.

Inter epiſtolas Nicolai Papæ, ab Odone Epiſcopo Bellovacenſi in Franciam delatas, tres erant pertinentes ad cauſam Hilduini, cui Rex Lotharius Epiſcopatum Cameracenſem Theodorici morte vacantem contulerat. Erat Hilduinus Guntharii Archiepiſcopi Colonienſis germanus & celeberrimo Hilduino Abbati ad S. Dionyſium affinitate conjunctus. *Sup. lib. XLVIII. §. 28.* Hincmarus vero, cui tanquam Metropolitæ ſubjecta erat Eccleſia Cameracenſis, quamvis eſſet Hilduini Abbatis diſcipulus, hunc Epiſcopum ordinare recuſabat, obtendens, eſſe ſecundum Canones Epiſcopatu indignum. At Lotharius non modo licentiam alterum ordinandi denegavit, ſed etiam Hilduinum in poſſeſſionem Bonorum ad Eccleſiam Cameracenſem pertinentium immiſit. Cum poſtea Hincmarus contra Hilduinum accuſationis libellum, in quo cauſæ, ex quibus eum ordinare nollet, continebantur, conſcripſiſſet, eumque Lothario in

Conven-

Sæculum IX. A. C. 863.

Conventu Regum tradidiſſet, tres Metropolitæ ex Regno Lotharii Theutgaudus Trevirenſis, Guntharius Colonienſis & Arduicus Veſuntionenſis ipſum ad Concilium Metis (veriſimiliter menſe Febr. anno 863.) celebrandum venire juſſerunt, & ibi accuſationem argumentis demonſtrare, niſi calumniator haberi vellet. Sed nec Hincmarus, nec alii e regno Caroli Epiſcopi Concilium illud adiverunt; ipſe vero querelas ad Papam detulit.

ep. tom. 8. Conc. p. 762.

Igitur Pontifex litteris hac ſuper re ad Epiſcopos Regni Lotharii, ad ipſum Lotharium, & Hilduinum datis queritur, Eccleſiam Cameracenſem jam decem menſibus, contra quam Canones præſcriberent, vacare, Hilduinum Regis auctoritate munitum illam Eccleſiam ſuis reditibus ſpoliare, & Regem liberam electionem atque jura Metropolitæ turbare. Hilduino autem Cameraco diſcedere ſub pœna excommunicationis præcipit. Hincmarus his tribus epiſtolis diligenter redditis, petiit, ut mature reſponſa darentur; at non pari diligentia illas, quæ ad cauſam Rotadi ſpectabant, tradidit, utpote quas quatuor circiter menſibus occultatas nemini mortalium oſtendit.

ep. 63. 64. 65.

Hincmar. opuſc. 17. init. Nicet. ep. 41. p. p. 796.

§. XXX.

Sæculum IX.
A. C. 863.

§. XXX.

Concilium Vermerienſe.

Pronum eſt conjicere, Hincmarum has litteras non prius protuliſſe, quam in Concilio Vermerienſi, jubente Rege Carolo vigeſima quinta Octobris eodem anno octingenteſimo ſexageſimo tertio. Nam in eo Concilio Rex Rotadum Romam mittere, ut Papa præceperat, conſtituit. Ibi etiam Papæ precibus dedit, ut filiæ ſuæ Judithæ & Balduino Comiti veniam concederet, & non diu poſt, cum Antiſſiodori moraretur, ipſo annuente nuptiæ publico ritu celebratæ ſunt; his tamen Rex non interfuit. Anno 863. 30. Nov. Regi adhucdum Antiſſiodori præſenti Liudon Diaconus ab ipſo Romam miſſus attulit Papæ epiſtolam, qua iterum inſtabat, ut Rotadum reciperet in gratiam & auxilia neceſſaria ad iter Romam capeſſendum præferet. Eodem Liudone deferente dedit epiſtolam Pontifex ad Hermentrudem Reginam, quæ Rotado adverſabatur, ſignificans, ſe eos, qui ad S. Sedem confugerent, repellere neutiquam poſſe. Tandem datis ad ipſum Rotadum litteris inter alia dicit: *Tua maxime intereſt, ſerio penſare, an tibi cujusquam delicti conſcius ſis, & an Epiſcoporum judicio acquieſcere præſtet, ne tu aliique itineris labores ſine neceſſitate ſuſci-*

Ann. Bert. 863.

Ann. Bert. Hincmar. opuſc. 17. *p.* 246.

Nic. ep. 35.

ep. 36.

ep. 34.

Sæculum IX. A. C. 864.

suscipiatis. Si vero innocens es, confide & veni. Nos quidem nunquam causam tuam, si justa sit, præsidio nostro destituemus.

§. XXXI.

Pipini junioris pœnitentia.

Ann. Bert. Antissiodoro Rex Carolus Nivernum profectus in illa civitate Festum Nativitatis Domini anno 863. celebravit. Ibidem commoranti triste nuncium perfertur, Normannos Pictavium pervenisse, & urbem quidem dato ingenti pretio redemisse incendium, sed Ecclesiam S. Hilarii flammis fuisse consumptam. Barbaris inde usque Claramontium in Arvernia progressis, Pipinus filius Pipini Regis Aquitaniæ, Caroli nepos, non obstante quod Monachum fuisset professus, ad hos Infideles defecit, ipsorumque etiam Religioni nomen dedit. Sed non multo post tempore ab Aquitanis structis insidiis captus, in Comitiis Pistensibus, mense Junio anno 864. celebratis, tanquam Fidei desertor & patriæ proditor dignus morte judicatur, & Silvanecti arcto carceri traditur. Cum vero pœnitentiam ostenderet, & desiderium redeundi ad Monasterium, Rex Hincmarum hac super re consuluit, qui mentem suam datis litteris aperuit in hunc modum: *Confiteatur omnia peccata totius vitæ suæ, sed secreto*

Ibid. an. 864.

Capit. Carlit. 36.

creto, quia forte talia commisit, quæ publice confiteri pudor vetat. Deinde in Ecclesia inter ceteros publice pœnitentes se accuset, quod vestem Monasticam abjecerit, Fidem sacrilege læserit, ad Paganos defecerit, atque propter hæc & omnia alia peccata, quæ secreto confessus fuerit, pœnitentiam sibi injungi petat. Publice ab Episcopo reconcilietur, Tonsuram, habitum Monasticum, & tandem S. Altaris Communionem recipiat. Tum leniter eum haberi oportet. Liberaliter custodiatur a Monachis & Canonicis, qui eum modum recte vivendi & plorandi peccata sua edoceant. Ea tamen adhibeatur custodia, ut in vitia, quæ deflevit, etiamsi vellet, relabi non possit. *Opusc. 59. p. 819. to. 2. Duchesne.*

§. XXXII.

Pontifex Concilium Metense damnat.

Rodoaldus & Joannes Legati, qui Concilio Metensi præfuerant, Romam reversi, Papæ retulerunt, Regem Lotharium Episcoporum Regni sui consilium fuisse amplexum, duosque illorum præcipuos Theutgaudum & Guntharium propediem adfuturos, & omnia exacte exposituros. Verum Nicolaus Papa, qui Rodoaldo absente edoctus fuerat, quam temere Constantinopoli sua mandata neglexisset, Concilium, in quo eum condemnaret, convocavit. Rodoaldus pro- *Anast. in Nic. p. 260. Nic. ep. 7. p. 289. Ann. Bertin. 863. Fuldens. eod.*

Sæculum IX. A. C. 864.

priæ conſcientiæ ſtimulis turbatus, & Zachariæ Collegæ ſui jam ante condemnati exemplo territus, derelicta Eccleſia ſua, fuga nocturna in alias provincias ſe proripuit. Papa vero ſententiam in abſentem ferre diſtulit.

Conc. Rom. to. 8. Conc.

Inter hæc Theutgaudus & Guntharius Romam pervenientes Papæ Acta Concilii Metenſis & Aquisgranenſis tradunt. Jubet ea Pontifex publice recitari & Archiepiſcopos interrogat, num animus eſſet, ea defendere. Reſpondent, ſe ea, quibus manu ſua ſubſcripſiſſent, ore neutiquam negaturos. Nihil amplius addidit Papa, & ad ſua diverſoria Archiepiſcopos remiſit; ſed interjectis paucis diebus eos ad Concilium in Palatio Lateranenſi jam congregatum vocavit. Illi eadem Acta offerunt, petuntque, ut iis Papa ſubſcriberet, dicentes, nec plura nec pauciora a ſe geſta eſſe, quam in hoc Libello continerentur. Verum, cum Epiſcopi permulta in iis erubeſcenda inauditaque affirmari judicarent, Archiepiſcopos ex propria eorum confeſſione condemnarunt.

Ann. Met. 865. *Nic. ep.* 58.

Pontifex hujus Concilii Decretum in articulos quinque diviſum ad omnes Epiſcopos Galliæ, Italiæ & Germaniæ miſit. In primo articulo Concilium Metis menſe Junio Indictione undecima, nempe anno octingenteſimo ſexageſimo tertio, celebra-

lebratum, irritum pronunciatur, atque Latrocinio Ephesino confertur. In secundo declaratur, Theutgaudum Archiepiscopum Trevirensem, Belgicæ Primatem, & Gunthariun Archiepiscopum Colonienſem omni potestate Episcopali esse privatos, quod injustam sententiam in causa Regis Lotharii & duarum uxorum ejus tulissent, & Judicium Sacræ Sedis contra Ingeltrudem Bosonis uxorem, secundum Libellum Tadonis Archiepiscopi Mediolanensis, pronunciatum contempsissent. Ab omni actu Episcopali abstinere jubentur, addita comminatione, si hoc præceptum violent, nunquam esse restituendos. Excommunicati sint, quicunque cum ipsis communicaverint. Episcopi complices quoque depositi sint, relicta spe, eos restitui posse, si facti pœnitentiam profiteantur. Ingeltrudis Comitis Mattefridi filia & Bosonis uxor, quæ, marito ante annos circiter septem relicto, circumerrabat, secundo cum omnibus conscriis & fautoribus anathematizatur, cunctisque prohibetur, ne cum ea communicent. Venia autem ei promittitur, si ad maritum redeat, aut Romam veniat, & absolutionem petat. Tandem anathema dicitur quibuscunque Sacræ Sedis Decreta, ad fidem vel Disciplinam pertinentia, spernentibus.

Sæculum IX. A. C. 864.

Sup. §. 10.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

Sæculum IX. A. C. 864.

Hagano quoque Episcopus Bergomensis depositus, quem Auctorem Libelli Concilio Romano ab Archiepiscopis Trevirensi & Colonienſi oblati esse dicebant. Item Joannes Archiepiscopus Ravennas, qui violata juramenti fide cum fratre suo Gregorio contra Sacræ Sedis auctoritatem & contra ipsum Pontificem conjuraverat. Sed hi Episcopi hujus Concilii Decretis non parentes actibus Episcopalis potestatis fungi non cessarunt.

Anast. ibid.

§. XXXIII.

Guntharius Summo Pontifici refractarius.

Sed nec Theutgaudus, nec Guntharius imperata fecerunt. Quippe ad Imperatorem Ludovicum, qui tunc temporis Beneventi versabatur, profecti querelas audacter moverunt; se contra fas fuisse depositos. Injuriam quoque Imperatori inferri, quod pessime habiti fuerint Regis fratris ejus Legati, quos ipse deduci jussisset, & qui tanto freti præsidio Romam iviſſent. Hanc Archiepiscopis factam contumeliam toti Ecclesiæ dedecori esse, atque rem inauditam, Metropolitanum sine consensu Principis, & aliis Metropolitanis non præsentibus, e gradu suo dejici. (*) Multis præterea con-

Ann. Met. 865. Bertin. 864.

(*) Dissimulant, anno superiore Photium in Concilio Romano depositum.

conviciis in Pontificem effusis, animum Imperatoris usque adeo accenderunt, ut ira fervens cum Imperatrice uxore & duobus Archiepiscopis Romam contenderet, Papam contumelioſe habiturus, nisi ambos restitueret. Sæculum IX. A. C. 864.

Tunc vero Guntharius, is quippe ceteris seditionis auctor fuit, misso ad Fratres suos in Regno Lotharii Episcopos libello, in quo Theutgaudum simul loquentem inducit, summatim scripsit: *Rogamus vos, Fratres Charissimi! ut pro nobis oretis, & rumore invidioso, qui in vulgus spargitur, non turbemini. Quamvis enim Domnus Nicolaus, quem Papam appellant, qui se ipsum numero Apostolorum inserit, & toti Mundo Imperatorem sese obtrudit, instigatione clientum suorum nos damnaverit, ita tamen ejus insaniæ nos opposuimus, ut eum amara admodum facti sui pœnitentia subierit. Adjunctos epistolæ articulos vobis mittimus, ut cognoscatis, quas contra eum conquerendi causas habeamus. Regem nostrum sæpe invisite, sermonibus & epistolis vacillantem confirmate, & quotquot potestis amicos, imprimis vero Regem Ludovicum conciliate. Fidem, qua ei obstringimur, inviolabilem servemus.* Epistolam in hoc libello sequitur Oratio invectiva in Summum Pontificem in sex partes divisa, cujus hæc ferme verba sunt: *Ann. Bert. & Fuld.*

Sæculum IX. A. C. 864

Audi, Domne Papa Nicolae! missi a Fratribus noſtris, venimus ad te conſulendum de rebus, quas inter nos definieramus, oſtendimus tibi in pagina quorum auctoritatem ſecuti fuerimus, & argumenta, quæ nos moverint, ſententiam tuam exquiſituri, humiliter rogavimus, ut nos doceres, parati morem gerere, ſi meliora

c. 2. *demonſtraves. Poſtquam vero per trium ſeptimanarum ſpatium reſponſum expectavimus, nullum dediſti fixum, ſed quadam die ad nos publice dixiſti; quod, ſecundum ea, quæ in Libello eſſent expoſita,*

Guntharii Colonienſis furor.

c. 3. *excuſari poſſe videremur. Tandem in conſpectum tuum venire juſſi ſumus, & cum rem hujusmodi ne ſuſpicari quidem liceret, clauduntur portæ, Clericorum Laicorumque turba incondita obruimur. Tunc vero ſine Concilio, ſine examine Canonico, ſine Actore, ſine teſtibus, nec ratione, nec auctoritate convictos, nec confeſſos, aliis Metropolitanis & Epiſcopis noſtris Suffraganeis abſentibus, pro tua libidine &*

c. 4. *tyrannide damnare præſumſiſti. Sed Sententiam tuam, quam abominamur, a charitate patris (*) fratrisque alienam ſpernimus,*

(*) Etſi Guntharius dolore & furore amens hæc ſcripſerit, nihilominus ex ipſius verbis Romani Pontificis Auctoritas in univerſam Eccleſiam probatur. Cur enim Archiepiſcopi Franciæ, quod inter

spernimus, tanquam injuriam insignem. Sæculum IX. A. C. 86.
Te ipsum, quod cum excommunicatis communices, a nostra communione rejicimus, contenti communione totius Ecclesiæ & societate Fratrum nostrorum, quos contemnis, ob superbiam tuam & arrogantiam ipsorum communione indignus. Tuo c. 5.
te ore condemnas, cum omnibus anathema dicis, quicunque Apostolica præcepta non servaverint, quæ tu omnium primus violas, qui Leges Divinas Sacrosque Canones destruis, Pontificum Antecessorum tuorum vestigia non sequens. Itaque non in gratiam nostri privatim, sed totius Ordinis c. 6.
Episcopalis, quem opprimere conaris, Judicii nostri Summam exponimus. Leges c. 7.
Divinæ & Canonicæ, quibus etiam Leges hujus Sæculi consentiunt, satis demonstrant, non licere virginem ingenuam & nolentem cuiquam concubinam tradere, sed si viro consentientibus parentibus fide & affectu conjugali juncta fuerit, uxorem non pellicem esse æstimandam.

Hic ei sermo est de Waldrada, quam, Theutberga priorem, legitimo

inter ipsos definitum fuerat, a Romano Pontifice confirmari petunt? cur hic Guntharius præter fraternum etiam patris affectum requirit, cum omnes alii in tota Ecclesia Episcopi fratres se compellarent, nisi in Romano Pontifice omnium ceterorum patrem agnosceret.

Sæculum IX. A. C. 864.

matrimonio Lothario copulatam affirmabat.

Cum nunciatum fuiſſet Papæ, Ludovicum Imp. Romam adventare, litanias & jejunium Romanis indixit, ut Deus Principi mentem bonam & reverentiam erga Apoſtolicæ Sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & ſecus Baſilicam Beati Petri degente, cum populus & Clerici Romani inter publicas preces gradus ante Baſilicam Beati Petri cœpiſſent aſcendere, ſatellites Imperatoris in pavidos irruunt, in terram proſternunt, verberibus afficiunt, atque Crucibus ac vexillis confractis fugant. In illo tumultu Crux S. Petro olim a S. Helena oblata, particulam de ligno veræ Crucis continens, confracta, & in cœnum projecta; quam deinde quidam Angli ſublatam Theſauri præfecto reddiderunt. Cum hæ turbæ Pontifici, in Palatio Lateranenſi moranti, fuiſſent indicatæ, atque confeſtim adfuturos, qui in ipſum manus injicerent, ratem conſcendit, & Tiberi ad Baſilicam S. Petri devehitur, ubi biduo nec cibum nec potum ſumſit. Interim qui Crucem S. Helenæ fregerat, ſubito moritur, & Imperator febri corripitur. Quapropter Imperatricem ad Pontificem mittit, cujus fidei juſſione Nicolaus ad Imperatorem venit, & omnibus mutuo ſermone com-

Sæculum IX. A. C. 864.

compositis Papa ad Lateranense Palatium rediit, Imperator autem Guntharium & Theutgaudum, sicut erant, gradu suo depositos in Franciam remeare jubet.

Tunc Guntharius desperatione actus, quod se Principis auxilio destitutum videret, per Hilduinum fratrem suum Clericum, illum ipsum, quem Lotharius in Sedem Cameracensem intrudere tentaverat, dictum libellum ad Episcopos in Regno Lotharii directum Pontifici mittit, additis mandatis, ut si Papa nollet eum recipere, super corpus Beati Petri jactaret. Cumque Papa, ut par erat, eum accipere recusasset, Hilduinus armis cinctus, ut ut esset Clericus, Ecclesiam S. Petri inverecunde intrat cum familiaribus Archiepiscopi fratris sui, fustibus custodes venientem a Confessione S. Petri arcere conantes depellit, quorum unus in terram concidit exanimis, Scriptum super Corpus S. Petri jactat, seque cum suis, evaginatis gladiis, e Basilica proripit. Ludovicus Imperator post paucos dies Roma exiit, postquam in illa commoratione Cæsarei complures ædes diripuissent & incendissent, Ecclesias aliquas effregissent, non nullos viros occidissent, fœminas atque etiam Moniales violassent. Ille Ravennam ivit, ibique Dominicam Paschæ, quæ illo anno 864. in diem secundam Aprilis incidebat, celebravit.

Ann. Bert. 864.

Sæculum IX. A. C. 864.

Jam vero Guntharius Coloniam redierat, ubi, Sententia Pontificis insuperhabita, in Cœna Domini Missam celebravit, & Sacrum Chrisma confecit. Sed Theutgaudus Trevirensis in Sacram Sedem reverentior ab omni Ministerio Episcopali abstinuit. Rex vero Lotharius nec Gunthario Sacris operanti adesse, nec cum eo communicare sustinuit, imo Archiepiscopatus Colonienſis possessione dejecit, aliis Episcopis id postulantibus, quibus autem inconsultis eundem Archiepiscopatum Hugoni, Regis Caroli agnato, Ordinatione Subdiacono, & si mores spectarentur, ne quidem bono Christiano, contulit. Unde Guntharius acerrime commotus quidquid de thesauro Ecclesiastico in illa civitate residuum fuit, auferens Romam iterum proficiscitur, quos dolos in negotio Theutbergæ & Waldradæ Lotharius ipseque nexuissent, proditurus.

§. XXXIV.

Adventius ad officium redit.

Ceteri Episcopi ex Regno Lotharii Legatos suos cum Libellis pœnitentiæ ad Papam miserunt, profitentes, quod in illo divortio a Scriptura & Regulis Canonicis deviassent. Lotharius quoque Ratoldum Episcopum Argentoratensem misit cum epistolis, in quibus pro more

more suo facta excusabat & emendatio- Sæculum IX.
nem parum sincere promittebat. A. C. 864.

Duas habemus Lotharii Epistolas, *ap. Baro. an.* quas illo tempore scriptas conjicere licet. In iis paratum se affirmat, Romam ire & coram Pontifice causam dicere. Conqueritur de depositione duorum Archiepiscoporum, sed unius obedientiam, & alterius pervicaciam notat. 468.

Ex illis Libellis, in quibus Episcopi *to.* 8. *Conc.* ad Officium se redire professi sunt, unicus, nimirum Adventii Metensis ad nos pervenit. Excusat, quod Romam proficisci non possit senili ætate, podagra, aliisque infirmitatibus, quibus ad extrema propemodum deduceretur, impeditus. Declarat, nec Theutgaudum, nec Guntharium amplius a se pro Episcopis haberi, se credidisse bona fide, quæ in Concilio Metensi de negotio Regis Lotharii afferebantur; ceterum se se Auctoritati Metropolitanorum secundum regulas Canonicas subjicere, fidem autem de factis ipsis penes Auctores, qui interfuisse se dicerent, esse oportere. *Jam vero*, subjungit sermone semper ad Papam directo, *tuum est de hac causa judicare, ego enim tuæ definitioni simpliciter me submitto. Quod spectat ad Ingeltrudem, me inscio absoluta est, & ubi ad meam notitiam pervenit, adulterii* 482. c. 4.

ream

Sæculum IX. A. C. 864.

ream esse, abominatus sum scelus. Nego simpliciter me seditionis, vel cujuscunque conjurationis reum esse, sed Sedi S. Petri sinceriſſime addictus sum. Ceterum hunc Legatum ideo tardius ad te miſi, ut prius meo hortatu Fratres noſtri in tuam sententiam concederent, omnesque unius mentis essemus. In fine a Papa in Communionem ſuſcipi rogat. Rex Carolus quoque, datis ad Papam literis, Adventio patrocinatus eſt; quem inde etiam commendat, quod ſibi ſemper fuerit charisſimus, Drogonis patrui ſui alumnus, ejusque in Eccleſia Metenſi Succeſſor.

p. 485.

p. 487. Papa Adventii excuſationem eo promptius recepit, quod eum, ut ſcripſerat, morti proximum crederet. Verum in hac Nicolai Papæ Epiſtola verba ſequentia ſunt notatu digna: *Illud vero quod dicitis, Regibus & Principibus vos esse ſubjectos, eo quod dicat Apoſtolus: ſive Regi tanquam præcellenti, placet. Verumtamen videte, utrum Reges iſti & Principes veraciter Reges & Principes ſint. Videte ſi primum ſe bene regunt, deinde ſubditum populum. Nam qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? videte ſi jure principantur; alioquin potius tyranni credendi ſunt, quam Reges habendi; quibus magis reſiſtere, quam ſubdi debemus, ne nobis neceſſe ſit eorum vitiis favere. Ergo Regi quaſi præcellenti,*

1. Pet. 2. 13.

Eccl. 14. 5.

Nicolai I. Epiſtola ad Adventium.

lenti, virtutibus ſcilicet & non vitiis ſubditi eſtote; ſed ſicut Apoſtolus ait, propter Deum & non contra Deum. Sæculum IX. A.C. 864. 1. *Pet.* 2. 13.

Nicolaus Papa non attendebat, Regem illum ſeu potius Imperatorem, cui obedire S. Petrus præcipiebat, fuiſſe Neronem, & Apoſtolum in eodem loco ſubjunxiſſe; Servos obedire oportere Dominis ſuis non tantum bonis, ſed etiam dyſcolis. Præterea hic Pontifex Epiſcopos conſtituit Judices in quæſtione, an Principes legitimi ſint vel Tyranni (*); non ſolum vero Epiſcopos, ſed omnes *v.* 18. Sub-

(*) Fleurius ex Epiſtola Nicolai Papæ non ſenſum modo, ſed ipſa ferme verba caute reddidit. Tom. V. Conc. Paris. p. 325. Dicit ad hunc locum ipſius Adverſarius, quod Papæ verbis maligne ſenſum affingat, ac ſi non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam populi eſſet, judicare, num Principes legitimi ſint vel tyranni. Sed ſomniat. Sincera eſt Fleurii Reflexio, ſuamque opinionem ex S. Scriptura clare probat. Quamvis enim Nicolai Papæ mens omnino ita explicanda ſit, ſicut Adverſarius vult, nempe tunc ſolummodo eſſe reſiſtendum Principibus, quando contra manifeſtam Dei Legem quidquam præcipiunt, cum tamen aliqua verba ſint ambigua, & ratio addita univerſalis, in materia usque adeo delicata, Fleurius ſine mala fide hanc Reflexionem ſubjungere potuit.

Sæculum IX. A. C. 864.

Subditos, quia ratio, quam affert, universalis est.

Cum Franco quoque Episcopus Tungrensis datis ad Summum Pontificem literis veniam peteret, quod Concilio Metensi interfuisset & consensisset, Papa ei absolutionem per Epistolam decima septima Septembris, Indictione decima tertia, nempe hoc anno octingentesimo sexagesimo quarta datam concessit; quod in Concilio Romano illis Episcopis promiserat, qui ferendæ injustæ sententiæ conscii & non Duces fuissent.

Nic. ep. 45.

§. XXXV.

Rodoaldus Romæ condemnatur.

Nic. ep. 7. *p.* 290.

Rodoaldus Episcopus Portuensis Romam cum Imperatore Ludovico redierat, tunc temporis, cum Papa in Basilica S. Petri quasi obsessus degeret. In illo tumultu Papa Concilium, in quo eum judicaret, differendum ratus, cum sibi fuisset delatum, Rodoaldum rursus fugæ esse intentum, præsentibus compluribus Episcopis aliisque viris denunciat, ei cum amicis & servulis Romæ tuto remanere licere, & ibi expectare tempus Concilii, in quo causam diceret; si vero urbe excederet se inscio, ipso facto depositum & excommunicatum fore. Quo non obstante Rodoaldus sine licentia abiit, & spoliata sua Ecclesia in exteras provin-

cias

cias fugit. Igitur secundo fugitivum Pontifex pro convicto habens convocata in Ecclesia Lateranensi frequentissima Synodo deposuit, excommunicavitque, addita anathematis comminatione, si cum Photio communicaret, aut Ignatio aliquatenus noceret. Sæculum IX. A. C. 864.

§. XXXVI.

Rotadus Romæ absolvitur.

Conjectura est, in eo etiam Concilio Rotadum fuisse restitutum. Quippe Rex Carolus Papæ mandatis obsecutus Rotadum Romam miserat cum Roberto Episcopo Cenomanensi, Regis Epistolas deferente. Episcopi quoque ex ejus Regno Legatos cum Epistolis ad Papam miserant; cum vero ceteræ interierint, Hincmari tamen Epistola ætatem ad nos usque tulit, in qua causam fuse pertractat. *Appellationem Rotadi ad S. Sedem*, inquit, *non parvi pendimus, sed cum appellasset ad Judices a se ipso delectos, in eum sententiam pronunciavimus, salvo jure Sacræ Sedis, cui de omnibus rationem reddere tenemur. Absit enim, ut inverecunde ad te omnium Clericorum inferiorum superiorumque causas deferamus, quas Canones & Pontificum Decreta in Conciliis provincialibus definiri jubent. Si autem in quacunque Episcopi causa Canones nihil certi statuant, tunc ad* *Ann. Bert.* 864. *Hinc. opusc.* 17. *ap. Flod. III. hist c.* 12. *to.* 2. *p.* 247.

Sæculum IX. A. C. 864. *ad Oraculum, id est, S. Sedem nobis recurrendum est. Præterea Episcopo in Concilio provinciali depositio, nisi ad Judices a se delectos appellaverit, secundum Concilium Sardicense ad Papam appellare licet. Soli Metropolitæ non alium Judicem* (*) *quam Papam habent, a quo Pallium accipiunt.*

Quod ad Rotadum pertinet, dicit Hincmarus, quod eum diu toleraſſet, ſæpe commonuiſſet, nec prius inſtituiſſet judicium, quam poſtquam emendationis ſpes non ſuperfuiſſet. *Impetravi a Rege*, inquit, *ut ei ex conſenſu Epiſcoporum pinguem Abbatiam conferret, ubi quieti ſe daret. Sed ferunt, Rotadum ab Epiſcopis de Regno Lotharii nobis infenſis, quod nobis in cauſa Waldradæ eorum ſententia non probetur, & ab Epiſcopis Germaniæ, ad id excitatis a Rege ſuo, cujus conſilium fratrem ſuum regno ſpoliandi, quod fecit Rotadus, non laudavi, impulſum fuiſſe ad res novas movendas, & ſpe lactatum, ſe a Sacra Sede reſtitui poſſe. Nunc vero tuis mandatis obſequentes a Rege obtinuimus, ut ad te*

Sup. Lib. XLIX. §. 49

(*) Hæc Regula non conſtat; quippe etiam Metropolitæ Conciliis Provincialibus ſubjiciebantur, atque ipſe Hincmarus in cauſa ſuæ Ordinationis in Concilio Sueſſionenſi Epiſcoporum judicio ſe ſubmiſit. Sup. L. XLIX. N. VIII.

Sæculum IX. A. C. 864.

te mitteretur; sed eum in Ordinem Episcopalem non restituimus. Primo, quia prius se in viam dedit, quam Synodus congregari potuisset, quod tamen fuisset necessarium. Secundo, quia Episcopi, qui indignum esse, & ad officia boni pastoris desidiosum non ignorant, riderent me, crederentque, mentem mibi esse remotam, si de eo restituendo mentionem inferrem. Et post alia: *Si eum restitueres, sciens,* p. 251. *qualis ejus vita sit, nobis non incumberet rationem reddere animarum, ipsius curæ commissarum, & ego in patientia placida dissimularem, non ignarus, quæ apud* p. 256. *nos Sacræ Sedis reverentia esse debeat. Attamen prudentiam tuam non fugit, quod, si id faceres, hac dispensatione contemptum Præpositorum, & libertatem Canones violandi in his partibus foveres. Clerici, & multo magis Sæculares viri nimium heu! judicia nostra vilipendunt, & ea effutiunt, quæ referre, ne displiceam, non licet. Si deinceps quisquam* Hincmari ad Nicolaum I. Epistola. *in nostra provincia se reum fecerit delectorum, quæ causis majoribus adnumerari possint, ideoque ad te remitti, monebo peccantem, ne peccati particeps coram Deo fiam. Si se emendaverit, bene est, secus eum ad Judicium tuum dimittam, & si ire recuset, faciet, quod lubebit* (*); *mea*

(*) Quamvis hic Hincmarus plus justo acer-

Sæculum IX. A. C. 864.

mea vero liberata erit conscientia. Ad hæc facienda, inquam, compellar, ne a te frequentissime literas accipiam comminationibus excommunicationis plenas; quamvis Patres doceant, hanc pœnam raro & non sine maxima necessitate esse infligendam. Si autem improborum calumnia contra nos prævaleant, cur Concilia provincialia celebrando frustra fatigemur?

Ann. Bert. Cum Rotadus & itineris comites Italiæ finibus appropinquarent, Ludovicus Imperator, Fratri suo Lothario acquior, quam Regi Carolo, transitum denegavit. Itaque Legatis Caroli & Episcoporum satis fuit Papam itineris sui causam per occultos nuncios edocere, tumque in Franciam redierunt. At Rotadus, morbum simulans, Vesuntione remansit, & post eorum discessum Curiam se contulit, ubi Regibus Lothario &

bus sit, & malam causam tueri videatur, aliqua tamen vera & bona hæc Epistola continet. Multis plane incommodis obnoxia est Appellatio. Longa plerumque via est ad Judicem superiorem, Judicis Ordinarii Auctoritas minuitur, vilescunt Judicia Ecclesiastica, moræ nectuntur propemodum infinitæ, cumque hoc remedium juste æque ac injuste damnati arripiant, sæpe necessaria emendatio nimium differtur, & non nunquam delicta impunita triumphant.

& Ludovico Germaniæ patrocinantibus ab Imperatore licentiam pergendi Romam impetravit, quo menſe Aprili exeunte anno 864. pervenit. Poſtquam per ſemeſtre expectaſſet, nemoque ejus accuſationem moveret, oblato Pontifici Libello injuriam ſibi factam expoſuit, petiitque, ut Papa pronunciaret, num legitime appellaſſet. Sæculum IX. A. C. 864. *Libel. Rot. to. 8. Conc. p. 789.*

Papa ad ineuntem Novembrem Concilium indixerat, atque omnes Epiſcopos Galliarum, Germaniæ & Provinciæ Belgicæ (id eſt, ut mihi videtur, Regni Lotharii) vocaverat, in quo Depoſitio Theutgaudi & Guntharii confirmaretur. Item in hoc Concilio de Regis Lotharii, & Ignatii Patriarchæ cauſis agere conſtituerat. Venerunt Theutgaudus & Guntharius, ſperabant enim reſtitui Ludovici Imperatoris patrocinio. Sed abnuit Pontifex, quamvis Guntharius non nulla pœnitentiæ ſigna ederet. Ceteri Epiſcopi Galliæ & Germaniæ excuſarunt, quod ad hoc Concilium Romanum venire non poſſent.

In Vigilia Nativitatis Domini anno octingenteſimo ſexageſimo quarto Summus Pontifex, de more in Baſilica S. Mariæ Majoris Sacris operans, ambonem conſcendit, & Rotadi cauſam publice expoſuit, ſummatim referens facta in Libello contenta, & aſſerens, etiam tunc, *Anaſt. p. 263.* *to. 8. Conc. p. 789.*

Sæculum IX. A.C 865.

si non appellassset, non requisito consensu Sacræ Sedis non debuisse deponi. (*) Deinde ex consensu Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, totiusque Conventus edixit, Rotadum, violato appellationis jure depositum, contra quem, cum jam longo tempore Romæ esset, nemo accusationem attulisset, vestibus Episcopalibus esse ornandum. Eas igitur accipiens Rotadus profitebatur, semper se ad respondendum parti adversæ paratum fore. Postquam Papa adhuc dum usque ad diem S. Agneti Sacram, vigesimam primam Januarii, anno octingentesimo sexagesimo quinto, rem distulisset, nemine contra Rotadum quidquam movente, is Papæ publice in Ecclesia S. Agnetis extra muros Libellum tradidit, quo se ab objectis purgabat, promittens, se adversariis suis, quotiescunque vellent, responsurum. Libello coram omnibus perlecto, & Restitutionis Formula recitata, Rotadus consentientibus omnibus in Ecclesia Constantiæ, prope S. Agnetem sita, Missæ solemnia celebravit. Altera die iterum congregatur Concilium, Rotadus objecta diluit, Ordini suo restituitur, & cum Epistolis Papæ ad Sedem

to.8. Conc. p. 791.

(*) Plurimos Episcopos in Conciliis, priusquam S. Sedes consuleretur, fuisse depositos Historia Ecclesiastica hactenus docuit.

dem suam remittitur, ea conditione, ut, si denuo accusaretur, coram Sacra Sede respondere teneretur. Sæculum IX. A. C. 865.

§. XXXVII.

Epistola Papæ in Franciam missa.

Pontifex cum Rotado misit in Franciam Arsenium, Episcopum Hortensem in Hetruria, tum ut eum restitui curaret, tum ut Regem Lotharium ad relinquendam Waldradam compelleret, & inter Reges Francorum pacem foveret. Huic Legato complures Epistolæ Rotado faventes commissæ, quarum una mense Januario, Indictione decima tertia, nempe anno octingentesimo sexagesimo quinto, data nos docet, ceteris omnibus sine dubio eandem diem fuisse appositam. Memoratu autem dignior nulla est, illa, quam Pontifex ad omnes Episcopos Galliæ direxit; in ea enim loquitur in hunc modum: *Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rotadum, qui ad Judicium Sedis Apostolicæ provocavit, iterum mutata voce vestra judicia postulasse. Quod etiamsi fecisset, a vestra fuerat Fraternitate corrigendus, & docendus, quod a majori ad minoris Auctoritatis provocasset judicium. Etsi vero Sedem Apostolicam nullatenus appellasset, nihilominus contemptis tot Decretalibus Antecessorum nostrorum, Episcopum inconsultis* *ep.* 40. 41. 43. 44. *p.* 798.

Sæculum IX. A. C. 865.

nobis deponere nullo modo debuistis. S enim Pontificum judicio aliorum Doctorum Scripta vel approbantur, vel rejiciuntur, quanto majorem reverentiam esse oportet eorum, quæ ipsi ad confirmandam Doctrinam, vel conservandam Disciplinam scripserunt? Quidam vestrum dicunt, illas Pontificum Decretales Epistolas in Codice Canonum non contineri cum ipsi, ubi illas suæ sententiæ suffragari conspiciunt, iisdem sine discrimine utantur, & solum ad imminutionem potestatis Sedis Apostolicæ minus acceptas esse perhibeant. Porro si ideo has Pontificum Epistolas non esse admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscriptæ; ergo nec Gregorii Sancti, nec priscorum Patrum, nec ipsius S. Scripturæ Doctrina recipienda est. Deinde ex auctoritate S. Leonis & S. Gelasii probat, generatim omnes priscorum Pontificum Decretales esse recipiendas.

p. 801. Tum prosequitur: *Sed dicitis, judicia Episcoporum non esse majora negotia. At nos horum merito judicia negotia majora dicimus, quod gradu sint præcipui, & in Ecclesia Christi ceteris sublimiores. Ipsi quippe primi in Ecclesia, Speculatores Civitatis Dei, Pastores gregis Dominici, ipsi columnæ Domus summi Regis existunt.*

Tantum

Tantum Elogium Dignitatis Episco-palis in ore Pontificis, suam animose defendentis, notari meretur. Tum subjungit: *An majora negotia Metropolitanorum tantum esse dicetis? sed alterius Ordinis quam Episcopalis non sunt; unde nos non minoris numeri, nec alterius famæ accusatores, testes vel judices quærimus in negotiis Episcoporum, quam in causis Metropolitanorum. Unde tam illorum quam istorum negotiorum nobis exitus reservari merito volumus.* Et inferius: *Neque enim tam stolidus, puto, poterit inveniri, qui ceteris Ecclesiis privilegia servari, & soli Romanæ Ecclesiæ adimi debere perhibeat.* Tandem Nicolaus Papa Episcopos Rotadum benigne recipere & Sedi suæ restituere jubet.

Sæculum IX. A. C. 865. Nicolai Papæ Epistolæ.

Hæ Decretales, quas Papa tanto fervore defendit, sunt Collectio Isidori Mercatoris. De his suo loco egimus, easque falsas esse omnes noverunt. Illud verum est, quod clare statuant, Episcopos a nemine nisi a Sacra Sede absolute judicari posse. Verum etiam est, quod ex eo capite rejici non potuissent, quia in Codice Canonum non essent. Sed examinandum fuisset, an revera ab illis Pontificibus, quorum nomina præferebant, editæ essent, quod Criticæ artis ignorantia illa ætate non permittebat.

Sup. Lib. XLIV. §. 22 Evar. ep. 2. to. 1. Conc. p. 538. Anic. ep. c. 3. Eleuth. ep. c. 2.

Sæculum IX. A. C. 865.

In rei ſumma Epiſcopi Franciæ, quod verum erat, affirmabant, & Lector ex omnibus, quæ hucusque in iſta Hiſtoria legit, diſpicere poteſt, an aliud, præter Concilium provinciale, ad judicandos Epiſcopos Tribunal ordinarium extiterit.

Nic. ep. 25. & ibi Sirm.

Arſenius præterea quasdam alias deferebat Epiſtolas. Una data erat ad Regem Carolum, in qua Papa eum hortabatur, ut cum Imperatore nepote ſuo pacem haberet, & Regnum fratris ipſius, Regis Caroli junioris ante biennium fatis functi, eripere non tentaret. Alia Epiſtola eadem de cauſa data erat ad Epiſcopos Regni Caroli Calvi. Rogabat Papa, ut ſuo hortatu Regem ad ſervandam juramenti fidem permoverent, addens hæc verba memorabilia: *Ne Imperator machæræ uſum, quem a Petri Principis Apoſtolorum Vicario contra Infideles accepit, cogatur in Chriſti Fideles convertere. Sinatur gubernare regna ad ipſum devoluta per jus hæreditarium, auctoritate Sacræ Sedis confirmatum, & per coronam e Summi Pontificis manu capiti ejus ſuperpoſitam.* Videmus, quod Papa ex Cæremoniis Coronationis Cæſareæ & traditione gladii argumentum trahere voluerit. Tum comminatur Dei vindictam omnibus, qui Imperatorem armis laceſſere auſi fuerint,

Nicolaus Papa ad Epiſcopos.

ep. 26. p. 401.

Pont. Rom. de Cor. Reg.

ſeque

seque ipsum Principi, quantum valeret, opem laturum denunciat. Sæculum IX. A. C. 865.

Quod spectat ad causam Regis Lotharii, Papa datis ad Episcopos regni ejus literis hortatur, ut Regem vigore Sacerdotali corriperent, ad Waldradam ejiciendam compellerent, & comminarentur, a Communione ipsorum excludendum, nisi obsequeretur. Præterea vult, ut Arsenio omnia consilia communicent. Adonem quoque Archiepiscopum Viennensem ad id ipsum exhortatur data Epistola, in qua initio dicit, Concilium, quod Romæ celebrare animo constituisset, locum non habuisse, quia Episcopi ex Francia, quamvis illud expetiissent, non veniissent. Nempe, istud Concilium non ita frequens fuit, ac Papa speraverat, constat enim, quod sub finem anni superioris Romæ Concilium celebraverit, in quo Rotadus fuerat restitutus. Diluit deinde sparsum rumorem, quasi Theutgaudum & Guntharium restituisset, & in fine adjicit: *Porro illud risu dignum in tua Epistola visum est, quod dicas: hujus latorem esse Comitis Gerardi Presbyterum. An forsan hic Comes eum sibi Presbyterum ordinavit, & Diœcesim habet? Ordinantur Presbyteri pro Ecclesiis in Civitate vel ruri positis, vel pro Monasteriis, sed nunquam pro domibus Laicorum. Sed & hunc for-*

Ep. 10. *to.* 8. *Cons. p.* 494.

Sæculum IX. A. C. 865.

te abusum, cum in Concilio convenerimus, tollemus. Ex his verbis dispicimus, tunc necdum consuetudinem obtinuisse, qua Clerici, nulli Ecclesiæ addicti, ordinantur.

Arsenio in itinere constituto, circa festum Paschale, quod hoc anno octingentesimo sexagesimo quinto in vigesimam secundam Aprilis incidebat, Nicolao Papæ redditæ sunt Epistolæ duorum Regum Ludovici & Caroli, excusantium, quod Episcopos suos ad Concilium Romanum celebrandum non misissent. Ex responsis dispicitur, has excusationes Pontifici non satisfeciisse; illud vero minime, quod Rex Carolus scripsisset, plerisque Episcopis regni sui cum ceteris subditis diu noctuque vigilandum esse, ne a prædonibus maritimis (nempe Normannis) inermes opprimerentur. *Militum sæcularium est*, inquit, *ad arma prorumpere, Episcopos vero orationi vacare oportet.*

Epistola ad Reges.

Et infra: *Dicitis, vos commonuisse Lotharium, eumque vobis sæpe respondisse, Romam se venturum, & sui conjugii causam nostro arbitrio commissurum. Id ipsemet nobis etiam per Legatos Imperatoris significari jussit; sed interdiximus & omnino interdicimus, ne talis qualis nunc est, iter ad nos arripiat. Huc usque conversionem ipsius præstolati, censu-*

censuram in eum publicam ferre distulimus, ne sanguis effunderetur, & excitarentur bella, si autem elatus fuerit, & nostris vestrisque monitis obedire neglexerit, talis habendus est, qualem illum per Epistolam nostram Rodoaldo olim Episcopo & Joanni Episcopo missam nos habere jam cognovistis. Id est, esse excommunicandum. Jubet deinde Papa, ut alium Episcopum Coloniæ Guntario, & Cameraci Hilduino sufficiant. Ubi etiam aliquis, nomine Joannes, ordinatus est. Tum Pontifex subjungit: *Hæc autem nostra Epistola ideo more solito scripta non est, quia & Legatus vester expectare non potuit, & Scriniariis nostris ob Festa Paschalia aliis officiis occupatis uti non licuit.* Nempe hi Scriniarii Clerici erant, quibus in Ecclesia ministrare incumbebat. Sæculum IX. A. C. 865.

Illo quoque tempore, postquam Arsenius discessisset, Nicolaus Papa responsa dedit ad Arduicum Archi-Episcopum Vesuntionensem, qui Pontificem de variis Disciplinæ articulis consuluerat. In exordio laudat ejus obedientiam & observantiam in Sacram Sedem, tum Regulas sequentes tradit. Qui duas sorores duxerint, aut quæ duos fratres, ad alias nuptias transire nunquam possint, & non prius quam in articulo mortis positi reconcilientur. Omnes, qui matrimonio *to.* 12. *Spicil. p.* 42. *c.* 1. *c.* 2.

Sæculum IX. A. C. 865.

monio ex causa affinitatis illicito impliciti fuerint, aliud inire non valeant, nisi ex indulgentia, si juvenes sint.

c. 4. Episcopus a Clericis, primoribus Civitatis consentientibus, Canonice electus

c. 5. iterum rejici non potest. Chorepiscopi Ecclesias consecrare, aut Confirmationem solis Episcopis conservatam confer-

c. 6. re non possunt. Presbyter semel lapsus Ordinis sui Ministerio restitui nunquam potest.

c. 7. Qui propinquum occidit, usque ad mortis tempus excommunicatus sit. Jubet Papa, ut Archiepiscopus alias quæstiones dubias, si quas habet, Arsenio Legato suo proponat.

§. XXXVIII.

S. Anscharii obitus.

Sup. Lib. XLIX. vit. S. Ansch. n. 64. to. 6. Act. Ben. p. 110.

Ubi ad Italiæ fines pervenit Arsenius, iter prosequi statuit per Germaniam, quæ, antequam illam attingeret, splendidissimum lumen suum, S. Anscharium Archiepiscopum Hamburgensem & Bremensem amisit. Is per sex annorum spatium, postquam illæ Ecclesiæ junctæ fuissent, luce fruens, gregi suo regendo assiduis laboribus incumbebat. In suis sermonibus ad populum terroribus blandimenta miscebat; hac quippe gratia in verbis & vultu admirandus erat, ut peccatoribus potentibus & divitibus, maxime

maxime tamen contumacibus & proter- Sæculum IX.
vis terribilis appareret, eum vero me- A. C. 865.
diocris sortis homines quasi fratrem complecterentur, & pauperes quasi patrem piissimo affectu venerarentur. Quam largus in eleemosynis dandis fuerit, nemo facile enarraverit. Bremæ Hospitium condidit, ubi ægrotantes suscipiebantur, & peregrini divertebant. Anachoretas sive viros sive feminas sæpe invisebat, & necessariis subsidiis adjuvabat. Tempore Quadragesimæ quatuor pauperes quotidie alebat, cumque Parochias circuiret, antequam ipse ad convivium accederet, ministrabat pauperibus. *n.* 61.

Anscharius maxima charitate impul- *n.* 66.
sus captivos redimebat. Nordalbingi, etsi essent Christiani, non nullos miseros captivos, qui apud Barbaros affligebantur, cum inde effugerent, sibi subjiciebant, vinculis premebant, aut iterum aliis dominis venumdabant. Cum igitur hæc crudelitas ad notitiam S. Viri perveniisset, & propterea multum angeretur, quoniam in hoc nefando scelere, qui potentissimi & nobilissimi habebantur, irretiti erant, quadam nocte visione, quam e Cælo venire credidit, excitatus, ad illum populum profectus est. Et ecce! tantum per Dei gratiam contumacibus terrorem incussit, ut miseri illi, ubi-

Sæculum IX. A. C. 865.

ubicunque venditi fuerant, quærerentur, & libertate donati dimitterentur. S. Præsul dono miraculorum quoque inclaruit, nam permultos ægrotos oratione & unctione olei sanavit. Cum vero de hujusmodi virtutum signis aliquando coram eo fieret sermo, ipse cuidam suo dixit familiari: *Si dignus essem apud Deum meum, rogarem quatenus unum mihi concederet signum, videlicet ut de me sua gratia faceret bonum hominem.*

n. 67.

n. 57.

Vitam omnium Sanctorum imitari studuit, specialius tamen Beati Martini. Cilicio ad carnem non solum in die, sed etiam in nocte usus est. Porro quousque juventutis aliquatenus potitus est robore, persæpe nihil nisi panem in pondere, & aquam in mensura sumebat, maxime quamdiu solitudine ei uti licitum erat in quadam cellula, quam sibi extruxerat, ut ibi quiescere, & cum a Ministerio Pastorali vacaret, libere flere liceret. Jam vero postquam senuit, & a cibo sicut ante abstinere non potuit, potus tamen ei semper aqua fuit, & abstinentiæ defectum eleemosynis supplevit. Ut devotionem sibi in Dei amore acueret, collegit plurimas ex S. Scriptura sententias, quibus magnos codices implevit per notas scriptos. Inde ad finem cujuslibet Psalmi oratiunculas aptavit, quales hodieque in veteribus Psalte-

n. 58.

Vita S. Anscharii.

n. 59.

riis

riis videre est. Singulis diebus mane Missas quatuor se præsente celebrari jubebat, dum ipse officium divinum recitaret, & nihilominus Missam solemnem hora competente cantabat, nisi per ægritudinem impediretur. Sæpe Psalmos recitans manibus suis laborabat, & retia texebat. Sæculum IX. A.C. 865. n. 68.

S. Anscharius semper speraverat, se martyrio potius, quam corporis infirmitate consummandum; cum igitur acriter cœpit laborare & ad mortem urgeri, tristis admodum factus, ob peccata sua hac spe frustratum se credidit. Corporis morbus fuit dysenteria jugis per quatuor menses, qua ita extenuatus est, ut vix hæreret ossibus. Summa autem fuit S. Viri patientia. Et exinde solicitus quæque in Diœcesi sua cœpit disponere. Insuper privilegia Apostolicæ Sedis, quæ Legationis suæ causa acceperat, in multis libellis jussit describi, & ad omnes fere Domini Ludovici Regis Episcopos dirigi. Ipsi quoque Regi Ludovico exemplaria tradi curavit, rogans, ut ea executioni dari mandaret. Cum se morti proximum sentiret, in Vigilia Purificationis prima Februarii anno octingentesimo sexagesimo quinto, tres grandes cereos fieri jussit, atque unum accendi ante Altare S. Mariæ, alterum ante Altare S. Petri, tertium ante Altare S. Joannis Bapti- n. 68. n. 69. n. 70.

Sæculum IX. A. C. 865.

Baptistæ, optans, ut ipsi eum de corpore susciperent egredientem. Illucescente Festivitatis die Missas, sicut quotidie soliti fuerant, cuncti qui adfuere Sacerdotes, pro ipso celebrarunt. Jussit vir Sanctus ad populum sermonem haberi, & nihil eadem die gustavit, donec publica fuisset finita Missa. Qua celebrata, cum parumper comedisset & bibisset, per omnem diem studiosius suos commonere, & ad Domini servitium accendere conatus est, nunc oratione ad omnes, nunc ad quosdam sigillatim directo. Maxima tamen ejus cura & solicitudo de sua Legatione ad gentes fuit. Fratribus, qui aderant, Litaniam & Psalmos ex more pro ejus exitu decantantibus, voluit, ut etiam hymnum: *Te Deum laudamus* adjungerent & Fidem Catholicam, quæ S. Athanasio tribuitur. Cum illuxisset, omnibus Sacerdotibus Sacra Missarum solemnia pro eo celebrantibus, Dominici Corporis & Sanguinis Communione percepta elevatis manibus precabatur, ut quicunque in eum quoque modo peccasset, ei hoc Pietas divina dimitteret, & versiculos Psalmorum frequentius repetens, spiritum exhalavit, tertia Februarii, anno octingentesimo sexagesimo quinto, annos natus sexaginta quatuor, ex quibus triginta quatuor in Epis-

Ad lib. 1. c. 27

Episcopatu transegerat. Eadem, qua obiit, die Ecclesia ejus memoriam colit. Sæculum IX. A.C. 865.

Mart. Rom. 3. *Febr.*

§. XXXIX.

S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis.

Sancti Anscharii vitam scripsit S. Rembertus ejus Discipulus & Successor. S. Anscharius quadam die in suo Monasterio Turholtensi commorans prope Brugas, aspexit pueros ad Ecclesiam inter jocos & inanes discursus festinare; unus autem inter ceteros pæne minimus graviter incedens & pueriles levitates devitans Orationem cum reverentia & timore peregit, surgensque signo crucis frontem munivit, & quasi maturioris esset ætatis, suam per omnia continentiam exhibuit. Mox S. Episcopus accitis ejus parentibus, & nomen pueri, quod Rembertus vocaretur, edidicit, & consensu eorum accepto Tonsuram ei contulit, & Ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum in illo Monasterio paterna solicitudine commendans studiose erudiri præcepit. Eum deinde ad se evocatum, Discipulorum charissimum, rerum suarum omnium conscium habuit. Is etiam S. Anschario Magistro suo morienti adstitit, quo jubente preces, quas ille amissis viribus non poterat, pronunciavit.

vit. S. Remb. n. 3. to. 6. Act. B. p. 473.

n. 9.

Sæculum IX. A. C. 865.

Denique cum S. Anſcharius extrema infirmitate decumberet, & ab eo conſilium quæreretur de Succeſſore ejus eligendo, præſertim quid ipſi de Remberto videretur, reſpondit, quod hoc decernere ſui quidem miniſterii non ſit, *de meritis tamen*, inquit, *Remberti ſcitote, dignioremipſum Archiepiſcopali, quam me Subdiaconatus officio eſſe.* Triduo autem ante obitus ſui diem Remberto aperuit, ipſum poſt ſe ad Pontificatus apicem promovendum. Id eventus confirmavit; nam ipſo mox die depoſitionis S. Anſcharii Rembertum omnes concordes elegerunt. Igitur cum Electionis Decreto ad Regem Ludovicum a Thiadrico Eccleſiæ Mindenſis Epiſcopo, & Adalgario novæ Corbejæ Abbate adducitur, & ab eo honorifice ſuſcipitur, qui etiam novo Epiſcopo juxta morem tradidit Baculum (*) in ſignum, quod poſſeſſionem Epiſ-

n. 10.

v. 11.

Adam. lib. 14 *c.* 28. *f.* 32.

(*) Ecce, hic Exemplum Inveſtituræ cum Baculo, & quidem, ut verba ſonant, juxta morem; quæ res ſequentibus ſæculis tantorum jurgiorum cauſa extitit.

Ad hunc locum in Actis SS. Benedict. Edit. Venet. in vit. S. Remb. ſubjungitur ſequens Annotatio, quam exſcribere, operæ pretium eſſe puto. *Hæc verba in gratiam Imperialis Inveſtituræ intruſa fuiſſe tempore Henrici IV.* con-

Episcopatus acciperet. Gregorius IV. Papa, cum illam Sedem erigeret, mandaverat, ut interim Principis curæ Ordinatio Archiepiscopi Hamburgensis committeretur, donec numerus Suffraganeorum Episcoporum, quibus eum consecrare per Canones competit, ex gentibus conversis suppleretur. Hinc Ludovicus Rex Rembertum ad Liutbertum Archiepiscopum Moguntinum misit, qui eum ordinavit, adhibens Consecrationis adjutores Liudhardum Paderbornensem Episcopum, Suffraganeum suum, & Thiadricum Mindensem, Archiepiscopi Colonienſis Suffraganeum. Quos permixtim adesse idcirco placuit, ut neuter istorum Archiepiscoporum jus ordinandi Hamburgensem sibi assereret. Sæculum IX. A. C. 865.

Ceterum Carolo Archiepiscopo Moguntino quarta Junii anno octingentesimo sexagesimo tertio satis functo Liutbertus eodem anno vigesima nona Novem- *Ann. Fuld.* 863.

set Henschenius, hac maxime ratione ductus, quod in primariis Ecclesiæ Hamburgensis & Bremensis Privilegiis nullum hujus rei vestigium apparet. Et tamen Adamus, Henrici æqualis, hæc privilegia pro investitura Imperiali laudat his verbis cap. 28. Pallium Rembertus Pontificale suscepit a Papa Nicolao, ferulam pastoralem a Cæsare (scribendum Rege) *Ludovico, sicut in privilegiis dignosci potest.*

Sæculum IX. A.C. 865.

vembris succesſerat, qui hanc Cathedram annis viginti quinque tenuit.

n. 12.

Rembertus olim voverat, defuncto Anſchario ſtatim vitam monaſticam amplecti; unde ex conſilio conſecrantium ſe Pontificum mox poſt Ordinationem ad Monaſterium novæ Corbejæ properans, habitum ſuſcepit, & Regulam S. Benedicti obſervaturum ſe promiſit, in quantum labor & occupatio ſuſcepti Pontificatus permitterent. Cumque in Monaſterio degere non poſſet, petiit ſocium, a quo Regulæ uſum diſceret. Ergo ei Diaconum, nomine Adalgarium, germanum videlicet & cognominem ejusdem Monaſterii Abbatis dederunt. Sedit Rembertus in Cathedra Hamburgenſi annis viginti tribus, præbens exempla omnium virtutum, quæ verum monachum conſtituunt, ea perfectione, ac ſi in Monaſterio perſeveraſſet.

§. XL.

Arſenius Legatus in Francia.

Ann. Fuld. 865. 866.

Arſenius Legatus Francofordiam menſe Junio anno octingenteſimo ſexageſimo quinto perveniens, honorifice excipitur a Rege Ludovico, cui Epiſtolas Pontificis reddidit. Tunc ſtatutum, ut Reges Ludovicus, Carolus, & Lotharius Coloniæ congrederentur, ubi de conſervanda pace agerent.

Inde

Sæculum IX. A.C. 865.

Inde Arsenius Gunterivillam ad Regem Lotharium profectus tam ipsi quam Episcopis & Optimatibus tradidit Epistolas, quæ ei excommunicationem minabantur, nisi ejecta Waldrada Theutbergam reciperet. Tunc vero illa auctoritate, qua Summus Pontifex si adfuisset, Episcopos convocat, ipsisque præsentibus Regi denunciat, jam alterutrum sibi esse eligendum, vel uxorem suam recipere, vel hac hora excommunicari. Rex inter malleum & incudem positus, promisit invitus, se uxorem recepturum. Tum Arsenius in Neustriam pergens circa medium Julii Attiniacum pervenit, ubi redditis Regi Carolo Papæ Epistolis, Rotadum quoque Episcopum, Roma adductum obtulit, qui in Sedem suam Suessionensem, secundum mandata Pontificis, eo facilius restitutus est, quod illum, qui ipsius locum tenuerat, interea mors absstuliisset.

Ann. Bert. 865.

Ann. Met. 866.

Hincm. in laud. c. 5. *p.* 401. *&* 405

Eadem die, Arsenio negotium urgente, Theutberga Regina Archiepiscopis Regni Lotharii traditur, & ad eundem Principem reducitur. Quippe Hugo Theutbergæ frater anno superiore 864. interemptus fuerat a militibus Ludovici Imperatoris, quo invito Abbatiam S. Mauritii, aliasque ampliſſimas ditiones occupabat, atque eo sublato Theutberga rursus ad præsidium Regis Caroli convolans,

Ann. Bert. 864.

Ann. Meten.

Sæculum IX. A. C. 865.

lans, ab eo Abbatiam Avenacenſem in Diœceſi Rhemenſi poſitam acceperat. Igitur illa ad Lotharium reducta, & Arſenio quoque ad ejus Regiam reverſo, duodecim Comites nomine Regis juramenti fide ſe adſtrinxerunt, ipſum deinceps Theutbergam apud ſe iis modis, quibus legitimam uxorem deberet, ſub pœna excommunicationis in hac vita, & damnationis in altera, habiturum. Rex etiam Waldradam iter Romam ingredi juſſit, ubi de factis ſuis rationem redderet.

Nic. ep. 58. *p.* 453.

Cum deinde Lotharius, ad fœdera cum Carolo patruo ſuo renovanda, Attiniacum veniſſet, Arſenius quoque illo reverſus, vulgavit Papæ Epiſtolam, qua, niſi reſtituerent, omnibus diris devovebantur fures, qui ante annos aliquot eidem Arſenio magnam pecuniæ ſummam abſtulerant. Item Ingeltrudem Boſonis uxorem excommunicatam iterum promulgavit. Præterea nomine S. Pontificis prœdii Wandoverani, a Ludovico pio Imperatore S. Petro donati, & a quodam Comite, cui nomen Guido, per complures annos occupati, poſtliminio poſſeſſionem adiit. Itaque Arſenius omnibus, quæ in mandatis habebat, a Rege Carolo impetratis Gunterivillam reverſus, ibi per aliquot dierum ſpatium Waldradam præſtolatus eſt,

Arſenius in Francia.

est, quam in Italiam deducturus erat. Tumque in Die Assumptionis Sanctæ Virginis Sacra Missæ solemnia, præsentibus Lothario & Theutberga cultu regio atque coronis fulgentibus, celebravit. Sæculum IX. A. C. 865.

Cum Waldrada iter ingressus per Germaniam & Bavariam, patrimonia S.Petri in illis regionibus sita recuperandi causa commeavit. Wormatiæ vero diversanti, quo Regi Ludovico collocuturus iverat, Ingeltrudis se obtulit, & terribili juramento se obligavit, se Legatum Romam secuturam, & quidquid Papa imperasset, facturam. Sed en, mulieris levitatem! cum iter facientem usque ad Danubium, nobilissimum fluvium, fuisset comitata, dixit, ad quemdam propinquum sibi esse divertendum, a quo equos necessarios acciperet, se autem Augustæ Vindelicorum Legato iterum præsto futuram. Sed fidem fallens in Franciam reversa est. Quo comperto Arsenius, Epistola ad omnes Episcopos Galliæ & Germaniæ data, nomine Pontificis prohibuit, ne hanc mulierem in suas Diœceses reciperent, præcepitque, ut eam excommunicatam denunciarent, nulla habita ratione absolutionis, quam a se acceptam exhibere posset. Sed nec Waldrada fidem religiosius servavit, nec Romam ivit. Hic Legationis Arsenii successus fuit. *Ann. Met.* 866. *to.8. Conc. p.* 493.

Sæculum IX. A. C. 865.

§. XLI.

Epistola Papæ ad Michaelem Imperatorem.

Inter hæc Nicolaus Papa Legationem Constantinopolim adornans, Epistolam ad Michaelem Imperatorem mittendam concinnaverat, paterna suavitate & charitate plenam, cum Michael Imperatoris Protospatharius Indictione decima tertia, nempe anno 865. Romam pervenit, afferens Domini sui litteras, injuriis & minis contra Papam refertas, quibus Sententiam contra Photium latam revocari urgebat. Acceptis his litteris Papa filium mutare coactus per eundem Protospatharium Indictione decima quarta, id est, sub finem ejusdem anni octingentesimi sexagesimi quinti aliam misit epistolam, in qua omnes articulos epistolæ Imperatoris repetit, & refutat.

Nic. ep. 8. *ep.* 346.

ep. 70. 470.

Convitiis, quibus initium epistolæ repletum erat, Nicolaus Papa opponit preces, postulans a Deo, ut sibi in hac epistola dicenda suggereret, & Imperatori docilitatem bonamque mentem inderet. Monet, quanta reverentia Sacerdotio exhibenda sit, dicitque: *In Vicariis S. Petri attendere non debes, quales ipsi sint, sed quid pro Ecclesiarum emolumento & tua salute faciant; non enim, ut reor, dixeris,*

ep. 8.

xeris, pejores esse Scribis & Pharisæis (*), *quibus obedientiam præstari Dominus præcipiebat, quod in Cathedra Moysis sederent. Dicis, a tempore Sextæ Synodi nulli Antecessorum nostrorum obtigisse honorem,*

Sæculum IX. A. C. 865.

Matth. 23, 2. p. 269.

(*) Hæc veritas, quam Nicolaus Papa Michaeli Imperatori suggerit, Protestantibus, quales sunt Cave, D. Mosheim, & noster Interpres Fleurii, si adhuc vivit, supervacua insania in abusus Romanæ Ecclesiæ & SS. Pontificum vitia debachantibus, sex centies inculcanda est, & docendi sunt excellentissimas regulas, quas tradit Clarissimus Theologus Eusebius Amort in Ethic. Christ. Part. IV. in hunc modum: *Quando Ecclesia scinditur Schismate, recedendum ab ea Parte, quæ manifeste negat articulum jam ab anteriori Concilio generali præstabilitum, v. g. Superioritatem Sedis Apostolicæ Petri Romæ, prout fecerunt Ecclesiæ Græcæ Orientalium, & Ecclesiæ Protestantium. Eo ipso namque se abscindunt a Corpore Hierarchico Ecclesiæ.* Item ita ratiocinari deberent docente eodem Auctore: *Deus in signum veræ Ecclesiæ tenetur eam reddere evidenter credibiliorem cæteris. Sola Romana Ecclesia est credibilior cæteris antiquitate, sanctitate, universalitate, Doctorum virtute & pluralitate, donorum supernaturalium claritate, Ordinis Hierarchici continua Successione.* Tandem hos Protestantes discere oportet Regulam sequentem ejusdem Clarissimi Theologi: *Si exurgant tentationes . . . . ob varias narra-*

Sæculum IX. A. C. 865.

rem, qualis mihi exhibetur, cum mihi scribis. Id ipsum Antecessoribus tuis pudendum, quod tot annis variis Hæresibus apud ipsos grassantibus non quæsiverint remedium, & ab Ecclesia Romana oblatum rejecerint. Inde etiam ex illo tempore pauciſſimi Imperatores Catholici extiterunt, Hæretici autem non ignorabant, nullam nobis cum ipsis communionem esse posse. Et quotiescunque ad communionem redire tentarunt, turpem repulsam tulerunt; quod utinam etiam Ecclesia Constantinopolitana feciſſet! Imperatores vero Othodoxi auxilium nostrum ad defendendam Fidem quæsiverunt, quod ex Concilio sub Constantino & Irene & complu-ribus epistolis ad Leonem & Benedictum Antecessores nostros datis dignoscitur.

Conqueritur deinde, quod Imperator jactet, se quidquam Epiſcopo Roma-

no

---

narrationes vel praxes in Ecclesia (Romana) *reperibiles, quæ videntur fabulosæ, absurdæ, superstitiosæ, falsæ, sapientes merum quæstum, avaritiam, Simoniam, fraudem, Hypocrysin, Judaismum, simplicitatem popularem, Dominatum profanum, abusum potestatis Sacræ, somnia muliebria, corruptionem generalem, generose actus fidei in JEsu Christi verba: & portæ in-*

**Matth.* 16, 18. *feri non prævalebunt,* * *eliciendus est, & a Doctrina atque Communione Ecclesiæ Romanæ-Catholicæ, quæ sola una est & cognoscibilis, non deflectendum.*

no præcepisse, cum tamen Imperatores superiorum temporum Summos Pontifices hortari & rogare consuevissent. Tum addit: *Barbara tibi videtur lingua latina; ideo forsan quod ejusdem ignarus sis. Sed vide, ne ridiculum te ipsum facias, dum te appellari vis Imperatorem Romanorum, quorum linguam ignoras. Cur ergo eam ex palatio tuo & Ecclesiis non amandas? quippe ferunt, Constantinopoli in Stationibus Epistolam & Evangelium prius latine quam græce legi.*

Sæculum IX. A. C. 865. p. 298. Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem.

Dicis, non petiisse te Legatos Romanos ad Ignatium secundo judicandum. Sed eventus contrarium probat, cum eum iterum judicari jussisti. Nos Legatos nostros eo solum consilio miseramus, ut in ejus causam inquirerent. Si ergo, ut dicis, judicatus fuerat, cur eum, probibente Scriptura, iterum judicari voluisti? at nemo est, qui non videat, vos, cum prioris judicii labem bene cognosceretis, eam Legatorum nostrorum præsentia & auctoritate abstergere voluisse. Deinde Papa, nullum esse secundum contra Ignatium judicium fusissime ex eo demonstrat, quod Judices fuissent adhibiti, alii suspecti, alii hostes manifesti, alii excommunicati vel depositi, alii conditione inferiores. Probat, ejusmodi personas conditionis inferioris, secundum VI. Canonem Concilii II. Oecumenici Constantinopoli anno trecentesimo

Nahum. 1.

to. 2. Conc. p. 947.

Sæculum IX. A. C. 865.

mo octogesimo primo celebrati, ne quidem ad Episcopum accusandum admitti posse. Caute vero adnotat, hujus Concilii Canones ab Ecclesia Romana non esse receptos. Affirmat, vix aliquem ex Episcopis Constantinopolitanis sine consensu Papæ depositum in Actis superiorum temporum occurrere, ejusque rei complura exempla affert.

Sup. lib. XVIII. §. 3.

Tum prosequitur: *Dicite, quæsumus, ubinam legistis, Imperatores Antecessores vestros Synodalibus Conventibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de Fide tractatum est, quæ universalis est & communis, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos & omnino ad omnes Christianos pertinet? Tu vero non solum Synodo in causa Sacerdotis collectæ interfuisti, sed etiam aliquot Sæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregasti. Deinde producitur accusator ex Imperialibus ædibus, dantur Judices suspecti & mercenarii, Superior & Major, judicio minorum submittitur, cum nec in causa Clericorum inferioris gradus contra Episcopos unius Episcopi judicium non sufficiat, sed juxta Canones Calcedonenses Concilio opus sit.* Et post aliqua interjecta: *Illud autem ridere libuit, quod ad majorem auctoritatem huic Concilio conciliandam dicas, æqualis numeri cum Sancta olim Synodo Nicena fuisse. Cur non etiam hunc con-*

p. 309.

p. 301.

Epistola ad Michaelem III.

Can. 9. *Sup. l. XXVIII. §.* 29.

conventum ſeptimam vel octavam Synodum Oecumenicam vocitas? Numerus puſillus nec obeſt, ubi abundat pietas, nec multiplex prodeſt, ubi regnat impietas.

Sequitur poſt alia: *Hæc reſpondimus ad primam epiſtolæ tuæ partem, ad reliqua vero reſcribere omiſimus, quia ex providentia Cæleſtis Patris noſtri ægrotatione correpti, nullatenus potuimus, & Legatus tuus nullius moræ patiens nobis inconſultis urbe diſceſſit, quod tempus hyemis imminentis vehementiſſime formidaret. Vix ab eo impetravimus, ut dum hæc ſcriberentur Oſtiæ expectaret.* Quia autem Imperator Sedem Romanam vilipendebat, Papa ejusdem privilegia recenſens dicit: *Si contra Eccleſiam Romanam erigeris, cave, ne arma in te ipſum vertas; ſi enim nos non audieris, reſtat, ut te talem habeamus, quales Dominus Noſter illos haberi præcepit, qui Eccleſiam non audiunt.* Vult dicere, quod ipſum ſit excommunicaturus. *Eccleſiæ Romanæ privilegia*, inquit, *JEſu Chriſti ore firmata ſunt. Non ea conceſſerunt Concilia, ſed conceſſa conſervarunt, & venerata ſunt. Privilegia ſunt perpetua, quæ oppugnari quidem poſſunt, vinci autem & aboleri non poſſunt, quæ ante imperium tuum fuerunt, & te ſublato permanebunt, quousque Chriſtianum Nomen prædicatum fuerit. Sancti Petrus & Paulus*

p. 313.

p. 314.

Matth. 18. 17.

Sæculum IX. A. C. 865.

lus non delati sunt Romam post mortem suam auctoritate Principum, quod apud vos contigit, qui ceteras Ecclesias Patronis suis privastis, ut earum spoliis & opibus sola Constantinopolis ditaretur; sed venientes in carne Evangelium in hac Civitate prædicarunt, eamque suo sanguine consecrarunt. Ecclesiam Alexandrinam per S. Marcum, filium suum, acquisierunt, sicut antea S. Petrus sua præsentia Ecclesiam Antiochenam suam fecerat. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias SS. Petrus & Paulus ceteras omnes moderati sunt.

Sedis Romanæ Prærogativæ.

Et infra:

Porro scripsit nobis Imperium tuum, ut mitteremus ad te Theognostum, quem Frater noster Ignatius Exarchatu in Monasteria quarumdam provinciarum oneravit; alios quoque tibi mitti vis Monachos, tanquam læsæ tuæ Majestatis reos. Scimus utique, ideo exposci, ut puniantur, quamvis forte eos nunquam videris, & mores nescias. Quidam eorum ab ineunte ætate Romæ Deo servierunt, Theognostus autem nihil sinistri unquam de te ad nos dixit, sed hic, quemadmodum innumeri Christiani, aliquantulam requiem reperit. Siquidem tot millia hominum quotidie ad Patrocinium S. Petri confugiunt, & ad ejus limina vitæ suæ finem expectant, ut apud nos Romæ sicut in Ecclesia universali (si majus minori componere licet)

p. 316.

omnes

omnes nationes congregatæ conſpiciantur. Putas ergo, Imperator, juſtum eſſe, ut tradamus miſeros Principibus, quorum dignitates & beneficia contempſerunt, aut indignationem & perſecutionem ſuſtinuerunt? abſit! nolumus enim paganorum excedere nequitiam. Præterea poteſtatem & jus habemus, non ſolum Monachos, ſed etiam Clericos de quacunque Diœceſi, cum neceſſe fuerit, ad nos convocare. Quod ſi forſitan ſuſpicaris, Theognoſtum apud nos Photio detrahere, Ignatiumque jugiter commendare, ſcito, quod nihil ille de utroque loquatur, niſi quod omnes alii clamant, & quod nos ipſi per innumeros homines ab Alexandria, ab Jeroſolymis, a Conſtantinopoli, a monte Olympo, Romam adventantes & denique ex Legatis & litteris tuis ſatis intelleximus. Sæculum IX. A. C. 865.

Credere videris, terreri nos poſſe comminationibus, regionem te noſtram vaſtaturum, & urbem deleturum. Speramus in Domino, & quousque vita ſupererit, quod muneris noſtri eſt, faciemus. Quid mali tibi intulimus? an nos Siciliam depopulati ſumus? an nos innumeras Græcis ſubjectas provincias tuo Imperio ſubtraximus? an nos Suburbana Conſtantinopolitanæ civitatis incendimus? an non hæc omnia ab Infidelibus paſſi eſtis, quos relinquitis impunitos? nobis vero minas ingeritis, qui, Deo ſint laudes, Chriſtiani ſumus. p. 319.

Sæculum IX. A.C. 865.

sumus. Quid hoc aliud sit, quam Judæos imitari, Barabbam liberantes, & JEsum Christum crucifigentes?

Mandat deinde Pontifex, ut Ignatius & Photius Romam veniant. Si ipsi venire non possint, datis litteris absentiæ causam indicent, & Vicarios mittant. Nomine Ignatii veniant Archiepiscopi Antonius Cyzicenus, Basilius Thessalonicensis, Constantinus Lariſſæus, Theodorus Syracusanus, Metrophanes Smyrnensis & Paulus Heracleensis in Ponto. Abbates mittantur Nicetas Chrysopolitanus, Nicolaus Studiensis, Dositheus Osidiensis atque Lazarus Presbyter & Monachus, qui dicitur *Cazaris*. Subjungit Papa, *qui nisi fuerint missi, suspectum te reddes; hi enim sunt, ex quibus veritatem cognoscere possumus. Photius & Gregorius Syracusanus, quoscunque voluerint, mittant, tua vero Majestas duos ex Regia sua viros. Mitte etiam, quæsumus, epistolas authenticas, quas per Zachariam & Rodoaldum dudum Episcopos dedimus, ut cognoscere possimus an fuerint corruptæ. Rogamus te etiam, ut ad nos mittas Acta authentica, in quibus continetur, quo modo Ignatius primitus depositus fuerit. Item illa monumenta, quæ per Leonem a Secretis ad nos deferri jussisti.*

p. 330.

Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem.

Tandem Nicolaus Papa Imperatorem hortatur, ne jura Ecclesiæ violet, quem-

p. 324.

admo-

admodum Ecclesia Imperatoris jura non lædit. *Antequam JEsus Christus veniret*, inquit, *dabantur Reges, simul Sacerdotes, qualis erat Melchisedech. Illudque Diabolus imitatus est in Imperatoribus Gentilibus, qui etiam Summi Pontifices erant. At postquam in mundum missus est ille, qui proprie Rex est & Pontifex, non amplius Imperatores jura Pontificum invaserunt, nec Pontifices jura Imperatorum. JEsus Christus ambas potestates ita separavit, ut Imperatores auxilio Pontificum ad consequendum vitam æternam indigerent, & Pontifices in negotiis sæcularibus Imperatorum legibus uterentur.* Sæculum IX. A. C. 865.

Epistola finita subjungit Papa: *Quicunque hanc epistolam Constantinopoli legerit, cui ad Principem accedere licet, & quidquam in ea contentum Michaelem Imperatorem celaverit & dissimulaverit, Anathema sit! Quisquis etiam eam interpretatus fuerit, & ex ea quidquam mutaverit, subtraxerit, vel addiderit, nisi forte ex ignorantia id fiat, aut idioma Græcæ dictionis exigat, anathema sit!* Hæc cautio erat necessaria, postquam epistolæ Pontificiæ priores fuissent depravatæ. p. 325.

§. XLII.

Bardas e vivis abit.

Haud multo post tempore Constanti-

Sæculum IX. A. C. 866.

nopoli nova rerum facies subiit. Bardam Cæsarem oblatum per quietem somnium perterruit, quod Philotheo amico suo narravit in hunc modum: *Videbar hac nocte inter preces cum Imperatore ad Ecclesiam majorem procedere, atque per singulas fenestras Archangelos introspicientes cernere. Cum prope ambonem consisteremus, adsunt duo Evnuchi a cubiculis crudeles & efferi, quorum alter Imperatorem ligatum e choro a dextris, & alter me pari modo vinctum a sinistris raptavit. Tunc subito in Sanctuarii throno apparuit Senex sedens, illa specie, qua S. Petrus in imaginibus repræsentari solet, adstantibus duobus viris aspectu terribilibus, quos Prætores dixisses. Video ante genua S. Petri Ignatium lacrymis madentem, & ipsum Apostolum commiseratione commotum. Clamabat ille: Tu vero, cui datæ sunt claves Regni Cælorum, si injuriæ mihi illatæ ignarus non es, afflictam senectutem meam solare. S. Petrus respondit: indica hominem, qui te*

Nic. vit. Ignat. p. 1221.

1. Cor. 10, 13.

læsit, & faciet Deus cum tentatione proventum. Tunc Ignatius retrospiciens, & digito me ostendens dixit: hic vir, hic est, qui mihi maxime nocuit. Mox S. Petrus, signo Prætori a dextris ejus stanti dato, tradens ei exiguum pugionem, voce elata dixit: corripe Bardam, Dei hostem, & in vestibulo corpus ejus in partes seca.

Cum

Sæculum IX. A. C. 866.

Cum ego ad supplicium ducerer, vidi dextra minaciter elevata Imperatori dicentem: neutiquam effugies, fili degener! tandem non secus angebar, ac si corpus meum in plurima frusta concidi conspicerem & sentirem.

Bardæ timore turbato & hunc in modum inter planctus somnium suum referenti suadebat Philotheus: *Domine, parce misero seni, Judicium Dei cogita, & nullo amplius malo etiam meritum affice.* Nihilominus Bardas, insuperhabito sapienti consilio, quemdam Photii propinquum, cui nomen Leo, ad illam Insulam, ubi Ignatius degebat, cum militibus & mandatis misit; tam arcte esse custodiendum, ut Liturgiam celebrare non posset, nemoque ad eum ingredi, vel exire. Id ineunte Quadragesima anno octingentesimo sexagesimo sexto sub finem mensis Februarii factum, & Ignatius per menses tres molesta custodia vexatus est. Mense Aprili Michael Imperator expeditionem molitus, Insulam Cretam suæ ditioni ereptam iterum sibi subjecturus, ita suspicionibus contra Bardam itineris comitem impletur, ut eum perdere statueret. Ille interfectores suos nudis gladiis tabernaculum intrare conspiciens, ad Imperatoris pedes provolutus vitæ gratiam rogat, sed frustra, nam e tentorio abstractus multis vulne-

Poss. Theo. l. IV. n. 40. p. 128. ibid. Bas. n. 17. p. 148.

Bardas trucidatur.

Sæculum IX. A.C. 866.

vulneribus confoditur. Avulsa a trunco membra perticæ imposita non sine militum risu in castris circumlata. Hunc exitum Bardas vigesima nona Aprilis anno octingentesimo sexagesimo sexto, Indictione 14. sortitus est. Illico Imperator abjecto belli movendi proposito Constantinopolim reversus Basilium Macedonem, cædis in Bardam patratæ non ultimum auctorem, adoptavit, & officiorum Magistrum constituit. Cumque Michael rerum gerendarum rudis & iners vir indigeret, qui vicaria potestate Rempublicam regeret, eundem post breve tempus Imperii Socium adlegit, atque in Ecclesia S. Sophiæ in Die Pentecostes, vigesima sexta Maji, eodem anno solemni ritu coronavit.

Photius Patrono orbatus non idcirco animo concidit; sed, in Barda fortunam damnans non scelus, abominari virum cœpit extinctum, cui luce fruenti more servili adulatus fuerat. Eo autem omnes convertit cogitationes, qua ratione potissimum Basilii gratiam sibi conciliaret, & Michaelis amicitiam excoleret, cum nesciret, utri summa potestas esset obventura. Interim indignans, quod multi suam Communionen (*) fugerent, ex quo

Nicet. p. 1223.

Photii Astutia.

(*) Inde constat, quantum Auctoritas Romani Pontificis in Ecclesia Constantinopolitana viguerit.

quo Nicolaus Papa Sententiam in eum tuliſſet, omnes illos dirum in modum perſecutus eſt. Quosdam etenim Dignitatibus ſuis, alios Bonis ſpoliavit, alios ejecit in exilium, alios carceri traditos variis tormentis cruciavit. Nulli hominum conditioni, non ætati, non ſexui parcebat. Eremicolis ex Olympo monte pulſis cellulas eorum incendit. Quemdam ſecum communicare detrectantem in terram umbilico tenus defodi juſſit. Sæculum IX. A. C. 866. *Anaſt. præf. 8. Conc. p. 964.*

Quo plures ad ſuam Communionem pertraheret verſutiſſimi ingenii homo, duobus modis uſus eſt. Primo ab Imperatore mandatum extorſit, ut omnia legata pia cujuscunque condito teſtamento decedentis per Patriarchæ manus diſtribuerentur. Itaque munificentiſſimus videbatur, nec enim plurimi curioſe penſabant, num ſua daret, vel aliena; qui vero teſtamentum ſcribere cupiebant, cogebantur ejus Communionem amplecti, ut haberent, qui ultimam ſuam voluntatem executioni mandaret. Altera fraus erat, quod omnes Diſcipulos ad ſcientias profanas addiſcendas ad ſe venientes compelleret data pagina promittere, ſe exinde non aliam quam Photii fidem profeſſuros. Unde hi omnes, erant vero magno numero multique ex primis ſtirpibus nati, Magiſtrum defendere tenebantur.

Sæculum IX. A. C. 866.

§. XLIII.

Papa Waldradam excommunicat.

Interim Papa, quid Constantinopoli ageretur, ignarus Lotharium Regem ad officium compellere conabatur. Cum ex Arsenio Legato suo reduce comperisset, quam procaciter ei illusisset Waldrada, excommunicationis sententiam secunda Februarii anno octingentesimo sexagesimo sexto in eam pronunciavit, quam ad omnes Episcopos Franciæ misit. Verum postea nescius, an hæ epistolæ Episcopis fuissent redditæ, alteram scripsit, decima tertia Junii ejusdem anni octingentesimi sexagesimi sexti, Indictione decima quarta, datam. Hæc ad omnes Italiæ, Germaniæ, Neustriæ, & Galliæ, id est, totius Imperii Francorum Episcopos dirigitur. Exponit Pontifex excommunicationis causas, nimirum, Waldradæ cum Rege Lothario adulterium, & quod nullum daret pœnitentiæ indicium, contumaciam ejusdem feminæ, quæ, cum Romam venire, & vitæ suæ rationem reddere debuisset, in Provinciam, regionem Regi Lothario subjectam, commeasset, modumque ad eum redeundi quæreret, quo lasciviam rursus, & dominandi libidinem expleret, quia etiam quædam Monasteria regere diceretur. *Tandem sunt, qui affirmant,* inquit,

Sup. §. 41.

to. 8. Conc. p. 495.

inquit, *eam continuis machinationibus vitæ Theutbergæ Reginæ insidiari.* Igitur Papa Episcopis mandat, ut in suis Diœcesibus denuncient, excommunicatam esse Waldradam, Fautoresque ipsius, donec se pœnitentiæ & Sacræ Sedis judicio submisisset. Subjungit: *Si quis dicat, Regem Lotharium ejusdem peccati reum eandem quoque pœnam sustinere oportere, ille nos consulat, & rationem reddemus. Vobis vero omnibus acceptas has litteras ad Metropolitanos mittere, & exemplaria descripta in cunctas circumjacentes regiones spargere curæ sit.*

Adventius Episcopus Metensis Regem Lotharium Dominum suum apud Summum Pontificem purgare non dubitavit, data epistola, in qua excommunicationem in Waldradam pronunciatam approbat, & dicit: *Ex quo Arsenius Legatus tuus discessit, Rex Lotharius ad Waldradam se non contulit, non ei locutus est, non vidit, sed ei significari jussit, ut Romam, quemadmodum præcepisti, proficiscatur. Ceterum Theutbergam Reginam iis modis, quibus convenit, habet. Illa cum ipso officio Divino interest, eam Rex ad mensam suam admittit, & ad tori conjugalis consortium. Præterea in familiaribus mecum colloquiis nibil affert, quod non promptissimam voluntatem tuis consiliis & Auctoritati obsequendi demonstret.* *Ap. Baro.* 866.

Sæculum IX. A. C. 866.

Ipſe Lotharius, data ad Papam epiſtola admodum ſubmiſſa, mendacii arguit, quicunque dixerit, ipſum cum Waldrada fuiſſe, ex quo Arſenius diſceſſiſſet, aut illa ex Italia rediiſſet. Deinde Papam rogat, ne aliquem æqualis ſecum poteſtatis evehat, & ſuo Regno præficiat. Nimirum timebat, ne, ſi a Papa excommunicaretur, patrui ſui captata occaſione regno ſe ſpoliarent. Id etiam cum metuerent Epiſcopi in Regno Lotharii, datis litteris ad Epiſcopos in Regno Caroli exiſtentes, falſitatem demonſtrare conati ſunt ſparſi rumoris; Lotharium a Subditis ſuis contemni, & nihil propius eſſe, quam ut omnes ab eo deficerent. In eadem epiſtola dicunt, ſe Regi ſuo in extremis fideles fore, quod ſperarent, peccata juventutis ſuæ emendaturum, & Epiſcoporum conſiliis morem geſturum. Tum comminantur, ab Eccleſiæ communione a ſe excludendos, quicunque Regnorum pacem turbare aggreſſi fuiſſent.

Ap. Baro. ibid.

Ap. Baro. ibid.

§. XLIV.

Epiſtola Papæ in Cauſa Wulfadi.

Ann. Bert. 866.

Nihil vero actum, quod paci publicæ adverſaretur, ſed potius cum Reges Carolus & Lotharius, menſe Julio hoc anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto, ad S. Quintini Fanum conveniſſent, fœdera, mutua fide data, confirmarunt, atque Lotha-

Sæculum IX. A. C. 866.

Lotharius Carolo patruo suo Monasterium S. Vedasti in civitate Attrebatensi potum donavit. Inde Rex Carolus Suessionem divertit, interfuturus Concilio, quod Papa ibidem ad restituendum Wulfadum ceterosque Clericos ab Ebbone Archiepiscopo Remensi ordinatos, & in Concilio Suessionensi anno octingentesimo quinquagesimo tertio celebrato depositos, haberi jusserat. Cum nempe non nulli viri ex Galliis Romam adventantes querelas ad Nicolaum Papam detulissent, præceperat, in Tabulariis Ecclesiæ Romanæ litteras, quæ ad hanc causam pertinebant, inter alia Acta hujus Concilii exquiri, & postquam eas legisset, visum ipsi fuerat, non satis probari, hos Clericos secundum Regulas Ecclesiasticas fuisse depositos. Hinc datis litteris Hincmaro mandat, ut Wulfadum ceterosque ad se vocaret, & cum iis leniter conferret, an æquitati esset consentaneum, ipsos restitui. *Si vero non credideris*, inquit, *hac Restitutione tuam conscientiam esse onerandam, volumus, ut Fratres nostri Remigius Lugdunensis, Ado Viennensis, Venilo Rotomagensis, ceterique Galliarum & Neustriæ Episcopi, nisi legitime impediantur, Suessione tecum & Suffraganeis tuis decimo quinto Cal. Sept. hac decima quarta Indictione congregentur, atque Wulfadus cum*

Sup. lib. XLIX.

Nic. ep. to. 8. Conc. p. 808.

Sæculum IX. A. C. 866.

ceteris illo convocetur. Omnibus secundum Canones examinatis, si æquum vobis visum fuerit, eos restitui, sine ulteriore mora restituite, secus, si nimirum difficultas occurrat, & hi Clerici ad S. Sedem appellent, venite, vel utrinque Mandatarios mittite. Acta autem Concilii vestri ad nos deferantur, & neutiquam idcirco hos Clericos durius habebitis, quod ad nos confugerint. Hæc epistola tertia Aprilis anno 866. data est, atque una & eadem ad plures Archiepiscopos Franciæ, iis solum mutatis, quæ peculiariter ad Hincmarum pertinebant, dirigebatur. Cuncta vero exemplaria Remigio Archiepiscopo Lugdunensi, quæ ipse singulis redderet, missa.

p. 814.

Regi Carolo nova supervenit causa, cur Concilium istud mature celebrari & mandata Pontificis impleri vellet. Rudolpho Archiepiscopo Bituricensi vigesima prima Junii eodem anno fatis functo, qui in sua Ecclesia Sanctorum numero adscriptus est, Carolus in eminenti gradu Successorem requirebat virum negotiis gerendis idoneum & fidum, qui regeret imbecillitatem filii sui Caroli regis Aquitaniæ, adhuc juvenis. Huic enim intelligendi facultatem vulnus in capite acceptum, ex quo deinde vigesima nona Septembris eodem anno decessit, labefactaverat. Cum ergo Carolus Rex Wulfadum,

Act. SS. Ben. to. 6. p. 164.

Ann. Bert.

fadum, suo servitio addictum, huic fasti- Sæculum IX.
gio parem existimaret, effecit, ut consen- A. C. 866.
tientibus Episcopis & tota provincia Episcopus Bituricensis eligeretur. Plurimum inde ipsius intererat, Wulfadum a Depositione anno 853. Concilio Suessionensi pronunciata absolvi, eoque restituto ceteros quoque eadem sententia implicitos liberari oportebat.

Rex Carolus primum permovere Hincmarum conabatur, ad restituendos hos Clericos secundum Papæ epistolam; sed Hincmarus honeste excusans, quod hæc causa mora indigeret, rem usque ad Concilium distulit. Tum Rex veritus, *to. 8. Conc.*
ne nimium cunctaretur, data ad Pontifi- *p. 811.*
cem epistola rogavit, ut mandata sua impleri juberet, & permitteret, etiam ante Concilii exitum, Wulfadum Presbyterum ordinari, aut saltem interim, dum de Causa in Synodo deliberatur, Regi- *p. 813.*
men Ecclesiæ Bituricensis suscipere. Verum Papa concessit neutrum, donec Acta Concilii ad se perferrentur.

Præstituta die Concilio initium datum, decima octava Augusti anno 866. *p. 836.*
Aderant Episcopi triginta quinque adnumeratis septem Archiepiscopis, nimirum Hincmaro Remensi, Remigio Lugdunensi, Frotario Burdegalensi, Herardo Turonensi, Egilone Senonensi, & Luitberto Moguntino. Inter Episcopos numera-

Sæculum IX. A. C. 866

merabantur Rotadus Sueſſionenſis, anno ſuperiore reſtitutus, & Folcricus Trecenſis, Succeſſor Prudentii anno octingenteſimo ſexageſimo primo ad Cœleſtia translati, quem Eccleſia ſua ſexta Aprilis honore Sanctis exhiberi ſolito proſequitur.

Ann. Bert. 861. v. Bol. 6. Apr. to. p. 531. Baillet. 6. Aur.

§. XLV.

Egilo Archiepiſcopus Senonenſis.

Necdum multum temporis effluxerat, ex quo Egil ſeu Egilo Archiepiſcopi Senonenſis Dignitate emineret. Is in Francia natus a prima ætate Monachus Prumienſis fuit ſub Abbate Marcuardo, quocum illuc ex Monaſterio Ferrarienſi commigraſſe creditur; eum enim Lupus Abbas communem utriusque Monaſterii filium vocavit, & maximæ lætitiæ indiciis recepit, cum reparandæ valetudinis cauſa ad illud Monaſterium rediit. Marcuardo anno octingenteſimo quinquageſimo tertio mortuo, Egilo Abbas Prumienſis eligitur, cui poſt biennium honor obtigit, ut Lothario Imperatori habitum Monaſticum conferret. Attamen anno octingenteſimo ſexageſimo prætendens infirmam valetudinem, vel forte, ſi ita ſuſpicari licet, ex tœdio, quod in divortium Lotharii junioris conſenſiſſet, Monaſterii Regimen ſponte abdicavit. Haud multo poſt tempore eodem

Act. SS. Ben. to. 6. p. 337.

Lup. Ferrar. ep. 55. 68. 70.

Regino an. 853.

Sup. lib. XLIX. §. 27.

Sup. §. 6.

Rege

Rege & Archiepiſcopo Trevirenſi facultatem concedentibus in Regnum Caroli Calvi ſe contulit, vocatus ab eodem Rege, qui eum Monaſterio Flaviniacenſi in Diœceſi Auguſtodunenſi, eo conſilio ut Diſciplinam collapſam reduceret, præfecit. Egilo illuc Alizio Reliquias S. Reginæ anno octingenteſimo ſexageſimo quarto vigeſima prima Martii transtulit. Sæculum IX. A. C. 866.

Venilone Archiepiſcopo Senonenſi ſub initium anni octingenteſimi ſexageſimi quinti defuncto, cum Abbas Egilo invitus ejus Succeſſor electus fuiſſet, Nicolaus Papa ægre eo adduci potuit, ut ei Pallium mitteret, quod evocatus fuiſſet e Monaſterio & ex alia Diœceſi contra Canones præcipientes, Epiſcopum ex Clericis Eccleſiæ vacantis eligi, & tunc ſolum permittentes, ex alia Eccleſia eligendum acciri, ſi in illa Eccleſia nemo dignus inveniatur. Tandem Papa Egiloni, viro optime merito, Pallium ea conditione miſit, ut impoſterum Canones obſervarentur. Papa ad Regem Carolum quoque dedit epiſtolam rogans, ut curæ ipſi eſſet, hunc abuſum in Francia frequentiſſimum tollere. In epiſtola vero ad Egilonem Summus Pontifex hortatur, ne conſuetudines vitæ Monaſticæ, quam amplexus fuerat, in Epiſcopatu abjiceret. Quippe ſecundum illius ætatis Diſciplinam Epiſcopi

Chr. S. Petr. Sen.

Nic. ep. to. 8. Conc. p. 506.

p. 507. ep. 21.

Mabil. præf. to. 6. c. 7. n. 178.

Sæculum IX. A. C. 866.

Episcopi e Monasteriis evocati Monachorum morem in vestitu & alimentis servabant, quod ex multorum exemplo præsertim Hincmari demonstratur.

§. XLVI.

Concilium Suessionense Tertium.

Hincmar. opusc. 18. to. 8. p. 816.

Episcopis in Concilio Suessionensi congregatis, Hincmarus quatuor Libellos obtulit, & primi hæc fuit Summa: *Wulfadus & ceteri hi Clerici, non ab Episcopis solius Provinciæ Remensis, sed in Concilio quinque Provinciarum, ad quod appellaverant, depositi fuerunt. Ego vero ne quidem ex numero Judicum fui, ut ex Actis videri potest, quibus non subscripsi. Hæc solummodo ab Episcopis jussus missi ad Sacram Sedem, ubi a Pontificibus Benedicto & Nicolao sub pœna anathematis confirmata sunt, ut ex ipsorum epistolis, quarum subscriptiones & ceræ integræ sunt & salvæ, dignoscere potestis. Hodie autem, cum Nicolaus Papa jubeat vos hanc causam iterum ad judicium vocare, obedio sicut debeo, & in omnia, quæ decreveritis, ad conservandam concordiam consentio. Non invideo his Clericis suam felicitatem, exopto eorum restitutionem, quorum depositio nemini magis quam mihi damno fuit. Sed conscientia non permittit, me solum Sententiam ab Episcopis quinque Provinciarum latam retractare.*

Et

Sæculum IX. A. C. 866.

Et quia Papa ſcripſit, vobis tunc ſolum iſtud judicium eſſe emendandum, ſi Canonibus repugnet, peto, ut mihi oſtendatur, in quo repugnet, & quo pacto poſſimus Pontificum epiſtolis derogare, obſtantibus Anteceſſorum eorum Decretis, quod ſemel ſtatutum fuerit, nunquam eſſe violandum.

Libellus ſecundus ad Ebbonem pertinet, atque in eo Hincmarus reſpondet Wulfado, ſecreto apud quosdam dicenti, nunc Ebbonem non fuiſſe depoſitum, nunc fuiſſe reſtitutum. *Depoſitus fuit*, dicit Hincmarus, *poſt propriam confeſſionem quadraginta trium Epiſcoporum judicio, ut ex Libello, quem obtulit, & ex Concilii Decreto diſpicitur. Deinde Miniſterium Epiſcopale ſine ulla reſtitutione canonica reſumſit. Tandem Romam profectus ſub Sergio Papa, communione laica contentus vivere juſſus eſt, ſicut hiſtoria illius Pontificis perhibet. Ex quo depoſitus fuit, vacante Eccleſia Remenſi, & ſeptendecim, quibus ſupervixit, annis, reſtitui nec petiit, nec obtinuit; quod ſi quis neget, Acta oſtendat. Nam canonice ab Epiſcopis depoſitus, quacunque poteſtate ſæculari reſtitui non potuit. Jam anni numerantur plus quam triginta, ex quo damnatus eſt, nempe die quarta Martii anno 835. quod tempus ſecundum Leges ſæculares ab Eccleſia receptas ad excluden-*

Conc. p 820. opuſc. 19. it. opuſc. 23.

Sup. lib. XLVII. §. 47.

Ebbonis Depoſitio.

Sæculum IX. A. C. 866.

cludendam omnem actionem sufficit. At-
tamen, inquis, quoad vixit, actibus Mini-
sterii Episcopalis functus est. Usurpatio
fuit, unde nullum jus, sicut ex aliis multis
factis, deduci potest. Hincmarus dein-
de, Ordinationem suam in Concilio Bel-
lovacensi anno octingentesimo quadrage-
simo quinto secundum canones factam,
ostendit.

n. 2. 3.

n. 4.

Sup. lib. XLVIII. §. 28. §. 6.

Hoc secundo Libello perlecto, Hincma-
rus omnia Acta, ex quibus dicta sua pro-
babantur, protulit. Hincmarus Laudu-
nensis, ipsius nepos, Acta Concilii Sues-
sionensis anni 853. produxit. Raginel-
mus Tornacensis Acta alicujus Concilii
Bituricensis, cui Rodolfus Archiepisco-
pus præfuerat, & in quo ex testimonio
illorum, qui Concilio Suessionensi inter-
fuerant, probatum fuerat, Ebbonem fuis-
se canonice depositum, in medium attu-
lit. Ercanradus Catalaunensis epistolas
Benedicti Papæ, & Odo Bellovacensis
Nicolai Papæ epistolas ostenderunt.

Hincmari Ordinatio.

Sup. lib. XLIX. § 8.

opusc. 23.

Postea Libellus tertius Hincmari Ar-
chiepiscopi lectus, in quo docebat; In-
dulgentia Ecclesiastica & Auctoritate
Pontificis recipi posse Clericos, ab Ebbo-
ne ordinatos, & etiam ad Ordines supe-
riores promoveri, quin hoc exemplum
futurorum temporum Disciplinæ noce-
ret, dicitque, se quidem consentire.
Quartum quoque Libellum peculiariter
adver-

p. 824. opusc. 20.

p. 828. opusc. 21.

adversus Wulfadum conscripserat, in quo dicebat: *Postquam cum ceteris fuisset depositus, sine permissu Ecclesiæ Remensis, in qua baptizatus, tonsuratus, & per complures annos officio Lectoris functus fuerat, efficere attentavit, ut ordinaretur Episcopus Ecclesiæ Ligonensis vacantis, obtendens, se illuc vocari, atque illius Ecclesiæ reditus in usus suos convertit; unde secundum Canones meritus est ab omni spe restitutionis excludi. Præterea, promisit jurans invocato nomine Sanctissimæ Trinitatis, non se amplius quodcunque munus Ecclesiasticum quæsiturum, nec quidquam facturum, quod Ecclesiæ pacem turbare posset; cujus promissionis Acta, Rege, Pardulo Episcopo Laudunensi, Gumberto Ebroicensi, & Ænea Parisiensi præsentibus data, habemus.* Profitebatur autem Hincmarus, hæc facta non ideo a se memorari, quo noceret Wulfado, sed solum ne, quæ vera essent, Concilii Episcopos laterent. Nihilominus, cum hæc lectio scandalo esset, in Concilio non fuit absoluta. Sæculum IX. A. C. 866.

Episcopi tamen consilium ab Hincmaro in Libello tertio suggestum, Wulfadum ceterosque Clericos recipiendi, amplexi sunt. Nolebant enim Papam offendere, & Regis postulationem, qua Wulfadum restitui, atque in Sede Bituricensi collocari petebat, rejicere non poterant. Itaque Herardus Archiepisco- Sententia Concilii. *n.* 9. *p.* 830.

Sæculum IX. A. C. 866.

pus Turonensis nomine totius Concilii declaravit; neminem debere Episcopos levitatis aut socordiæ accusare, quasi vero Sententiam in eadem urbe & in eadem causa pronunciatam, & a Pontificibus confirmatam, retractarent, sed salva illa sententia Concilii Patres in damnatos indulgentia uti, & in isto casu misericordiam præferre justitiæ.

Herardus subjunxit: *Rex Carolus, Dominus noster, rogat nos, ut uxorem suam tanquam Reginam benedicamus eo ritu, quo aliæ vel a Pontifice, vel ab Antecessoribus nostris Benedictionem acceperunt.* Regina hæc erat Hermentrudis, quam Rex Carolus ante annos viginti quatuor, nempe anno octingentesimo quadragesimo secundo, duxerat, atque ex ea complures liberos susceperat. Unde Archiepiscopus addidit: *Ne vero admirationi sit locus, hujus petitionis causam vobis aperiemus: dedit Dominus Regi nostro aliquot liberos, quorum aliquos Deo obtulit, alii in tenerrima ætate decesserunt, alios, ut videmus, tristis casus afflixit. Idcirco nihil magis in votis habet Rex, quam ut sibi uxor sua, oppitulante Benedictione Episcopali, filios procreet Ecclesia utiles & ad capessendum Reipublicæ Regimen idoneos.* Benedictionis Cæremoniæ in Ecclesia S. Medardi peractæ, Regina Hermentrudis coronata, & super eam illæ

Ann. Bert. 842.

Ap. Hincm. to. 1. p. 752. & Cap. to. 2. p. 313.

illæ preces, quæ hodieque in fine Missæ pro Sponsis recitantur pronunciatæ. Sæculum IX. A. C. 866.

Episcopi datis ad Pontificem litteris Synodalibus vigesima quinta Augusti anno octingentesimo sexagesimo sexto omnia, quæ acta fuerant, retulerunt, atque declararunt, sua opinione Clericos memoratos esse restituendos ex indulgentia, cujus exemplum Patres Concilii Niceni in iis, quos Meletius ordinaverat, dedissent. Se de cetero omnia Pontificis judicio relinquere. Huic epistolæ Concilium junxit alteram, in qua Patres conqueruntur de Britonibus, qui jam ab annis plus quam viginti Ecclesiam Turonensem Metropolim suam agnoscere respuebant, & ad Concilia Nationalia Galliæ venire detrectabant, quod in populo, sua indole ferociſſimo, Disciplinæ Ecclesiasticæ ruina erat. Rapiebant Bona Ecclesiarum propinquarum, maxime Ecclesiæ Nanetensis, cujus Episcopus Actardus per ipsorum, Normannorumque latrocinia tota sua Diœcesi spoliatus erat. Præterea Britones huc usque eo adduci non potuerant, ut Salaconem Episcopum S. Maclovii & Subsannum Venetiensem restituerent. Igitur Episcopi Concilii Suessionensis Papam rogant, ut datis ad Ducem Britanniæ epistolis ad officium redire & ad obedientiam, quam Regi Carolo deberet, compellat, sub

n. 7. p. 832.

Sup. l. XI. §. 15.

Sacr. 1. c. 9. Theod. l. 1. c. 9.

n. 8. p. 837.

Sup. lib. XLVIII. §. 43.

Sæculum IX. A. C. 866.

pœna censurarum Ecclesiasticarum. Item commendant Regi causam Actardi Episcopi, quem Romam mittebant, Papam omnia, quæ ad hanc causam pertinerent, viva voce melius edocturum.

§. XLVII.

Egilo Romam mittitur.

Ann. Bert. 866.

Civitate Suessionensi relicta Rex Carolus Attiniacum perrexit, ubi eum nepos ipsius Rex Lotharius expectabat. Ibi Theutbergam ad Lotharium redire jusserunt, etiamsi prius ei licentia fuisset concessa Romam eundi; cum enim pessime haberetur, nec ab insidiis satis esset secura, animo constituerat divortium petere. Et conjectura est, eam illo potissimum tempore Epistolam Papæ scripsisse. Ex illo Conventu Attiniacensi ambo Reges ad Pontificem adornarunt Legationem communem, quam nomine Caroli Egilo Archiepiscopus Senonensis, & nomine Lotharii Ado Archiepiscopus Viennensis & Gualterius eidem Regia Secretis suscipere jussi sunt, quibus arcana Dominorum suorum mandata commissa.

Nic. ep. 48.

Opusc. 22. *to.* 8. *Conc. p.* 1901.

Egilo simul deferebat Epistolam Synodalem Concilii Suessionensis, atque etiam Hincmari ad Papam Epistolam, in qua causam indicabat, cur sua solum auctoritate Wulfadum non restitueret. Epistolæ

pistolæ addidit mandata singillatim ad E- Sæculum IX.
gilonem directa, in quibus dicebat: *A-* A. C. 866.
go tecum ea fiducia ac si esses alter ego, Opusc. 23.
mittoque tibi summam articulorum om- Conc. p. 1103
nium, quos Pontifex in hac causa nobis perscripsit. Est vero necessarium, ut hos articulos memoriæ bene imprimas, & sic illis, quos noviſti, si negotium, ut solent, turbare velint, veritatem inculces. Non credidi opus tibi esse Libellis, quos in Concilio Episcopis obtuli, & timui, ne ex iis Romani deprehenderent, aliqua apud nos de causa Wulfadi fuisse jurgia, quod Regis consilia morari posset. Memoria vero tenaci revolve sequentia; Ebbonem fuisse canonice depositum, & contra Canones restitutum. Illos Clericos non a me, sed a Concilio ex quinque Provinciis congregato fuisse depositos. Papam nobis mandasse, ne illa, quæ definita fuerunt, abrogaremus, nisi ea contra Regulas Ecclesiasticas pugnare judicaremus. Tandem cum Episcopi in hoc Concilio ex iisdem Epistolis propensum in Clericos istos Pontificis animum cognovissent, ipsis occurrisse exemplum Concilii Niceni, unde huic indulgentiæ auctoritas conciliaretur. Rem esse eo faciliorem, quod omnes Episcopi, excepto Rotado, qui Depositioni Ebbonis adfuissent, ex hac vita abiissent, ita ut nemo sit, qui adversetur. Percuperem, si id sine tuo

Sæculum IX. A. C. 866.

Hincmarus ad Pontificem.

incommodo fieri posset, ut Pontifici cuncta accurate referres, quæ ad Depositionem Ebbonis & judicium latum in Clericos spectant, sed non puto, te quibusvis aliis libellis onerandum, nisi illis, de quibus inter Regem & Episcopos convenit. Pontifici suggerere debes, aptam nactus occasionem, jam nunc complures dicere: Si quæ tunc acta sunt, firma non fuerunt, ea quæ hodie aguntur, magis firma non erunt. Nihil amplius in iis, quæ Episcopi aut Sacra Sedes decernunt, ratum & constans est. Vilescet Excommunicatio Ecclesiastica, Presbyteri depositi ab Officio Sacerdotali non abstinebunt, si viderint, nostra & Sacra Sedis judicia voluntate Principis & depravatis nostris affectibus regi. Illud quoque Papam monebis; meminerit, quantum Guntharius Excommunicationem ab ipso pronunciatam contempserit. Nisi Wulfadi causa obstaret, istorum Clericorum, qui cum ipso Wulfado plures quam novem non sunt, negari potuisset. Et infra: *Curæ tibi sit legere Pontificis Epistolas, quas in hac causa daturus est, priusquam huc mittantur, ne Notarii fraudem faciant, quippe dicuntur literas non nunquam corrumpere. Memento etiam ad nos afferre Gesta Pontificum a Sergii initiis usque ad hunc annum; nam ceterorum Pontificum Acta habemus.* Hæc

Sup. n. 33.

gesta

gesta Ephemerides vel Annales fuerint rerum omnium sub singulis Pontificibus occurrentium. Sæculum IX A. C. 866.

§. XLVIII.

Gotteschalci Exitus.

Tabellario, quem Hincmarus ad Egilonem mittebat, jam itineri accincto, ad Archiepiscopum defertur, Gumbertum Monachum Altovillarienſem ex Monasterio cum libris, vestibus, equis, & quidquid ferre poterat, clam excessisse. Is in Italiam proficisci dicebatur, & portare ad Papam libellum appellationis Gotteschalci, in eodem Monasterio inclusi, quocum secreto deliberasset, Epistolas reddidisset, & ab eo accepisset. Quo comperto Hincmarus cito ad Egilonem dedit Epistolam, quam ut secretam teneat, rogat. In ea vero dicit de Gumberto loquens: *Scit nempe, Pontificem mihi detrahentibus faciles aures præbere, eumque Regi Carolo scripsisse, non posse se in omnibus mihi patrocinari. Plane non occurrit, in quo me unquam Pontifex suo patrocinio juverit. Si de Gotteschalco sermo sit, rationem reddidi Arsenio Legato & data ad Papam Epistola quæsivi, an præciperet, ut eum ad se mitterem, vel eum cuiquam alii custodiendum traderem. Si eum Papa alere vult, Romam mittendus est a Rege, mihi enim* *Sup. Lib. XLV. §. 49.*

Opusc. 24. to. 1. p. 290.

Sæculum IX. A. C. 866.

tot homines non sunt, ut proficiscenti custodes dare queam. Et infra: *Ajunt, Gotteschalco multos esse Sectatores, qualis Prudentius Episcopus fuit; namque id prodit in Scriptis suis, præsertim in Annalibus Regum nostrorum, in quibus ad annum octingentesimum quinquagesimum nonum dicit: Nicolaus Papa Definitionem Doctrinæ Catholicæ confirmat de Gratia Dei, de Libero Arbitrio, de Veritate duarum prædestinationum, & de Sanguine JEsu Christi pro omnibus Fidelibus effuso.* Hincmarus subjungit: *Annales isti in permultorum hominum manibus sunt. Rex etiam unum habet exemplar, quod mihi commodaverat, & quod te præsente eidem restitui.* Hic docet nos Hincmarus Auctorem istorum Annalium, qui hodie nomen S. Bertini servant, quia in eo Monasterio inventi sunt. Ceterum ad finem anni 859. eadem verba ab Hincmaro relata legimus. Quæ sequuntur Hincmarum auctorem habent, vel certe ex ipsius amicis aliquem, qui postquam obitum Prudentii narravit, dicit: *Prudentius prioribus annis Gotteschalco adversatus fuerat; postea vero, cum quidam Episcopi unacum eo contra hunc Hæreticum pugnantes ipsi bilem movissent, ejusdem Hæresis defensionem ferventissime suscepit, editis compluribus libris tam sibi ipsis, quam Fi-*

Duch. to. 3. p. 150. 111.

An. 861.

dei

dei Catholicæ contrariis. Hincmarus in Epistola sua ad Egilonem addit: *Si interrogent, quomodo Gotteschalcus custodiatur, dices; alimenta ei sicut ceteris hujus Congregationis fratribus præberi, vestes quoque & ligna ad calefaciendum cubiculum, quantum satis est, suppeditari, atque in ipsius habitaculo caminum & omnia necessaria inesse, balnei usum, si peteret, ei minime negari, sed ex quo carcerem ingressus esset, lavare manus vel faciem pertinaciter noluisse, ita ut, si emitteretur, sine horrore conspici non posset.* Huic Epistolæ arcanæ junxit Hincmarus alteram, quam Egilo publice exhiberet. In ea errores, quorum Gotteschalcum arguit, fusissime explicat.

Sæculum IX. A.C. 866.

Opusc. 15.

Nescimus, an Gumbertus Monachus Romam pervenerit, nec ulla de eo mentio post hæc occurrit. Illud vero constat, Gotteschalcum haud multo post tempore, nempe anno circiter octingentesimo sexagesimo octavo in carcere suo fuisse defunctum. Hincmarum Altovillæ commorantem monent Monachi, Gotteschalcum ad extrema deduci. Mittit ille morituro formulam fidei, cui si subscriberet, Absolutionem & Viaticum acciperet; at pertinax sibi oblatam non si-

De non trina Deit. p. 552.

Sæculum IX. A. C. 866.

ne indignatione rejecit. (*) Cum Hincmarus inde abiisset, Monachis rescripsit præcipiens, si Gotteschalcus converteretur, facerent, quod præsens jussisset, secus vero, nec Sacramenta, nec Sepulturam Ecclesiasticam contumaci concederent. Mandata sua auctoritate complurium Patrum confirmabat. Tandem, Gotteschalco non retractante, Monachi Hincmari jussioni obsecuti sunt. (**)

Opusc. 28. Flod. l. III. p. 28. p. 565.

Inter-

(*) Admirandi locus est, quæ in Libro de non Trina Deitate Hincmarus de Gotteschalco scripsit, referente Natali Alexandro in Sæc. IX. *Scripsit quoque ad Deum loquens, & dicens ei, quod ipse illi præceperit ut pro me non oraret, & quia primum Filius in eum intraverit, postea Pater, deinde Spiritus Sanctus, qui in illum intrans, ei circa os barbam ussit. Et quia nollet vestimenta de vestiario Fratrum mihi communicantium accipere nisi pretio compararet, qui pretium non habebat, sed sic vellet ire, sicut Adam ibat, antequam peccaret.* Ad hæc P. Natalis: *Gotteschalcum non modo Hæreticum sed dementem fuisse oportet, si vera sunt quæ de eo scribit Hincmarus.*

(**) Auctor Animadversionum in P. Natal. de Gotteschalco scribit: *Pro Gotteschalci innocentia ita aliqui pugnant, ut nullius erroris reum fuisse pro viribus affirment.* Nempe, quod credant, eum docuisse, Deum prædestina-

re

Interim Rex Carolus, Reſponſo Papæ ad ordinandum Wulfadum Archiepiſcopum Bituricenſem non expectato, miſit filium ſuum Carolomannum S. Medardi Abbatem, qui ei poſſeſſionem Eccleſiæ Bituricenſis traderet. Qui, ſtatim ſoluto Concilio Sueſſionenſi, menſe Sept. anno 866. cum Biturigas perveniſſet, Wulfadum ab Aldone Lemovicenſi Eccleſiæ Bituricenſis Suffraganeo, & quibusdam aliis Epiſcopis conſecrari curavit. Aldo inter Cæremonias febri correptus brevi poſt tempore obiit; quam rem notatu digniſſimam Wulfadi Adverſarii eſſe exiſtimabant.

Sæculum IX. A. C. 866.

Ann. Bert. 866.

§. XLIX.

Converſio Bulgarorum.

Summus Pontifex, miſſis per Michaelem Protoſpatharium ad Michaelem Imperatorem literis, aliquot Epiſcopos Urbi

Sup. n. 41. *Nic. ep.* 7.

re reprobos ad pœnam, non vero ad culpam. *Aliis, quos ſequitur Natalis, placet Gotteſchalcum juſte fuiſſe damnatum, quia prædeſtinatianam Hæreſim ab orco revocaverit.* Poſt alia dicit item Auctor: *Quantumvis nihilominus innoxia fuerit Gotteſchalci doctrina, in eo reprehendendum agnovit etiam Eccleſia Lugdunenſis, quia importunas excitaverit controverſias, easque nimia audacia ac temeritate defendendas ſuſceperit.*

Sæculum IX. A. C. 866.

Urbi viciniores convocat, atque de rebus Ecclesiæ Constantinopolitanæ deliberat, Legatos cum amplioribus litteris illo directurus. Illud vero anxium tenebat, qua via potissimum illo pervenire possent; quippe iter maritimum minus longum quidem, sed ob malam Græcorum fidem minime tutum esse constabat. Inter has curas Legati Regis Bulgarorum (*) Romæ adventant. Rex ille, cui nomen Bogoris, ante breve tempus Religionem Christianam susceperat; occasio vero hujus conversionis in hunc modum refertur: Dira fame ejus regnum premente permotus est ad invocandum Christianorum Deum, cujus primam cognitionem olim a Theodoro Cuphara Monacho acceperat, soror autem ipsius, dudum Christianis dogmatibus imbuta, mire deprædicabat. Ubi vilius annonæ pretium fuit, Christiana Sacra amplecti statuit. Id ut faceret, præterea impulsus fuisse dicitur terribili pictura Judicii extremi, quod quidam Monachus

Anast. in Nic. p. 265. Post Theoph. l. IV. n. 14. 15. Sup. Lib. XLVIII. §. 24.

(*) Bulgari, tunc populi Mysiæ in Thraciæ confiniis, a Bulga vel Wolga fluvio sic dicti, ubi primum in Moschorum finibus habitarunt. Hodie illis regionibus alia sunt nomina. Bulgari Nicephorum Imperatorem olim profligatum occiderant, & caput ejus abscissum ludibrio exposuerant.

chus, nomine Methodius, ab eo ad re- Sæculum IX.
præsentandum feras venatorum insidiis A. C. 866.
vexatas (hoc enim studio Rex impensissime delectabatur) mira arte exhibuerat. Ergo Doctrinam Christi volens edoctus ad Imperatorem Constantinopolitanum misit, qui Episcopum peterent, ab eoque baptizatus, & de Imperatoris nomine Michael vocatus est.

Quamvis vero Bogoris occulte & noctu Baptismum accepisset, re tamen ad Optimates delata, ibi populum ad seditionem excitant, & Regem in arce, quam intraverat, obsident. Rex intrepidus, crucem in sinu gerens, cum pauciſſimis (quadraginta octo omnino viri erant) quibus ad ultima fides durabat, in rebelles erumpit, prœlio vincit, & pavidos in fugam vertit. Incredibilis victoria manifesto miraculo a Cælo concessa omnibus visa est. Rex sumpto supplicio de viris quadraginta duobus, qui ceteris ad seditionem Duces extiterant, civium multitudini pepercit. Tunc vero omnes, ut ad Christiana sacra transirent, invitavit, multisque persuasit. Ab Imperatore autem petiit sibi concedi terras incultas in confiniis imperii positas, quo populi sui innumerabilis colonias emitteret. Dedit Imperator regionem, quæ ab ipsis Zagora, & postea a qui- *Cang. famil. p. 310.*

Sæculum IX. A. C. 866.

quibusdam Scriptoribus eodem nomine appellata.

Ann. Bert. p. 866.

Hæc Bulgarorum converſio ad annum octingenteſimum ſexageſimum quintum refertur. Anno autem ſequente Rex Michael, miſſa Legatione ad Ludovicum Germaniæ Regem, cui cum ipſo pax & fœdera intercedebant, petiit ſibi dari Epiſcopos & Presbyteros. Qui nomine Regis ſui hac legatione fungebantur, narrabant; cum ille ex arce ſua in rebelles ſubditos egrederetur, ante ipſum procedentes ſeptem Clericos fuiſſe conſpectos, ſingulos ardentem cereum portantes. Viſum etiam fuiſſe rebellibus, quod domus conflagrans ingentis magnitudinis in ſe caderet, & equi militum Regiorum poſticis pedibus erecti anterioribus ſeditioſorum capita calcarent, quod denique tantus terror conſilii expertes invaſerit, ut nec fugam arriperent, nec corpora tuerentur, ſed in terram proſtrati obrigeſcerent.

Bulgarorum Legatio.

Metenſ. 868.

Hæc Bulgari referebant.

Rex Ludovicus ad Regem Carolum Fratrem miſit, qui Vaſa Sacra, veſtes Sacerdotales librosque, Clericis ad illam gentem delegandis tradendos peterent; unde Rex Carolus magnam pecuniæ ſummam ab Epiſcopis regni ſui accepit. Anno ſequente Ludovicus Ermenricum Epiſcopum cum Presbyteris & Diaconis

Ann. Fuld. 867.

in

in Bulgariam misit; sed illo pervenientes, vident Episcopos a Papa missos ubique prædicasse & conversos baptizasse. Quare salutato Bulgarorum Rege in Germaniam redierunt. Nempe Rex ille Romam miserat filium suum & complures Proceres, Sancto Petro munera, atque præter alia arma, quibus fulgebat Rex Michael, cum seditiosorum victor extitit, deferentes. Ipsis quoque commissum, ut Papam de multis quæstionibus ad Religionem spectantibus consulerent, atque Episcopos & Presbyteros expeterent. Hi mense Augusto Indictione decima quarta, videlicet anno octingentesimo sexagesimo sexto Romam pervenerant; qua re comperta, cum Rex Ludovicus arma ceteraque munera, a Rege Bulgarorum S. Petro donata, sibi reddi postularet, Papa, missa per Arsenium eorum parte aliqua, excusavit, quod omnia non posset.

Sæculum IX. A. C. 866.

Ann. Bert.

Ingenti lætitia Nicolaus Papa adventantes Bulgaros excepit, non solum quod illa gens ad Christum converteretur, sed etiam quod e regione admodum remota veniissent, documenta fidei a Sacra Sede accepturi, rursusque, quod sibi via aperiretur, qua Legatos suos per Bulgariam itinere terrestri Constantinopolim mittere posset. Igitur Paulo Episcopo Populonienſi in Hetruria, & Formoso

Ep. 70. p. 470

Anast. in Nic.

Sæculum IX. A.C. 866.

mosо Episcopo Portuensi, magnorum meritorum Præsulibus, ad hos populos eruditos delegatis, iisdem deferenda dedit Responsa ad eorum Consulta, Sacram Scripturam, aliosque libros, quos illi Genti credebat necessarios. Hæc Responsa Articulos centum & sex, tot nimirum, quot ab illis quæstiones fuerant propositæ, complectuntur, ex quibus illos solummodo, qui majoris momenti videntur, memorabo. Papa sæpe Leges Romanas, præsertim Institutiones Justiniani, allegat.

to. 8. Conc. p. 516.

c. 39.

§. L.

Responsa ad Consulta Bulgarorum.

Retuliſti ad nos, inquit Pontifex, *te jubente omnem populum tuum fuiſſe baptizatum; ſed poſtea ſubditos tuos ſeditione ferociter commota, dicentes, malam legem a te accepiſſe, te voluiſſe necare, & alium ſibi Dominum eligere. Poſtquam vero eos, Deo auxiliante, deviciſſes, cunctos Optimates cum liberis ſuis interfici juſſiſſe. Et quæris, an hoc faciens peccaveris. Peccaſti utique; quantum ad prolem innocentem pertinet; parvuli namque contra te arma ſtringere non potuerunt, parentum conſilii expertes. Quin etiam parentibus captis vitam dare debuiſſes, & omnibus in acie arma abjicientibus parcere. Quia vero hæc ignorans*

rans & Religionis amore impulsus feciſti, ſi pœnitentiam peregeris, veniam impetrabis. Populus quoque, ſeditionis in tereus, ſi pœnitentiam ſubire velit, recipiendus eſt; ſecus in Hæreſim Novatianorum incideremus. Qui Religioni Chriſtianæ, ſi ſemel ei nomen dederunt, renunciant, primo ab illis, a quibus e fonte Baptiſmi ſuſcepti ſunt, moneantur. Si eos ab errore revocare non poſſint, dicant Eccleſiæ; porro ſi nec Eccleſiam audierint, ab omnibus ſicut Ethnici & Gentiles habeantur, atque a poteſtate ſæculari reprimantur. Non minus enim officium Regis exigit eos coerceri, qui Deo infideles ſunt, quam qui ipſis Regibus datam fidem frangunt. Quod ad illos ſpectat, qui in Idololatria remanent, vim nullam ad eos convertendos adhibeas, ſatis tibi ſit eos exhortari, & ex ratione convincere, inanem fabulam eſſe, quæcunque de falſis Diis canuntur. Si ſanam Doctrinam reſpuant, cum eis cibum non ſumas, in re nulla cum eis communices, tanquam exteros & immundos a conſortio tuo arceas. Forſan ſi rubovem elicueris, pertinaces ad agnoſcendam veritatem compelles.

c. 78.

c. 1.

Quidam vir Græcus, ut indicaſtis, mentiens, ſe eſſe Presbyterum, cum non eſſet, plurimos in veſtra patria baptizaverat. Cum ergo cognoviſti, quod non

c. 14.

Sæculum IX. A. C. 866.

esset Presbyter, naribus & auribus ab-
scissis, atque acerrimis verberibus cæsum
e vestra patria expulisti. Habuisti zе-
lum Dei, sed non secundum scientiam.
Nam homo iste salutem plurimis contulit,
dum JEsum Christum prædicavit, cre-
c. 15. *dentes baptizavit, & siquidem in nomine*
Sanctæ Trinitatis baptizavit, legitimum
baptismum acceperunt, quia Baptismus
c. 104. *Christi nulla perversitate ministri confe-*
rentis violari potest. Peccasti itaque il-
lum hominem crudelissime tractando. Quo-
niam etsi erraverit, fingens esse quod non
c. 16. *erat, satis fuisset ad pœnam expelli e pa-*
tria, quin etiam misere truncaretur.

n. 69. *Solemnia tempora, quibus Baptismus*
celebratur, secundum Canones duo sunt,
Paschæ scilicet & Pentecostes; verum a-
pud vos nulla sunt tempora observanda,
quemadmodum nec in illis, qui mortis vi-
cinæ periculum metuentes sacro Lavacro
purgari desiderant. Ceterum ipso die
Baptismi (*) nec sequentibus abstinendum
est a carnibus.

Adnotari meretur, quod novæ Gentis conversio sufficiens causa in diebus Baptismi

(*) Verba Nicolai Pontificis ita sonant: *A carnibus autem ipso die iis, qui Sabbato Sancto, vel Sabbato Pentecostes baptizati fuerint, abstinere procul dubio convenit. Consequentibus vero septem diebus &c.*

Baptismi solemnibus dispensandi visa fuerit. Sæculum IX. A. C. 866.

Jam vero, quod asseritis, Græcos vos prohibere Communionem suscipere sine cingulis, & crimini vobis ducere, si manibus ad pectus non decussatis in Ecclesia oretis; ejusmodi consuetudines servare vel omittere peccatum non est, nisi forte in eo, qui pertinaciter recusset facere, quod omnes viderit facientes. Ex compluribus similibus articulis dignoscimus, Græcos, qui Bulgaros primum erudierant, voluisse eos ad omnes suos Ritus obligare, sine discrimine, an talia observare multum parumve referret.

Tum Papa prosequitur: *Licet, præcipue tempore siccitatis, ad pluviam postulandam jejunare & orare; sed congruentius hæc per Episcopum decernuntur.* c. 56.

Laici quoque quotidie certa orandi tempora habeant, cum omnibus dictum sit: Oportet semper orare; & in omni loco orare liceat. Luc. 18. 1. Thessal. 5. 16.

Die Dominica ab omni opere abstinendum, sed non in Sabbato. c. 10.

Præter diem Dominicam a laboribus quoque abstinendum in solemnitatibus Beatæ Mariæ Virginis, duodecim Apostolorum, Evangelistarum, S. Joannis Baptistæ, S. Stephani primi Martyris, & illorum Sanctorum, quorum memoria apud vos celebratur. c. 11. Nicolai Papæ Responsa.

Nec in his Festis, nec in Quadragesima judicia publica exerceantur. c. 12.

Sæculum IX. A. C. 866.

tur. *Omnibus diebus, quibus jejunium*
c. 45. *præcipitur, a carnibus est abstinendum*
nempe in Quadragesima ante tempus Pa-
schale, in jejunio post Pentecostem, in je-
junio ante solemnitatem Assumptionis
Sanctæ Dei Genitricis, & ante Natalis
Domini nostri JEsu Christi Festivitatem.
Cap. l. 6. n. 187. v. Thomass. jeunes. 2. par. ch. 19. Omnia hæc jejunia per dies quadraginta servabantur, saltem illa tria, Natalem Domini, & Pascha præcedentia, & quod Festum Pentecostes sequitur, sicut in Capitularibus Regum nostrorum diserte statuitur. At cetera jejunia non tam stricte ac Quadragesimale obligabant.

Papa his subjungit: *Singulis quoque*
diebus Veneris, & in omnibus Vigiliis
majorum Festorum jejunandum est: sed
initio conversionis vestræ nolumus vos
c. 5. *tanto rigore obruere. Quarta feria li-*
cet vobis carnibus vesci, nec ullo modo
c. 6. *præceptum est, illa die a balneo abstinere,*
nec etiam Feria sexta, quamvis id Græci
dicant.
c 9. *Quotidie in Quadragesima, sicut aliis*
temporibus, Communionem accipere vo-
c. 44. *bis liceat. Sed Sacro hoc tempore non*
licet venari, non licet ludere, non scur-
rilia aut jocosa audire. Non celebren-
tur convivia vel nuptiæ. Conjuges in
c. 47. *Quadragesima se contineant; Presbyteri*
c. 48. *vero, vel Episcopi judicio relinquimus,*
quæ pœnitentia præscribenda illi sit, qui
in

in Quadrageſima uxori ſuæ junctus fuerit. Licet in Quadrageſima bellum gerere, ſi ad ſui defenſionem abſolute neceſſarium ſit. c. 59.

Licet carnibus omnis generis animalium veſci, miſſo diſcrimine veteris Teſtamenti, cujus Legis ſenſum ſpirituali ſignificatione accipimus. c. 46.

Licet Laicis, ſi Clericus non adſit, cibos, antequam aſſideatur menſæ, ſigno crucis edito benedicere. c. 53.

Mos eſt in Eccleſia Chriſtianorum, ante horam tertiam (id eſt nonam matutinam) *non manducare.* c. 60.

Chriſtianus nihil, quod Paganus venatu ceperit, comedat, ne cum Infideli communicaſſe videatur.

Conſuetudo in Eccleſia Romana, ad contubernia nuptialia pertinens, hæc eſt. Poſt ſponſalia & contractum, quo pacta firmantur, Sponſus & Sponſa oblationes ſuas per manus Sacerdotis in Eccleſia tradunt; tum accipiunt Benedictionem nuptialem & velamen, quod ad ſecundas nuptias migrantibus non datur. De Eccleſia egreſſi coronas in capitibus geſtant, quæ deinde in Eccleſia reſervari ſolent. Verum ejusmodi ritus non ſunt præcepti, & nihil, niſi utriusque partis conſenſus, a legibus confirmatus, neceſſarium eſt. c. 3.

Qui duas uxores habet, retineat, quam primo duxit, & pro delicto præterito pœnitentiam ſubeat. c. 51.

Conjuges ſingulis Dominicis, ſicut c. 63.

Sæculum IX. A. C. 866.

in Quadrageſima, ſe contineant. Illo item tempore, quo mulier infantem lactat. Poſt partum vero, quando voluerit, Eccleſiam intret.

c. 64.
c. 68.

§. LI.

Reſponſa ad Bulgaros.

Quod pertinebat ad criminum vindictam, iſtud, dicebat Pontifex, Bulgaros edocendos ex Legibus Romanorum, quas Epiſcopus deferebat. Noluit tamen, ut hos libros apud eos relinqueret, ne abuterentur. Cum enim leges ab eo petiiſſent circa negotia temporalia, Pontifex reſpondet: *Lubenti animo vobis miſiſſemus libros, quos credidiſſemus neceſſarios, ſi ſciremus, virum apud vos exiſtere, ad eos explicandos idoneum.* Præterea Bulgari non ea modo exquiſiverant, quæ ad Religionem, ſed etiam ad mores patriæ ſuæ natura nec bonos nec malos ſpectabant; quale illud erat, an bene ageret Rex ipſorum, ſi ſolus cibum ſumeret, quantum nomine dotis uxoribus ſuis dandum eſſet, & an illæ femoralibus uti poſſent. Tanta erat illius gentis ſimplicitas. Item ſciſcitati fuerant de uſu multiplicis ſuperſtitionis, quam Papa damnat. Hujusmodi erant: Dies auſpicatos inauſpicatosve obſervare, vel etiam auguria, aut carmina magica. Ægris aliquid, cibi inſtar, ſumendum

c. 26. 27. &c.
c. 13.
c. 42.
c. 49.
c. 59.
c. 8.
c. 35.
c. 62.

dum dare de quodam lapide, quem eis salvti esse credebant, aut infirmis ligaturam quamdam ad sanitatem recipiendam sub gutture adhibere. Non nihil superstitionis Bulgari ad Græcis acceperant, quale erat, ex verbis libri subito aperti, primo occurrentibus divinare; quod aliquam affinitatem cum sorte Sanctorum habere videtur. Sæculum IX. A.C. 866. c. 79.

In prœlium progredientes, dies, horas & auguria observare solebant; hinc Pontifex suadet, ut in bellum profecturi, prius Ecclesias frequentent, Missarum solemniis intersint, oblationes afferant, eleemosynas distribuant, nullum genus charitatis in proximum negligant, confessionem peccatorum Sacerdotibus faciant, Sanctam Communionem accipiant, in castris preces consuetas non omittant, quod in bellorum periculis multo magis Dei auxilio indigerent. Cum hactenus in Signo militari caudam equi portassent, quemadmodum hodieque Turcæ, jam Pontifex suadet, ut signum sanctæ Crucis sufficiant. Obtestatur, ut inita pacis fœdera sancte servarent; prohibet vero ea cum Infidelibus pangi, nisi forte hoc remedio ad cultum veri Dei pertrahi possint. Vult, ut imposterum jurantes manus ponant super Evangelium, cum antea super gladium jurare consuevissent. c. 35. c. 34. c. 33. c. 81. c. 82. c. 67.

Sæculum IX. A. C. 866.

c. 72. *Quæritis*, inquit Papa, *an apud vos Patriarcha ordinari possit? qua de re nihil definire expedit, donec ad nos reversi fuerint Legati nostri; unde discemus, quis sit in regione vestra Christianorum*

c. 73. *numerus & quæ concordia. Nunc dabimus vobis Episcopum, quem, postquam numerus Christiani populi auctus fuerit, Dignitate Archiepiscopali ornabimus. Is Episcopos ordinabit, qui in causis majoris momenti ipsum habebunt judicem, eoque defuncto Successorem creabunt & consecrabunt, quin necesse fuerit huc ad nos recurrere, quia magna est locorum distantia. At ille non nisi Corpus JEsu Christi consecrare poterit, donec a sancta Sede Pallium acceperit, sicuti Gallinarum omnes, Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur.*

c. 92. *Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui illis præsunt Ecclesiis, quas ab Apostolis institutas fuisse exploratum est; quales sunt Ecclesia Romana, Alexandrina, & Antiochena. Constantinopolitanus autem & Jerosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen Auctoritatis, quantæ Superiores existunt. Nam Constantinopolitanam Ecclesiam, nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicena Synodus ejus*

Conc. Nic. can. 6. Sup. Lib. XI. §. 10. *mentionem aliquam fecit; sed solum quia Constantinopolis nova Roma dicta est,*

ejusdem

ejusdem civitatis Episcopus Patriarcha appellatus est, favore Principum potius quam ratione. Jerosolymitanus autem Præsul licet & ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, atque Nicenæ Synodi exemplum honorandus sit, ipsi tamen eadem Synodus tantum Episcopi titulum tribuit, salva ejus Metropolitani (*) auctoritate. Ceterum Patriarcha Alexandrinus a Romano Papa secundus est. Nemo non videt, Papam non alio ductum consilio tam accurate distinguere, quam ut in mente Bulgarorum Auctoritatem Patriarchæ Constantinopolitani (**) minueret.

Sæculum IX. A. C. 866.

Nic. can. 7.

93.

Nicolaus P. ad Bulgaros.

Tum prosequitur:

(*) Nempe Cæsarienſis in Palæstina. Nicolaus Papa in hoc loco addit sequentia: *Sed & in eadem Sancta & Magna Synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ Episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in Cælis est, quæ est Mater nostra. Illa vero Jerusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeo funditus ab Ælio Hadriano Imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, & ab eodem Ælio Hadriano in alio est loco constructa; ita ut locus Dominicæ Crucis extra portam, nunc intra cernatur.* Tom V. Conc. Edit. Paris.

(**) Parum æquus Nicolao Pontifici hic videtur

Sæculum IX. A. C. 866.

c. 75. *Judicium pœnitentiæ, quod poſtulatis Epiſcopi noſtri, quos in patriam veſtram miſimus, in Scriptis ſecum deferent; nam Sæculares tale quid habere non conve-*

c. 76. *nit. Idem intelligi volumus de Codice Miſſæ.* Id eſt de Sacramentario ſeu Miſſali; ergo Canones pœnitentiales & formula Sacramentorum adhucdum illa ætate erant arcanum ſolis Sacerdotibus

c. 70. cognitum. Rurſus Papa: *Laicos non o-*

c. 83. *portet judicium ferre in Presbyteros aut Clericos, nec eorum vitam ad examen vocare, ſed iſtud Epiſcoporum Auctori-*

c. 26. 28. *tati competit.* Criminum rei, qui ad Eccleſias confugiunt, inviti non abſtra-

c. 96. hantur, ſed parcatur ſanguini, & pœnitentiæ ſecundum judicium Epiſcopi vel Presbyteri ſubjiciantur.

c. 106. *Dicitis, quod in patriam veſtram multi ex diverſis locis Chriſtiani, Græci, Armeni aliique advenerint, qui multa & varia loquuntur, & petitis, ut vobis pu-*
riſſi-

detur Fleurius. Nequaquam Papa auctoritatem Patriarchæ Conſtantinopolitani minuit, ſed talem exhibet & explicat, qualis erat. Unde etiam clariſſime contra Proteſtantes probatur, Auctoritatem Romani Pontificis a tempore Jeſu Chriſti & Apoſtolorum ſumpſiſſe originem, econtra poteſtatem Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ab Imperatorum favore fuiſſe profectam.

rissimam Doctrinam indicemus. Fides Ecclesiæ Romanæ semper sine macula fuit. Sæculum IX. A. C. 866. *Mittimus ad vos Legatos nostros & Scripta unde sanam Doctrinam hauriatis, nec unquam tanquam novellas plantas vos excolere cessabimus. Ceterum, si modo veræ fidei veritas ad vos perveniat, parum nostra refert, quo prædicante id fiat.* Talia sunt Responsa Nicolai Papæ ad Consulta Bulgarorum, in quibus Pontifex inprimis conatur feroces hujus nationis mores delinire, atque ad Leges humanitatis & charitatis Christianæ mansuefacere; nam nisi hæc subesset intentio, difficulter approbari possent quædam decreta, quæ exercitium justitiæ & potestatis publicæ labefactare videntur; qualia illa sunt, cum prohibet, ne judices tormentis ex quoquam exprimant criminis confessionem, & vult, ut calumniatoribus & veneficis venia concedatur, item illis, qui non equis, non armis, quemadmodum deberent, ad militaria obsequia instructi essent, & multis aliis gravium delictorum reis. Attamen in his Responsis antiquorum rituum Ecclesiæ Romanæ, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, illo ævo vigentis, pretiosa documenta invenimus.

c. 86.

c. 97. 84. 85.

c. 40.

§. LII.

Sæculum IX.
A. C. 866.

§. LII.

Epistola Papæ Constantinopolim data.

Anast. in Nic. p. 265. Nicolaus Papa cum Legatis in Bulgariam proficiscentibus tres alios Constantinopolim misit. Donatum Episcopum Ostiensem, Leonem Presbyterum Tituli S. Laurentii, & Marinum Ecclesiæ Romanæ Diaconum, quibus Epistolas octo deferendas commisit, omnes eadem die, videlicet decima tertia Novembris anno octingentesimo sexagesimo sexto datas. In prima, ad Imperatorem Michaelem directa conqueritur; Epistolam suam per priores Legatos Rodoaldum & Zachariam missam fuisse corruptam, eamque in prima Sessione Concilii Constantinopolitani non fuisse lectam, quamvis consuetudine dudum fuisset introductum, ut Epistolæ Paparum publice in Conciliis legerentur; quod etiam in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi observatum. Tum loca Epistolæ suæ depravata enumerat, nempe talia, quæ ad Auctoritatem S. Sedis stabiliendam, Ignatii innocentiam, & Photii ambitionem spectabant.

Nic. ep. 9, p. 330.

Sup. n. 12.

p. 335. Asserit, se nunquam alium pro legitimo Patriarcha habiturum quam Ignatium, priusquam ejus causa a Sacra Sede judicaretur, nec unquam se cum Photio

tio communicaturum, nisi resipisceret. Probat, ipsius Ordinationem fuisse nullam, cum Gregorius Syracusanus depositus neminem consecrare potuisset. Deinde sermone ad Imperatorem directo subjungit: *Sed dicis, O Imperator, etiam sine consensu nostro Photium & Sedem retenturum & Communionem Ecclesiæ habiturum, dum interim Ignatius nostro molimine nullatenus juvaretur. At nos econtra credimus, quod Ecclesia Christi Canones Nicenos neutiquam sit abjectura, præcipientes, ne illi, qui excommunicati sunt, ab aliis recipiantur. Speramus, fore, ut membrum a corpore separatum servari non possit, & tandem reliqua membra caput suum secutura. Fecit Sedes Apostolica, quod facere debuit; cetera in Dei voluntate posita sunt. Quicunque semel a Sacra Sede perculsi fuere, hanc notam in æternum a se amoliri non potuerunt, etiamsi ad tempus Principum præsidio fruerentur. Ita Simonem Magum S. Petrus dejecit. Ita quondam Papa, Præsul meritis & nomine Victor, Asianos de celebrando Paschate dissentientes a Communione separavit, ejusque sententia in Ecclesia obtinuit. Ita Felix Papa Acacium Constantinopolitanum, ita Agapitus Papa Anthimum, Principibus frustra contra nitentibus, damnarunt.*

Sæculum IX. A. C. 866.

p. 340.

Sup. Lib. IV. §. 44. Euseb. V. hist. c. 24. Sup. Lib. XXX. §. 16. XXXII. §. 54.

Et infra:

Anno

Sæculum IX. A. C. 866.

p. 346.

Anno superiore accepimus Epistolam nomen tuum præferentem, tot contumeliis, imo blasphemiis respersam, ut Scriptor non nisi in gutture colubri calamum tinxisse videatur. Tantæ audaciæ literas, nostræque Dignitatis contemptum dissimulare non possumus; unde te vehementer exhortamur, ut publice flammis tradi jubeas infamem Epistolam, & sic probrum, quod eam scribi præceperis, abstergas. Sin autem, scias velim, Auctores hujus Epistolæ in frequentissimo totius Occidentis Concilio a nobis anathematizandos. Deinde vero ipsam Epistolam in stipite suspensam, vasto supposito foco, coram omnibus nationibus ad limina Apostolorum confluentibus, ad vituperium vestrum, cremabimus.

Credendum, sciviſſe Pontificem, Michaelem Imperatorem, ut ut hominem impium & furiosum, hisce comminationibus moveri posse.

Ep. 10.

Nicolaus Pontifex simul etiam ad Episcopos, Sedi Constantinopolitanæ subjectos, & ejusdem Ecclesiæ Clericos amplissimam dedit Epistolam, in qua tota causa & sex articuli referuntur, in Decreto Concilii Romani contra Photium contenti. In ea contra abusum, quo Laici ad Episcopatum promovebantur, invehitur in hunc modum: *Nam impietas ita hodie caput extulit, ut ordine canoni-*

Ad Episcopos Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

nonico conculcato, Laici Ecclesiastica moderamina teneant, & pro libitu hos modo Præsules removeant, modo illos in eorum locum promoveant, rursusque post modicum turpi mentis levitate victi repellant. Ut enim Sæculares quælibet scelera valeant licenter committere, nullos de Catalago Clericorum permittunt ad Episcopatum evehi, qui scelera eorum tanto audacius reprimerent, quanto diutius sub Disciplina Ecclesiæ extitissent. Sed ex se ipsis Laicis Episcopos eligunt, qui facta eorum tanto minus præsumant arguere, quod se paulo ante de horum cætu favore ipsorum promotos meminerint. Atque ita fit, ut alienus Clericorum labore partos fructus comedat, & nihil prosit viris Ecclesiasticis in Domini castris tota vita militasse, atque gradatim per singulos Ordines ascendisse, dum alter repentino saltu eos omnes transcendit, & subitum principatum obtinet. Contra hunc abusum Papa Canonem decimum tertium Concilii Sardicensis affert. Sæculum IX. A.C. 866. *Sup. Lib. XII. §. 37.*

Præterea Pontifex ad Photium quoque dedit Epistolam, quasivero ferreum hominis pectus solis verbis molliri posse speraſſet; item aliam ad Bardam Cæsarem jam plus quam sex mensibus interfectum. Unde liquet, quam rarum fuerit Romam inter & Constantinopolim Epistolarum commercium. Scripsit quoque *ep. 12.* *ep. 11.* *ep. 13.*

Sæculum IX. A. C. 866.

que Ignatio, quem consolatur, & quæ pro ipsius causa fecisset, docet. Scripsit duabus Imperatricibus, Theodoræ Imperatoris Michaelis matri, & Eudoxiæ uxori. Matris pietatem laudat, & afflictam consolatur, non ignarus, nullam ejus esse apud impium filium auctoritatem; at Eudoxiam hortatur, ut magno animo Ignatii defensionem susciperet. Tandem dedit etiam Papa Epistolam communem ad illos ex Senatu Constantinopolitano viros, quos Legati sui Ignatio favere, & Photii communionem aversari deprehenderent. Imperatrix Theodora anno sequente octingentesimo sexagesimo septimo undecima Februarii, qua die ab Ecclesia Græca sanctis viduis adscripta colitur, vitam posuisse creditur.

ep. 13.
ep. 14. 15.
ep. 16.
Boll. 11. *Feb.* to. 4. *p.* 568.

Præter has Epistolas octo, Constantinopolim directas, alteram generatim ad omnes Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, omnesque Fideles Sacræ Sedi unitos dedit. Eadem ferme de verbo ad verbum est ac illa, quæ ad Ecclesiam Constantinopolitanam scripta, nisi quod dividatur in tres partes. Post primam partem primo ponuntur duæ Epistolæ 25. Sept. anno 860. altera ad Imperatorem, altera ad Photium per Rodoaldum & Zachariam delatæ. Secundo loco venit Epistola ad omnes Fideles 18. Martii

ep. 1.
ep. 2. 3.
Sup. n. 9.

tii anno 862. data. Tertio duæ Epistolæ per Leonem a secretis altera Imperatori, altera Photio redditæ. Post hæc exemplaria descripta continuatur Epistola ad Orientales, occurritque Decretum Concilii Romani anno octingentesimo sexagesimo tertio celebrati. Sequitur Epistola ad Imperatorem Michaelem per Michaelem Protospatharium delata, qua finita legitur Epistola ad Orientales. Tandem exemplaria octo Epistolarum, quas paulo ante memoravi, & tres Legati Donatus, Leo, & Marinus deferebant. Credibile est, iisdem hanc Epistolam ad Orientales etiam fuisse commissam.

Sæculum IX. A. C. 866.

ep. 4.

ep. 5. 6.

ep. 7.

ep. 8.

p. 235.

§. LIII.

Legati Pontificii in Bulgaria.

Tres Legati in Bulgariam pervenientes unacum duobus aliis in hanc regionem directis perbenigne excipiuntur a Rege, & isti quidem duo illico Evangelium prædicare incipiunt. Tribus vero aliis Constantinopolim ituris, jamque iter aggressis, quidam præfectus, qui ibi Imperii terminos custodiebat, obstitit. Is quippe adventantes ignominiosissime habens, & capita equorum, quibus insidebant, feriens dicebat: *Quid Imperatori, & vobis?* Ipse Imperator ad Bulgarorum Regis Oratores in Palatio suo diversantes dixit: *Nisi Papæ Legati per*

Anast. in Nic. p. 265.

Sæculum IX. A. C. 866.

Bulgariam iter arripuissent, nunquam amplius, quoad vixissent, nec me, nec Romam conspexissent. Igitur tres Legati, postquam per dies quadraginta commorati fuissent, cum intelligerent, se secundum Imperatoris mandata tam probrose tractari, viam relegere compulsi sunt, itineris sui fortunam Romæ narraturi.

In Bulgaria Legati Pontificii, Paulus & Formosus Episcopi, plurimos de populo ad Christum conversos sacro fonte abluebant, eorumque prædicatione & doctrina Rex Michael ita afficiebatur, ut ejectis e Regno suo omnibus aliarum nationum præconibus, solos Romanos verbum Dei annunciare præceperit. Tum missa Romam secunda Legatione, a Papa petiit, ut Formoso Episcopo Dignitatem Archiepiscopi Bulgariæ tribueret, & plures Presbyteros daret, qui conversioni gentis suæ operam impenderent. Papa felici nuncio lætissimus, compluribus Presbyteris ad examen vocatis, quos tanto operi idoneos reperit, in Bulgariam misit cum duobus Episcopis, Dominico Triventino prope Beneventum, & Grimoaldo Polymartensi (*) in Hetruria. His mandatum, ut ex his

Pres-

(*) Istarum civitatum nomina hodie non amplius occurrunt.

Presbyteris aliquem Archiepiscopali fastigio dignum eligerent, quem deinde Romam mitterent a Papa Consecrationem accepturum; ne Formosum Episcopum gregi suo eripere cogeretur. Præterea Paulus & Grimoaldus Episcopi in Bulgaria remanere jubebantur, novellam Ecclesiam suo labore rigaturi, Formoso autem & Dominico præceptum, ut viam Constantinopolim ad componendas ibi schismatis turbas denuo tentarent. Sæculum IX. A. C. 866.

§. LIV.

Constantinus & Methodius Sclavorum Apostoli.

Sub idem tempus & forte per Epistolas ab iisdem, quos memoravimus, Legatis delatas Nicolaus Papa duos fratres Constantinum & Methodium Bulgarorum Sclavorumque Apostolos ad se venire jussit. His Thessalonica patria fuit, atque Constantinus, cognomento Philosophus ob Philosophiæ amorem, a parentibus Constantinopolim deductus & Presbyter ordinatus est. Cum Chazares, missis ad Imperatorem Michaelem Theodoræ filium legatis, petiissent virum, qui eos Fidem Catholicam edoceret, ne hinc a Judæis, illinc a Saracenis, eos suis erroribus inficere conantibus, perverterentur. Imperator Patriar- *vit. ap. Boll. 9 Mart. to. 7. p. 19.*

Sæculum IX. A. C. 866.

cha, quem Ignatium fuisse verisimile est, ad consilium adhibito, accersitum ad se Constantinum cum suis Chazarumque Legatis honorifice illo mittit. Constantinus autem, ubi Chersonam, quæ haud procul ab eorum patria aberat, pervenit, ibi aliquamdiu moratus est, ut illo temporis spatio gentis, ad quam mittebatur, linguam disceret. Ea creditur fuisse Sclavonica; illud certe exploratum, in illam linguam Constantinum Libros Sacros transtulisse, cumque cognitio literarum apud eos necdum fuisset illata, ipsum excogitasse novas, quibus illius linguæ populi in hanc usque diem utuntur. Ad Chazares deinde profectus Constantinus omnes a Saracenis vel Judæis seductos convertit, qui eum ad Imperatorem remittentes, in grati animi pignus magna munera obtulerunt; at ille rejectis aliis donis nihil nisi captivorum libertatem sibi expetiit.

Constantino Constantinopolim reverso, Bartilas quoque Moraviæ Princeps, cum ad ejus notitiam perveniisset, quanta bona præstitisset Chazarum genti, ad Michaelem Imperatorem Legatos misit, qui significarent; populum suum Idololatriam abjeciisse, & Religionem Christianorum amplecti cupere, sed viros sibi deesse, qui Christi Sacra eos docerent. Misit Imperator Constantinum, fratremque

que ipsius Methodium, abunde suppeditans, quæ ad iter erant necessaria. Adventantes Moravi magna lætitia excipiunt, quod Evangelium afferrent in Sclavorum linguam versum, atque Reliquias S. Clementis Papæ a Constantino, cum Chersonæ commoraretur, inventas. Ergo ab iis, qui obviam procedere jussi fuerant, ambo fratres honorifice deducti strenue laborem capessunt, infantes litteris a se inventis imbuunt, majores natu officia Ecclesiastica edocent, populumque compluribus erroribus deceptum erudiunt. Annis quatuor & mensibus sex in Moravia versati, omnes libros ad Ministerium Ecclesiæ necessarios ibi reliquerunt. Itaque Nicolaus Papa grato nuncio delectatus data epistola Constantinum & Methodium accersivit. Illi Gratias Deo agentes, quod sibi talis honor a Papa obtingeret, illico iter Romam suscipiunt, adscitis quibusdam Discipulis, quos, si eos Pontifex ordinare vellet, Episcopatus gradu dignos arbitrabantur.

Sæculum IX A. C. 866.

§. LV.

Photius Papam deponit.

At Photius cum intellexisset, Legatos Pontificis Romani in Bulgariam missos Chrisma a se datum rejeciisse, atque

Metroph. ep. 1388.

Sæculum IX. A. C. 866.

novo Chrismate ad confirmandos (*) tam Bulgariæ Principes, quam subditos usum fuisse, velut œstro percitus, & vindictæ cupiditate flagrans ipsum Papam deponere insigni dementia statuit. Ergo confinxit Synodum Oecumenicam, cui Imperatores Michaelem & Basilium cum tribus Ecclesiarum Patriarchalium ex Oriente Legatis præfecit. Totus quoque Senatus atque omnes Episcopi Sedi Constantinopolitanæ subditi inducebantur. Nec non accusatores instituit, videlicet Nicolai Papæ scelera exponentes, deflentes, & judicium Synodi implorantes. Testes quoque aderant, qui accusatorum calumnias confirmabant. Tum Photius simulata in Papam pietate respondebat; Nicolaum absentem condemnari non debere. Episcopi assidentes Photii argumenta pro Nicolao Papa refutabant, & ille quasi victus ratione accusantes audiebat & causam cognoscere incipiebat. Tandem sexcentis obrutum criminibus Nicolaum damnat, sententiam

(*) Ipsius Metrophanis verba videntur clarius affirmare non solum Chrisma rejectum, sed etiam Confirmationem in eo collatam, fuisse repetitam; ita enim sonant apud Pagium ad hunc annum: *Cum intellexisset Legatos .... Confirmationem ejus reprobasse, omnesque ... iterum inunxisse &c.*

tentiam Depositionis pronunciat, excommunicat, ipsumque & omnes cum ipso communicantes anathematizat. Postquam hæc acta pro libitu conscripsisset, Episcopos viginti & unum jussit subscribere, additis tot aliis falsis Subscriptionibus, ut mille circiter nomina legerentur. (*) Præterea nomina duorum Imperatorum, trium Legatorum Orientis, Senatorum omnium, Hegumenorum, & Clericorum visebantur. Sæculum IX. A. C. 866.

In eo Concilio Photius Ludovicum Imperatorem & uxorem ipsius Ingelbergam Imperatricem in Italia regnantes agnosci voluit; idque juri Græcorum, quod habere putabant, manifeste adversabatur. Nam Græci Imperatori Francorum

(*) Hæc Fleurius ex Metrophane, & Pagius ad annum 867. de hac Pseudo-Synodo ex Auctore Lib. de Synod. Synod. CL. ista habet: *Photius Nicolai contra semet excandescentem animum agnoscens, Michaele in omnia mutabili sibi adscito, clamque composita Synodo, Locum tenentes aliorum Patriarcharum comminiscens, voces & Subscriptiones omnium Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Abbatum sibi subjectorum conscripsit, & Patriciorum, penitus nescientium quando & quomodo & propter quid coacta esset* (nempe Synodus). Quis vero non risu vel potius commiseratione excipiat Guilielmum

Sæculum IX. A. C. 866.

corum solummodo latina voce Regis nomen tribuebant, cum Imperatorem suum *Basileûs* appellarent. Sed Photius præsidium Imperatoris ejusque uxoris, quæ apud maritum plurima poterat, sibi necessarium ratus, Conciliabulo suo inseri laudes jussit, quibus Ludovicus *Basileus* Ingelberga autem Augusta & altera Pulcheria proclamabatur. Iisdem etiam hæc Acta misit cum litteris sordida assentatione fœtentibus, Ingelbergam rogans, ut maritum Imperatorem ad ejiciendum Roma Nicolaum, in Concilio Oecumenico damnatum, permoveret. Epistolis addiderat dona, quæ Zacharias Surdus, a Photio Metropolita Calcedonensis ordinatus, & Theodorus ab ipso ex Caria Laodiceam translatus, deferebant.

§. LVI.

---

mum Cave dicentem, in Conspect. Sæc. Phot. *Orta immedicabilis Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam Dissensio . . . . . ex solita Pontificum Romanorum dominandi libidine, qui Ecclesiam Orientalem Romanæ Sedis prærogativæ velificari voluerunt, quod præfracte & constanter negarunt Photius, Photiique Successores.* Vidimus supra Num. XV. Photium Romanæ Ecclesiæ Primatum non negasse. Sed quisquis demum a Romana Sede dissentiat, bonus malusve, Caveo amicus est. Nempe, in desperata Schismatis causa unde unde auxilium veniat, lucro esse putatur.

Sæculum IX.
A.C. 866.

§. LVI.

Epistola Photii contra Latinos.

EXinde in Papam furens Photius, ad Orientales convertitur, & data epistola Encyclica ad Patriarcham Alexandrinum ceterosque directa loquitur in hunc modum: *Extinctæ Hæreses videbantur, & Fides ex hac urbe Imperiali ad Nationes infideles perveniebat. Armeni relicta Jacobitarum Hæresi ad Ecclesiæ sinum redierant, Bulgari, Gens barbara & JEsu Christo inimica, rejectis impiis Sacris & Superstitionibus ad veram Fidem se converterant; sed vix biennium abierat, cum homines ex Occidentalis plagæ tenebris emergentes vineam Domini novellam nuper plantatam evellere, & fidem puram erroribus suis corrumpere aggressi sunt.* *Epist. 2. edit. Lond. ep. ap. Baro. an. 863.*

Et primo quidem Sabbati jejunium impie observari jubent; solet autem vel modicus Traditionum contemptus ad universi dogmatis contumeliam converti. Primam præterea Quadragesimæ hebdomadam a jejunio separant, lactis potum, casei comestionem & aliarum rerum hujusmodi ingluviem permittentes. Inde a via recta deflectentes, errores Manetis sequuntur, & Sacerdotes legitimis nuptiis ligatos detestantur, illi ipsi, apud quos multæ virgines sine marito matres fiunt, & mul-

Sæculum IX. A. C. 866.

tæ matres filios alunt, quorum patres videre non licet. Non verentur repetere Unctionem S. Chrismatis in illis, qui eam a Presbyteris acceperunt, dicentes, se Episcopos esse, & Unctionem Presbyterorum non prodesse. Illud vero impietatis & audaciæ summa est, quod addere nova verba præsumserint Sacro Symbolo, omnium Conciliorum auctoritate confirmato, dum dicunt (o mali Dæmonis artes) Spiritum Sanctum non a Patre solo, sed etiam a Filio procedere. (*) Huic doctrinæ Photius furiose indignans dicit, qui eam tenerent, frustra Christianorum nomine gloriari. Eam deinde refutare conatur argutando, sic duo principia in Trinitate admitti, & Proprietates Divinarum Personarum confundi. Hoc dogma Evangelio & omnibus Patribus contrarium esse affirmat. Tum subjungit:

n. 9.

n. 15.

n. 16.

Hanc

(*) Habeat sibi Photium Guilielmus Cave seditionis in Romanam Ecclesiam socium, in Articulo de Processione Spiritus Sancti manifestum Hæreticum. Ceterum, etsi cetera doctissimus Photius, in Doctrina tamen Theologica de Spiritu Sancto & Unctione Chrismatis rudissimus fuit. Nec mirum, cum nuper ex Laicis ad Sedem Patriarchalem fuisset evectus. Illud quoque paradoxum, quod Cave in supra memorato conspectu Nicolaum Papam dominandi libidinis arguat, dum honorificam, si Diis placet, mentionem

nem

Sæculum IX. A. C. 866.

Hanc impietatem Episcopi illi tenebrarum præter alios errores in gente Bulgarorum disseminarunt. Cujus rei fama cum ad aures meas pervenit, haud aliter commota sunt viscera mea, quam patri, si filios suos a feris seu serpentibus dilaniari cernat. Verum quieti caput non dabimus, donec deceptos ad sanam Doctrinam reduxerimus. Interim Antichristi ministros, hosque publicos animarum Seductores, in Concilio damnavimus, & Sententiam Apostolorum Conciliorumque, qua pridem damnati sunt, renovavimus. Namque Canon Apostolorum sexagesimus quartus deponi jubet Clericos, qui vel in Dominica vel in Sabbato jejunant. Laici autem excommunicandi sunt. Et Canon quinquagesimus quintus Sextæ Synodi eandem Sententiam contra Romanos repetit. Quartus Canon Concilii Gangrensis anathema in illos pronunciat, qui Presbyteros, si uxorem habuerint, rejiciunt; & Synodus Sexta Anathematismum contra Roma-

n. 24.

n. 27.

Sup. lib. XVIII. §. 35.

nem infert Photii, qui illi Epistolæ suæ ad Orientales præposuit Titulum: *Photius miseratione Divina Archiepiscopus Constantinopoleos, novæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha.** Videlicet, dicere se Episcopum Oecumenicum apud Guilielmum Cave in Photio culpa vacat, in Episcopo Romano non vacat. Quis non videat hominis in præjudiciis contra Romanam Ecclesiam enutriti cœcitatem?

* *Card. Bar. ad an. 863.*

Sæculum IX. A. C. 866.

Romanos confirmat. Quam hic Photius dicit Synodum Sextam, est Concilium in Trullo, ab Ecclesia Romana nunquam non rejectum. Item observandum, in Ecclesia Romana non plures Canones Apostolorum quam quinquaginta fuisse receptos. Tum Photius prosequitur. *Credidimus, Fratres nostri, officii nostri esse, ut horum omnium certiores vos faceremus, pro antiquo Ecclesiæ more. Rogamus, ut ad damnandos hos articulos impios operam vestram non denegetis, & ideo Legatos Sanctitatis vestræ Vicarios mittatis. Speramus hoc modo Bulgaros ad viam veritatis, quam primitus acceperant, iterum redituros. Nec soli Bulgari Christiana Sacra amplexi sunt; sed Russi quoque barbari antea & crudeles populi, qui postquam accolas oppressissent, Romanum Imperium armis lacessere non sunt veriti, suavi jugo JEsu Christi recepto Episcopo colla submiserunt. Præterea reddita nobis fuit ex Italia epistola Synodica, sexcenta continens mala & delicta, quæ adversus proprium Episcopum illi, qui Italiam incolunt, ad nos deferunt, & obtestantur cum magna ira Dei comminatione, ne miserе perditos ope nostra frustremur, & a tyrannide, qua spretis omnibus legibus Ecclesiasticis opprimuntur, liberemus. Quæ omnia jam ante ex Basilio, Zosimo, Metrophane*

Sup. l. XL. §. 54.

Epistola Photii ad Orientales.

Phot. n. 37.

Pres-

Presbyteris Monachisque præter qrosdam alios perceperamus; hos quippe vidimus inter largissimas lacrymas nos rogantes, ut afflictis Ecclesiis succurreremus. Novissime accepimus epistolas a diversis ad nos datas tristibus lamentis plenas, quas earumdem auctores ad omnes Sedes Metropoliticas & Apostolicas transmitti efflagitant. Mittimus etiam vobis earum exemplaria, ut hac super re omnes sententiam suam aperire valeant, postquam Synodus Oecumenica fuerit congregata. Præsules aliquot huc pervenerunt, & reliquos brevi adventuros expectamus. Sæculum IX. A. C. 866.

Id quoque monendos vos esse credidimus; ut in omnibus vestris Ecclesiis Septimum Concilium Oecumenicum recipiatis. Quippe ad aures nostras delatum est, illud Concilium in quibusdam Ecclesiis necdum recipi, quamvis quæ in eo præcepta fuere, fideliter observent. Maximæ certe Auctoritatis est Concilium, in quo Legati quatuor Majorum Ecclesiarum, Alexandrinæ, Jerosolymitanæ, Antiochenæ, autiquæ Romæ, & proavus noster Sanctissimus vir Tarasius Archiepiscopus Constantinopolitanus adfuerunt. In eodem Concilio Iconoclastarum impietas damnata. Sed forsan Acta ad vos sub potestate Arabum gementes deferri non potuerunt. Hoc igitur Concilium in eodem pretio ac alia sex priora a vobis ba- n. 40.

benda

Sæculum IX. A. C. 866.

benda sunt, ne in Ecclesia perniciosum Schisma introducatis, & favere Iconoclastis videamini, quos non minus, scio etenim, quam ceteros Hæreticos abominamini. Hæc est epistola illa Photii Encyclica; nec antea unquam, quod sciam, Græci Latinos erroris aperte accusarunt. Istud vero notatu necessarium; cur Photius non prius errorem fidei in Ecclesia Latina vidit, quam ipse ab ea fuisset damnatus? quamvis additio illa ad Symbolum jam pridem esset notissima, ceterique articuli, quos carpit, non essent novi? exploratissimum quippe est, tunc cum Photius ad Papam misit epistolam suam Synodicam, & suam Confessionem Fidei, petens, ut Ordinatio sua approbaretur, Ecclesiam Romanam non aliam fidem, nec alios usus, quam post annos septem vel octo tenuisse. An non ipse Photius in epistola sua ad Papam, quam Leo Notarius detulit, dicebat, cuilibet Ecclesiæ servandas esse suas consuetudines, & inter exempla hujus rei jejunium in Sabbatis & Sacerdotum Cælibatum afferebat?

Sup. §. 8.

Sup. §. 15.

Michael & Basilius Imperatores, seu magis sub eorum nomine Photius similem epistolam miserunt ad Regem Bulgarorum illo tempore, quo Legati Formosus & Dominicus, quibus præceptum erat profectionem Constantinopolim

Nic. ep. 70. *p.* 470.

lim tentare, ibi commorabantur. In ea petebant, ut Legati Pontificii tradita fidei suæ Confessione supra memoratos, ut Græci putabant, errores anathematizarent, & Photium Patriarcham Oecumenicum agnoscerent. Addebant, non aliis conditionibus Constantinopoli esse recipiendos. Hæc nova Rex Bulgarorum per Legatos ad Papam misit.

Sæculum IX. A. C. 866.

§. LVII.

Epistola Papæ in causa Wulfadi.

Inter hæc Egilo Archiepiscopus Senonensis & Actardus Episcopus Nannetensis Romam pervenerant; cumque Nicolao Papæ epistola Synodalis Concilii Suessionensis, aliæque ad causam Wulfadi pertinentes fuissent redditæ, datis quatuor epistolis sexta Dec. Indictione decima quinta, nempe anno octingentesimo sexagesimo sexto respondit. In prima, quæ ad Episcopos Concilii Suessionensis dirigitur, dicit, perlectis Actis Concilii, in quo Wulfadus ceterique depositi fuissent (id est Concilii Suessionensis anno octingentesimo quinquagesimo tertio celebrati) occurrisse sibi complura falsa & perperam facta; cujus rei culpam in Hincmarum rejiciebat. Deinde queritur, non omnia exacte sibi fuisse missa, quæ ad causam Ebbonis ceterorum-

Sup. §. 47. *to.* 8. *Conc. p.* 843.

Sup. lib. XLIX. §. 8.

Sæculum IX. A. C. 866.

rorumque Clericorum, de quibus jam ageretur, ſpectarent, & addit: *Integram reſtitutionem eorum eo usque differemus, donec illa documenta acceperimus. Interim vos per proviſionem eos reſtituite, ut facilius cauſam ſuam defendere valeant. Nam Hincmaro unius anni ſpatium praſtituimus, quo eos canonice depoſitos probet; niſi probaverit, jam eos legitime reſtitutos declaramus. Ceterum cum Clericorum iſtorum appellationem recepimus, non idcirco facultatem dedimus, eos ad altiorem Ordinem promovendi. Vos vero, licet dicatis, quod cauſæ totius Definitionem nobis relinquatis, unum eorum ad Epiſcopatus apicem elevaſtis, quod tamen, donec quid in Concilio veſtro ſtatuiſſetis pateret, Regi Carolo petenti denegaveram.*

p. 847.
p. 849.

Secunda epiſtola ad Hincmarum data eſt, & non modo easdem querelas, ſed etiam iisdem verbis continet. Tum Pontifex reſpondet ad epiſtolam Hincmari ſibi ab Egilone redditam, & exprobrat: *Aſſeris, cupere te hos Clericos reſtitui; ſed edic, quid aliud per litteras tuas & Legatos apud Anteceſſores meos efficere conatus es, niſi ut eorum Depoſitio confirmaretur, & ſpes omnis Reſtitutionis adimeretur? Si vero Reſtitutionem eorum cupiebas, quid ad eam impetrandam feciſti? profecto nihil. An non pudet, cum*

Sacra

Sacræ Sedi scribis, fallacia verba astute componere? sed non desunt mihi suspicandi indicia, hanc epistolam te auctorem non habere, cum ad eam deferendam nullum Legatum miseris, eique consuetus annulus tuus non sit impressus. Tertia Pontificis epistola ad Regem Carolum data est, & quarta ad Wulfadum ejusque Socios, qua hortatur, ne injuriæ sibi illatæ meminerint. Sæculum IX. A. C. 866. p. 859.

Eodem mense Dec. anno octingentesimo sexagesimo sexto Papa, forte ut querelis Episcoporum Francorum finem poneret, data ad Aquitaniæ Proceres epistola ad restituenda Bona Ecclesiastica, ab ipsis detenta, addita comminatione excommunicationis, hortatur. to. 8. Conc. p. 501.

§. LVIII.

Epistola ad Regem Salomonem.

Epistolam ad Salomonem, seu Regem, seu Ducem minoris Britanniæ, datam ad eadem tempora referre oportet. Hic Princeps Romam miserat Legatos cum epistola, ad quam Papa respondet in hunc modum: *Postquam in Tabulario nostro litteras exquisivimus ad causam Depositionis Episcoporum vestrorum, & aliorum his Subrogatorum pertinentes, longe alia, quam quæ tu putas, invenimus. Nullus enim Episcopus damnari potest nisi* to. 8. Conc. p. 509. ep. 22. Sup. lib. XLVIII. §. 44.

Sæculum IX. A C. 866.

ab Episcopis saltem duodecim cum suo Metropolitano conjunctis. Quod vero spectat ad Giselardum & Actardum, quamvis hic erret, a Giselardo ordinatos iterum ordinans, in Episcopatu tamen prior fuit, confirmatus & laudatus a Leone Papa in epistolis ad Nomenoyum datis; Giselardus autem Usurpator vocabatur. Nempe a Leone IV. Giselardus vero ille est, quem Nomenoyus pulso Actardo in Sedem Nannetensem intruserat.

Grat. 7. q. 1. c. 10.

Tum Nicolaus Papa prosequitur: *Haec ergo jam tibi facienda sunt. Omnes Episcopos Regni tui ad Archiepiscopum Turonensem, Metropolitam suum, mitte. Illo praesente, & Episcopis sufficienti numero, causa illorum, qui pulsi sunt, discutiatur. Si eorum Depositio canonica fuit, valeat, & in eorum locum subrogati permaneant. Si vero Episcopi pulsi appareant innocentes, Ecclesiis suis restituendi sunt. Si eos ad Archiepiscopum Turonensem mittere nolueris, mitte huc Romam Episcopos expulsos duos, & totidem Subrogatos cum Oratore tuae Dignitatis Vicario, ut judicare possimus, quinam Legitimi Episcopi sint. Cum vero etiam lis ferveat; quis Episcopus Britanniae Metropolita sit; quamvis nulla hominum memoria teneatur, in vestra patria Ecclesiam Metropolitanam unquam extitisse, disceptatio com-*

poni

poni poterit, si pax tibi cum Rege Carolo fuerit. Si pacta locum habere nequeant, mitte ad nos, ut hunc articulum definiamus. Æquum enim non est, ut Ecclesiæ, quæ pacem prædicat, Regum discordia noceat. Sæculum IX. A. C. 867.

Salaco Episcopus S. Maclovii, ex numero illorum, quos Nomenoyus ejecerat, cum ad Jonam Episcopum Augustodunensem se recepisset, eundem in Ministerio Episcopali adjuvit, anno octingentesimo sexagesimo quarto Translationi S. Reginæ, quam Egil Abbas Flaviniacensis celebravit, interfuit, atque anno octingentesimo sexagesimo sexto e vita migravit. S. Convoyo Abbas Redonensis*, cujus mentio in historia istorum Episcoporum facta, post annos exinde duos, nempe quinta Januarii anno octingentesimo sexagesimo octavo defunctus est, & in Monasterio Plebelanensi, a Duce Salomone fundato, sepultus.

*Rotonensis. *Sup. lib. XLVIII. §. 43. ibid. p. 192.*

§. LIX.

Literæ in Causa Reginæ Theutbergæ.

Nicolaus Papa haud multo post tempore epistolis ab Egilone Senonensi, & Adone Viennensi in causa Reginæ Theutbergæ sibi redditis respondit. Regina Pontifici perscripserat, se libere & proprio arbitrio cupere Dignitatem Regiam & Lotharium relinquere, atque postre-

Sup. §. 48.

Sæculum IX. A. C. 867.

mo, quod supereſſet, vitæ tempore continentiam ſervare; cum cognoſceret, nullum eſſe ſuum matrimonium, ſe fœcunditatem a natura non accepiſſe, & Waldradam tempore priorem hujus Principis legitimam fuiſſe uxorem. Addebat, animo ſe conſtituiſſe, Romam proficiſci, ubi arcana quædam, quibus affligeretur, Pontifici aperiret. Papa ſatis gnarus, ſolam cauſam hæc ſcribendi Theutbergæ fuiſſe, quod Lotharii indignationem effugere, & vitam ſuam in tuto collocare quæreret, (id enim ſpectatiſſimi omnium ordinum in Gallia Germaniaque viri Pontifici affirmabant) data ad eam epiſtola dicit:

Quod de Waldrada aſſeris, ei prodeſſe
ep. 48. to. 8. Conc. p. 425. *non poteſt. Etiamſi enim mortua eſſet, illa tamen Lothario legitimis nuptiis conjungi nequit. Illud vero quod dicis, te velle Romam venire, nullo modo expedit, tum quod ſecuritas itineris nulla ſit, tum quod a latere Lotharii abire te non permittimus, quamdiu Waldrada haud procul ab ipſo eſt, quæ te abſente confeſtim admitteretur. Quod ſterilis hactenus diagnoſcaris, non hoc corporis infœcunditati, ſed viri facit iniquitas. Nec matrimonium tuum diſſolvi poteſt. Hortamur te & vehementer admonemus, ne te ipſam perditam velis. Melius eſt, ut vera loquentem alius te occidat, quam tu te ipſam*

menda-

mendacium dicens interimas. Martyrii genus est pro veritate mortem sustinere. Sæculum IX. A. C. 867. *Confessionem tuam, quam non voluntas edidit, sed vis extorsit, absit, ut recipiamus. Absit, ut permittamus tantum vitium radices extendere! sic enim omnes viri, si uxoris fastidium subiret, eam illatis intolerabilibus pœnis cogent fateri, legitimum initio non fuisse matrimonium, vel mortale crimen de se ipsis propalare compellent. Nec tamen putamus Lotharium virum tuum in tantam perniciem ruiturum, ut vitæ tuæ insidietur. Cum non minus se ipsum & regnum suum quam te in periculum adduceret, quia & innoxia es, & præsidio Ecclesiæ atque Sacræ Sedis tuta. Si Romam venire vis, ipse vadem det, securam te fore, & prius Waldradam huc mittat. Dicis etiam, te amore continentiæ divortium petere. Scito, id tibi aliter concedi non posse, quam si & conjux tuus sincera mente continentiam amplectatur.* Hæc epistola nono Cal. Febr. Indictione decima quinta, id est, anno octingentesimo sexagesimo septimo, vigesima quarta Januarii data.

Simul etiam Pontifex, ad Lotharium data epistola, eadem repetit, conquerens magno dolore, quod se fallacibus promissis decepisset. Tandem excommunicationis fulmen comminatur, nisi *ep.* 51. *ep.* 50. Causa Theutbergæ.

Sæculum IX. A. C. 867.

omne commercium cum Waldrada excommunicata fugeret. Hanc epistolam direxit ad Regem Carolum addita ad ipsum quoque alia, in qua laudat hujus Principis pietatem, quod Theutbergæ præsidium concessisset; sed addit: *Num autem Lotharius, donato tibi quodam Regni sui Monasterio, in Theutbergæ Reginæ perniciem fœdera tecum iniisse dicitur.* Hic sermo de Attrebatensi Monasterio S. Vedasti, in pactis mensis Julii, anno octingentesimo sexagesimo sexto, donato. Subjungit Papa; Theutbergam ad Ecclesiæ tutelam recurrentem non posse amplius cuicunque judicio Sæculari subjici, cumque pars utraque in S. Sedis arbitrium consensisset, causam nullibi nisi Romæ finiri oportere. Rogat Carolum regem, ut epistolam ad Regem Lotharium datam, aliamque ad Episcopos illius Regni, fideliter reddi curet.

Ann. Bert.

In epistola ad Episcopos dicit, se neutiquam licentiam in Franciam redeundi dedisse Waldradæ, ut fama, incertum quo auctore, vulgasset, & jam tertio eam excommunicatam denunciat. Queritur, se toties hos Episcopos frustra fuisse hortatum, eosque atque ad revocandum a præcipitio Regem suum opem denegare. Omnibus viribus conatur eorum zelum excitare, & per Sanctam Trinitatem obtestatur, ut missis ad se legatis cum epistolis

ep. 49.

Sæculum IX. A. C. 867.

stolis certiorem faciant, an Lotharius modis, quibus deberet, & sicut Legato Arsenio promisisset, Theutbergam haberet. *Quicunque ex vobis his mandatis*, inquit, *non obtemperaverit, adulterii fautor esse convincetur, & a Communione nostra excludetur. Si cui desint, quos mittat, saltem scribat, excepto Episcopo Virdunensi; huic enim districte præcipimus, ut ex Clericis suis quemquam huc mittat.* Hæc epistola sicut prior vigesima quarta Januarii data est.

Sedem Virdunensem illa tempestate tunc tenebat Hatto, ad quem Adventius Metensis sub idem tempus scripsit in hunc modum: *Ex duabus partibus* (nempe ex regnis tam Caroli quam Ludovici) *ad nos relatum, Nicolaum Papam declarasse de Lothario Rege, Domino Nostro, fixum sibi ratumque esse, nisi in Vigilia Purificationis Waldradam dimiserit, ab ingressu ad Ecclesiam esse prohibendum. Quæ res nos admodum angit; unde rogamus te, ut sine omni mora eum adeas, & periculum imminens exponas. Nobis saluberrimum videtur consilium, ut biduo ante Festum Rex festinato* FLORIKING, *vel in alium locum, ubicunque voluerit, cum tribus saltem delectis Episcopis se conferat, ipsis præsentibus peccata sua secreto confiteatur, dolorem ostendat, & emendationem promittat. Tum absolvatur.* Epistola Adventii. *ap. Baron. an.* 867.

Sæculum IX. A. C. 867.

His gestis promittat, curaturum se, ut causa sui matrimonii ex consilio virorum sibi fidorum examini subjiciatur; sic Festum celebraturus Ecclesiam S. Arnulphi intrare poterit, sine animæ damno Regnive amittendi periculo. Secus seipsum noque in ultimam perniciem conjiciet. Subjungit in fine Adventius, se illi hos apices sub sigillo confessionis mittere. Ex hac epistola discernimus, Lotharii amicos vehementer timuisse, ne ipsius patrui, si Papa ipsum excommunicatum pronunciasset, hoc prætextu ejus Regnum invaderent. (*) Hinc Lotharius non cessabat ad Papam dare epistolas obedientiæ notis plenas, magnum professus desiderium Romam proficiscendi & Pontificis conspectum subeundi, offerens etiam, juncturum se vires suas cum exercitu Ludovici Imperatoris ad repellendos ex Italia Saracenos. Paulo post, videlicet septima Martii, Papa data ad Ludovicum Regem Germaniæ epistola hortabatur, ut & ipse ad convertendum Lotharium operam jungeret, & spem adimeret, Waldradam retineri posse, quæcunque demum promissa ex Theutberga extorquerentur. Item hortatur, ut ad obediendum compelleret Ingeltrudem, quam exinde in ipsius Regno commora-

Ap. Baro. ibid.

ep. 53.

(* Pessima fuisset illatio, si credidissent, ideo sibi licere Regnum alienum invadere.

moratam fuisse credendum est, eamque cogeret ad reditum in domum mariti sui, qui alteram ducere pertinaciter volebat. Sæculum IX. A. C. 867.

Egilo Archiepiscopus Senonensis in Franciam redux cunctas has Papæ epistolas Regi Carolo vigesima Maji, anno octingentesimo sexagesimo septimo, Samuciaci Arce Regia prope Laudunum diversanti reddidit, quo Hincmarus Archiepiscopus, ex Regis Caroli imperio, adduxerat Clericos Remenses, socios Wulfadi, qui & ipse cum duobus aliis Episcopis, Rotado Suessionensi, & Hincmaro Laudunensi, advenerat. His præsentibus lectæ sunt Pontificis epistolæ, quibus illi Clerici restitui jubebantur, atque Episcopis voluntati Pontificis se submittentibus Rex Synodum Trecis vigesima quarta Octob. celebrandam indixit. Interim mense Julio Archiepiscopus Hincmarus ex hoc itinere reversus, & ad aliud longius omnia præparans; nam Regem ad castra proficiscentem in expeditione adversus Britones suscipienda comitaturus erat, prolixam epistolam Pontifici scriptam transmisit per quosdam ex Clericis suis, qui sub peregrinorum habitu iter fecerunt, quod machinationes Principum, nempe Lotharii Regis & Ludovici Imperatoris, quibus se sciebat esse invisum, timeret. *An. Bert.* 867. *Flod. III. c.* 17.

In hac epistola, quæ humilitatem quidem, sed & constantiam prodit, Hincma- *Op.* 26. *to.* 2.

Sæculum IX. A. C. 867.

rus Summo Pontifici significat, se, ut mandatis ipsius morem gereret, Clericos ab Ebbone ordinatos Ministerio Clericali restituisse, non expectato unius anni sibi præfixi spatio. Ab omnibus, quæ Pontifex objecerat, prolixe se purgat, & in fine addit: *Cum Clericos istos ad altiores ordines promoveri prohibueris, rogo, ut mihi indices, an denegare debeam ordinationem, si a Confratribus nostris Episcopi forte eligantur? quia nec eos offendere, nec tuis mandatis refragari volo.* Verisimile est, Hincmarum festinasse hanc epistolam ad Summum Pontificem mittere, quo eum sibi propensum haberet, antequam Concilium Trecense celebraretur, quod pertimesceret, ne in illo Conventu iterum Depositio Ebbonis, &, quod inde dependebat, an sua valida fuisset Ordinatio, examini subjiceretur.

Clerici, qui hanc epistolam deferebant, Mense Augusto Romam pervenientes Papam habuerunt, jam tunc morbo admodum debilitatum, & arduis impeditum negotiis, quæ sibi cum Imperatoribus Michaele & Basilio atque Episcopis Orientis supervenerant, tum ad schisma Photii, tum ad errores ab ipsis Ecclesiæ Latinæ objectos pertinentibus. Unde usque ad mensem Octobrem Romæ morari coacti sunt.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LI.

NICOLAUS I. PAPA.
LUDOVICUS II. IMPERATOR OCC.
MICHAEL III. IMP. ORIENT.

§. I.

Michaelis fata. Basilius Imperator.

Michael Imperator post breviſſimum temporis ſpatium Baſilii, quem ad Imperii conſortium adſciverat, prudentiam faſtidire cœpit. Is enim turpem licentiam & impios jocos abominans Michaelem ab infamia abducere conabatur; ſed ille, importunum præceptorem

Sæculum IX. A. C. 867.

Poſt. Theo. IV. n. 43. 44. Conſtant. in Baſil. n. 25. 26. &c.

Sæculum IX. A. C. 867.

ptorem exosus, aliquando quemdam Basilicinum, purpura, diademate & vestitu Cæsareo ornatum, manu in Senatum ducit egregiam viri speciem commendans & dicens: *Jam pridem oportebat, amici, virum hunc ad Imperium perduxisse potius, quam Basilium, cujus me nunc pœnitet.* Ipso ita loquente, omnes primum mirari, mox indignari, quod Michael alium sibi, quoties ipse insaniret, Dominum cogitaret obtrudere. Ceterum, cum vino intemperate sæpissime uteretur, quo tempore ebrius erat, præcipiebat, huic aures, alii nares, alii caput amputari; id tamen familiares non exequebantur, sperantes, quod etiam futurum erat, ipsum mandatorum pœnitentiam subituram. Tandem Basilium, venationi intentum jaculo perfodi jussit, sed, cum facinori abfuisset fortuna, Basilius ab amicis monitus Michaelem vino se se ingurgitantem in Palatio S. Mamantis vigesima quarta Sept. Indictione prima anno 867. a conjuratis excubitoribus interfici imperat, postquam annis viginti sex ab obitu parentis sui, nempe cum matre quatuordecim, solus undecim, & cum Basilio mensibus quindecim regnasset.

Sup. lib. XLVIII. §. 4.

Basilius sublato Michaele solus rerum potitus, gente Macedo erat, humili loco natus, quamvis postea adulatores ipsius genus ab Arsacidis, Parthorum Regibus

Zonar. lib. XVI. §. 6.

gibus, deduxerint. Illud satis explora- Sæculum IX.
tum est, eum Constantinopolim venisse A. C. 867.
pedibus, solum, omnia sua secum portantem, ut exploraret, an forsan in illa sibi civitate magis quam alibi fortuna faveret. Primo in familiam Theophylicii, qui Bardam Cæsarem sanguine contingebat, adlectus, equis præficitur. Vires corporis deinde & in equis domitandis solertia ita Michaeli Imperatori advenam commendarunt, ut eum sibi depoſceret, & Protostratorem seu Stabulorum præfectum constitueret. Tum etiam a cubiculis Michaeli fuit; exinde Patricius & Magister officiorum creatus, tandem Imperii consors deligitur. Idem Basilius ob capitis magnitudinem cognomento *Cephalas*, vulgo Macedo dicitur.

Const. Basil. n. 9.

§. II.

Ignatius Constantinopoli restituitur.

Basilius, postero die quam renunciatus esset Imperator, Photium e throno patriarchali deturbatum in Cænobium *Scepen* appellatum ejicit. Die sequente misso Elia Drungario, id est, Classis Præfecto, cum triremi prætoria jubet Ignatium Patriarcham ex Insula, exilii suo loco, evocari, & Constantinopolim deduci, ubi, donec restitueretur in Sedem suam, eidem Palatium Magnauræ, domum ipsius patriam, dedit. Tum Impera-

Nicet. in Ignat. p. 1226.

Sæculum IX. A. C. 867.

perator ad Photium mittit, qui suo nomine præciperent, ut sine mora omnes subscriptiones ab Episcopis exactas &, cum e Palatio discederet, ablatas redderet. Photius adjecto juramento edixit, sibi, cum illi, qui ad se e palatio ejiciendum venissent, abitum inhumane urgerent, haud licuisse ejusmodi paginas asportare. Ipso autem Præfecto Baani hæc respondente, famuli deprehensi & trepidantes septem sarcinas sigillis plumbeis munitas in virgulta paluſtria projiciunt, quod ubi Baanis comites conspexerunt, collectas ad Imperatorem detulerunt. Iis apertis inventi sunt duo libri foris auro argentoque cælati, compactura violacei coloris. Intus scriptura visebatur mira arte & elegantissimis litteris. Unus vero codex contra Ignatium Acta Concilii conficta continebat, & alter epistolam Synodicam contra Nicolaum Papam.

Concilium hoc commentitium in septem Sessiones dividebatur, & in cujuslibet principio visebantur imagines opere miniato, artifice Gregorio Asbesta Episcopo Syracusano, qui pingendi peritus erat. In prima imagine conspiciebatur Ignatius, raptatus, & virgis cæsus, habens supra caput inscriptionem: *Ho Diabolos*, id est Detractor. In secunda imagine iterum raptabatur violenter, & sputis expuentium fœdabatur, cum epigraphe:

graphe: *Initium peccati.* In tertia, deponebatur, & legebatur inscriptio: *Filius perditionis.* In quarta, mittebatur in exilium, cum inscriptione: *Avaritia Simonis Magi.* Imago quinta exhibebat Ignatium circa collum vinculis ferreis onustum cum epigraphe: *Qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* In sexta, damnabatur, & legebantur verba: *Abominatio Desolationis.* In septima rursus raptabatur, & capite plectebatur, cum epigraphe: *Antichristus.* In his Actis continebatur Accusatio Ignatii, quæ referebat articulos quinquaginta, omnes manifeste commentitios, & post quemlibet articulum relictus erat locus vacuus, ut unusquisque, quod liberet, inferere posset.

Sæculum IX. A. C. 867.

Eccl. 10, 5. 2. *Thess.* 2, 3.

Epistola Synodalis in altero volumine contenta conviciis & calumniis in Nicolaum Papam respergebatur, quam nempe Photius commentus fuerat, tanquam Depositionis, & anathematis in Pontificem pronunciati fundamentum. Duo autem istorum librorum exemplaria conscribi jusserat, quorum unum apud se retinuerat, alterum Imperatori Ludovico in Italiam per manus Zachariæ & Theodori transmiserat; sed illi in itinere comprehensi sunt, jubente Basilio Imperatore, qui quatuor volumina ad se deferri præcipiens, ea Senatui primo & deinde

Sup. lib. L. §. 43. Photii fraudes.

Sæculum IX. A. C. 867.

inde toti Ecclesiæ ostendit, atque ita Photii dolosas machinationes in lucem protraxit, cunctis viri impudentiam vehementer admirantibus. Volumina vero in Palatio asservari mandavit.

Die Dominica, vigesima tertia Novembris eodem anno octingentesimo sexagesimo septimo Basilius Imperator, convocato in Magnauræ Palatio conventu, Ignatium Patriarcham præsentem magnis laudibus extollit. Nempe is eadem die ante annos novem ejectus fuerat; itaque illa die rursus ad suam Ecclesiam inter omnium ordinum plausus regreditur. Cum Missa celebraretur, Sacerdote illa præfationis verba pronunciante, *Gratias agamus Domino*, populus respondit: *Dignum & justum est*, quod omnes in optimum omen traxerunt; nam istud benevolentiæ signum Græcos curiose observasse in eorum Fastis sæpissime legitur. Ignatius suæ Sedi restitutus non Photium modo, & ab ipso ordinatos, verum etiam omnes, qui cum eo communicaverant, a Sacris suspendit, rogavitque Imperatorem, ut indiceret Concilium Oecumenicum, quod tot scandala tolleret. Ergo protinus Romam (*) mittitur Euthymius Spatharius Impe-

Metroph. p. 1389. *p.* 1230. *Sup. lib. L. §.* 2.

Ep. Hadr. to. 8. *Conc. p.* 1086.

(*) Ex his contra Protestantes probatur, Com-

Imperatoris Basilii cum epistola; quæ vero ad nostram usque ætatem non pervenit. Sæculum IX. A.C. 867.

Basilius Imperator in Orientem quoque misit, qui accerserent Legatos, nomine trium Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Jerosolymitani Concilio interfuturos; quamobrem ad eum, qui in Syria copiis * præerat, per Isaiam & Spiridionem, in Cypro natos, litteras & munera direxit. Theodosius Patriarcha Jerosolymitanus Eliam misit Syncellum suum. At Sede Antiochena vacante Thomas Archiepiscopus Tyriensis, qui primum post Patriarcham locum tenebat, ad Concilium venit. Duo autem hi Legati Thomas, & Elias Constantinopoli ultra anni spatium commorati sunt, adventum Legatorum Pontificiorum expectantes. Ultimus misit etiam Patriarcha Alexandrinus, cujus Legatus Concilio prope ad finem deducto advenit.

* nempe Saracenorum. *vit. Ign. p.* 1230. *Conc.* 8. *act.* 4. *p.* 1035.

§. III.

Ecclesiæ Orientales.

Patriarcha hic Melchita Alexandrinus tunc erat Michael, Successor Sophronii

Eutych to.2. p. 455.

Communionem inter Ecclesias Constantinopolitanam & Romanam adhuc viguisse, & Græcos credidisse, sine Auctoritate Romani Pontificis Concilium Oecumenicum celebrari non posse.

Sæculum IX. A. C. 867.

nii, anno Hegiræ 333. JEsu Christi 847. defuncti. Michael annis viginti quatuor usque ad annum 872. Sedem tenuit. Josepho Patriarchæ Jacobitæ Alexandrino anno Hegiræ 242. Salutis 856. defuncto succesſerat *Chail* seu Michael, qui Sedem non plus septendecim mensibus tenuit, & omnium primus in Monasterio S. Macarii anno 244. seu 858. sepultus est. Ei succesſit Cosmus ejusdem Monasterii Presbyter, quo sedente Civitatum Alexandriæ *Damietæ* & multarum aliarum muri reparati. Is Sedem tenuit annis septem, missaque epistola sua Synodica ad Joannem Patriarcham Jacobitam Antiochenum, ab eo responsum accepit. Ipso sedente Califa *Mutevaquel* vetuit, ne Christiani & Judæi vestibus albis uterentur. Cosmus e vivis abiit anno 252. seu 866. & succesſit Osanius, alio nomine *Samut*, ex eodem Monasterio S. Macarii evocatus, qui Sedem tenuit annis undecim. Osanius convertit quosdam Hæreticos, passionem Domini Nostri negantes, recepit, baptizavit, in ipsorum Ecclesiis prædicavit, misitque nuncios, qui hac de re Patriarcham Antiochenum certiorem facerent; quod is maximo gaudio percepit. *Samut* aquam dulcem per canales subterraneos in Civitatem Alexandrinam deduci curavit. Antiochiæ mortuo Jobo Patriarcha Melchita,

Sup. lib. XLVIII. §. 3.
Elmac. l. II. c. 9.
Chr. Orie. p. 110.

Sæculum IX. A. C. 867.

chita, ordinatus est Nicolaus anno 844. qui postquam sedisset annis viginti tribus anno 867. naturæ debitum solvit. Ipso elato Sedes annis tribus vacavit, nec ante annum primum Califæ *Motamid*, nempe annum reparatæ Salutis 870. alius electus fuit. Jerosolymæ post Joannem Patriarcham Sergius Sedem tenuit annis sexdecim, tum Salomon annis quinque, deinde Theodosius anno primo Califæ *Motaz*, nempe anno Christi 866. ordinatus est, atque annis quatuordecim sedit.

Elmac. p. 161. *Eutych. p.* 444. *ibid. p.* 470. *p.* 444. *p.* 445.

Res autem Musulmannorum ita se habebant. Aaron cognomento *Aluatec* seu *Vatecbilla Mutazem* parenti suo anno Hegiræ 227. seu 842. JEsu Christi successit, regnavit annis quinque, & præcoci fato ereptus est, quod mulierum usui temperare noluisset, anno 231. seu 846. Defuncto successit *Jaffar* frater, cognomento *Mutevaquel*, quem, postquam regnasset annis prope quindecim, ebrietate gravem filius suus Mahomet jussit interfici, successitque parenti occiso, anno 247. seu 861. Sed Mahometi cognomento *Monstanser* non diu parricidii præmio frui licuit, quippe obiit anno sequente 248. seu 862. Successorem habuit Achmet, cognomento *Mustain*, Califæ *Mutazem* nepos. Is regnavit annis duobus & vita exutus est anno 251. seu 865.

Sup. lib. XLVIII. §. 2. Elmac. l. II. c. 10. c. 11. *c. 12.* *c. 13.*

Sæculum IX. A. C. 867. cui in regno ſucceſſit Mahomet Califæ *Mutevaquel* filius, cognomento *Mutaz*, ſeu potius *Almutaz billa;* tunc enim, cum Califæ eligerentur, magnifici eis tituli dabantur, addito in fine Dei nomine, ſub quibus poſteritati maxime noti ſunt. Mutazius, ineunte anno 252. Salutis 866. receptus, imperavit annis tribus. Is crudelitate in fratrem, qui ſibi
c. 14. fuerat ſubſtitutus, poteſtatis primum experimentum capiens carceri eum includi juſſit, & deinde ſtrangulari. Tales erant hi Principes, Religionis Muſulmannorum Capita, leves, crudeles, fœdis immerſi voluptatibus, præfectorum ſuorum arbitrio obnoxii. Regnante Mutazio tota penes Turcas erat auctoritas,
Elmac. p. 160. 173. *Abulfar. p.* 175. quorum favore munitus Achmet (hujus parens *Tolun*, turcicum mancipium Califæ Almamon ſervierat) Præfecturam Ægypti accepit. Achmet Bagdati anno 220. ſeu Chriſti octingenteſimo trigeſimo quinto natus, magno animo vir, abjecta Turcarum ruſticitate, munificentia claruit, atque Ægyptum Syriamque per annos quindecim ſumma poteſtate gubernavit. Ille etiam haud dubie fuerit, a quo Baſilius Imperator Legatis licentiam ex Oriente Conſtantinopolim proficiſcendi petiit.

§. IV.

Sæculum IX.
A. C. 867.

§. IV.

S. Nicolaus Studita.

Cum Ignatio Patriarcha omnes illi quoque, quos Photius exilio damnaverat, vel in carceres tanquam ipsius fautores miserat, & inter alios Nicolaus Studita, fidelis ille S. Theodori Discipulus, cujus supra mentionem fecimus, revocati. Is anno circiter 793. in Insula Creta Cidoniæ, quæ hodie Canea dicitur, natus, decennis Constantinopolim mittitur, ut in Monasterio Studiensi sub cura Theophanis patrui sui ibidem Monachi educaretur. Hunc igitur Theodorus Abbas aliis pueris in domo Monasterio vicina sed separata, ubi alebantur, junxit, cumque adolescentulum magnis passibus in via virtutum procedere cerneret, habitu Monastico mature induit. Vidimus supra sub persecutione Leonis Armeni Iconoclastæ Nicolaum ipsius fidum socium in exilio, in carceribus, in ærumnis extitisse. Theodorum deinde a Michaele Balbo ex exilio revocatum Nicolaus Sanctum Magistrum suum in diversa loca, quo se recepit, secutus, atque illo tempore jubente Abbate & tota Congregatione rogante Presbyter invitus ordinatus est. Exinde tamen nihilominus laboris manuum fuit amantissimus, præsertim in describendis libris, nam ex-

Sup. lib. XLVI. §. 19. 39.

vit. c. 2. auct. Combef. p. 894. ap. Boll. 4. Febr. to. 3. p. 538.

Sup. lib. XLIX. §. 19. 39. n. 43.

Sæculum IX. A. C. 867.

pedite & eleganter litteras efformabat.

Cydonia a Saracenis capta, cum regnante Michaele Balbo Insulam Cretam suæ potestati subjecerunt, Titus Nicolai frater Constantinopolim profectus triste nuncium fratri pertulit; sed vehementer admirans, quam parum Nicolaus patriæ ruina & parentum captivitate tangeretur, ipse quoque relictis mundi curis in eodem Monasterio permanere statuit.

Sup. lib. XLVII. §. 16.

Postquam S. Theodorus in Domino obdormivisset, Nicolaum apud sepulchrum Magistri in Insula Principis commorantem, renovata ab Imperatore Theophilo persecutio ad mutandam sedem sæpius compulit, atque etiam hoc persecutore defuncto adhucdum per aliquot annos in solitudine vitam degit. Verum Naucratio, qui S. Theodoro in regimine Monasterii Studiensis successerat fatis functo anno 848. a tota Congregatione Abbas electus, onus recusare non potuit; quo post trium annorum lapsum deposito, & Sophronio, consentiente Ignatio Patriarcha, sibi ipsi suffecto, ad solitudinem rediit. Attamen post annos quatuor, cum Sophronius ex hac vita migrasset, Nicolaus Abbatiale officium in Monasterio Studiensi secundo suscipere anno octingentesimo quinquagesimo quinto cogitur. Pho-

Photio Sedem Constantinopolitanam invadente, Nicolaus ipsius Communionem fugiturus, cum fratre suo Tito in quoddam hospitium Monasterii sui Prenete prope Nicomediam positum se recepit; cujus discessus rumore totam Civitatem Constantinopolitanam, nam Abbatis Studiensis Dignitas & viri merita magnam ei auctoritatem conciliabant, pervagante, Bardas Cæsar Prenetem se contulit atque ipsum Michaelem Imperatorem illo deduxit. Cumque lenibus verbis in suam sententiam pertrahere nequivissent, discedentes miserunt, qui ei significarent, nolle se, ut in quoquam Hospitio ad Monasterium Studiense pertinente moraretur. Ergo Nicolaus se abscondere, & sæpe de loco in alium migrare compellitur. Tandem jubente Barda in suum Monasterium Studiense reductus, captivus tenetur sub regimine Sabæ Calliſtrati, qui tunc post Theodorum Santabarenum Abbatis munus gerebat. Sæculum IX. A. C. 867.

Basilius Imperator, Ignatio Patriarcha restituto, Nicolaum quoque liberavit, tumque tam ab Imperatore, quam a Patriarcha rogatus, Abbatiale onus in suo monasterio tertio subiit, etsi enim officium difficile recusaret, quod senili ætate & infirmitatibus, quas multæ ærumnæ auxissent, premeretur, id Principis ta-

Sæculum IX. A. C. 867.

men & Præsulis sui desiderio dandum fuit. Sæpe in Palatium ab Imperatore vocatus, multa sciscitantem leni colloquio & simplici indole recreabat. Postquam vero ultimum restitutus fuisset, aliquot mensibus tantum superstes fuit, & quarta Februarii, annos natus septuaginta quinque, anno Salutis 868. editis compluribus miraculis sanctam vitam clausit, sepultusque est penes Theodorum & Naucratium Antecessores suos. Ecclesia Græca ipsius memoriam in die obitus colit.

§. V.

Concilium Trecense.

In Francia Concilium Trecense præstituta die vigesima quinta Octobris anno octingentesimo sexagesimo septimo celebratum. Episcopi quidem Regnorum Caroli & Lotharii Episcopos ex regno Ludovici, id est ex Germania, ad hoc Concilium invitaverant, data epistola, in qua conventus celebrandi causas significabant in hunc modum: *Expilantur Ecclesiæ, Episcopi contemnuntur, opprimuntur populi. Piissime statutum fuerat, bis per annum Synodos celebrare; verum exinde augentur mala, quia raro conveniunt Episcopi, & hostes Ecclesiæ Ministros Christi dividere adnituntur. Plurimum itaque nostra interest, ut Concilium Generale*

nerale habeamus, ad quod celebrandum in- Sæculum IX.
vitamus vos ex consensu Regum no- A. C. 867.
strorum, qui ad vos mittunt Fratrem nostrum Adventium Episcopum, ut etiam a Rege vestro consensum impetret. Nihilominus hæc invitatio nihil profuit, quippe in hoc Concilio præsentes Episcopos non plures numeramus quam viginti, & ex Caroli atque Lotharii solummodo regnis. Aderant Archiepiscopi sex, Hincmarus Remensis, Herardus Turonensis, Venilo Rotomagensis, Frotarius Burdegalensis, Egilo Senonensis, & Wulfadus Bituricensis. Episcopi præ ceteris memorandi fuere Rotadus Suessionensis, Actardus Nannetensis, Æneas Parisiensis, & Odo Bellovacensis. *p.* 875.

In eo Concilio quidam Episcopi Wulfado faventes, ut adularentur Regi Carolo, contra Hincmarum aliquas Quæstiones movere cœperunt; nempe ejus Ordinationem, & Ebbonis Depositionem rursus ad examen vocare parabant. At cum Hincmarus & ratione & auctoritate Canonum strenue se defenderet, secundum sententiam plurimorum statutum, ut hæ quæstiones non tangerentur, sed solummodo ea, quæ acta erant, sicut petierat, ad Summum Pontificem deferrentur. Hæc dispicimus ex Concilii epistola Synodali, in qua tota causa Ebbonis amplissime refertur, & repetuntur ea, *Ann. Bert.* 867. *Flod. III.* c. 17. *Conc. p.* 870. *Sup. lib. XLVIII.* §. 38.

Sæculum IX. A. C. 867.

ea, quæ in exauctoratione Ludovici Pii acta sunt, usque ad Concilium Trevirense a Lothario Imperatore anno octingentesimo quadragesimo sexto indictum. In fine rogant Pontificem, ne ea, quæ Antecessores sui decrevissent, retractet, & imposterum non patiatur, ut Episcopus sine consensu Sacræ Sedis, secundum Decretales Pontificum, deponatur. Itaque Episcopi Franciæ & ipse Hincmarus se ipsos juri falsarum Decretalium, adversus quas acerrime disputaverant, subjiciebant. Tandem Wulfado Pallium concedi rogabant.

Concilium Trecense. *Sup. lib. XLVIII. §.* 33.

Actardo Episcopo Nannetensi commissum, hanc epistolam Romam deferre. Sed prius Regem Carolum adiit, qui eum ad se venire jusserat, & epistolam Synodalem exhibere; mox fractis Archiepiscoporum sigillis, quibus munita erat, eam legit, cumque Hincmaro nimium favere videretur, aliam suo nomine ad Pontificem exarari curavit, in qua ab origine Ebbonis causa repetitur, omnia quæ Ebboni favent, & ex consequente etiam Wulfado, approbantur, &, ejus Depositionem nullam fuisse, conficitur. Excusat in eadem epistola Rex, quod rerum necessitate ita exigente Wulfadum prius Archiepiscopum Bituricensem consecrari jussisset, quam rediisset Egilo, & Pallium ipsi dari petit. Tandem Actardum

Episco-

Sæculum IX. A. C. 867.

Episcopum Papæ dilaudat: *Optimus vir*, inquit, *exilium, vincula, maris discrimina, sex centa pericula in vicinia Britonum & Normannorum sustinuit, & quia spes nulla supersit, ipsum Ecclesiæ suæ restitui posse, gratissimum nobis fieret, si ad aliam vacantem vocaretur. Ceterum propositum sibi habet, aliquamdiu Romæ commorari, ubi si Britones illo veniant, eos convincat, maximum suæ vicinisque Ecclesiis illatum fuisse damnum, & postulet, ut auctoritate Sacræ Sedis coerceantur.*

Hincmarus quoque, Actardum Episcopum, data epistola, quam ei ad Anastasium Abbatem & Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarium deferendam commisit, Pontifici commendavit. In illa epistola queritur, Papam in ultimo rescripto verba sua aliter retulisse, ac ipse scripsisset; hinc ne quis etiam litteras Concilii Trecensis adulteret, Anastasium monet, ab Actardo deferri Acta genuina, rogatque, ut aliqua acta, ad causam Ebbonis pertinentia, cum Romanis exemplaribus conferat. Excusat, quod dona convenientia Papæ, Arsenio quondam in Francia Legato, & ipsi Anastasio non mittat. Unde cognoscimus, morem non fuisse, quemquam sine donis Romam mittere.

Hincmar. opusc. 57. to. 2. p. 824.

§. VI.

Sæculum IX. A.C. 867.

§. VI.

Reſcriptum Papæ ad ea quæ Græci objiciebant.

Ann. Bert. 867. & *Flod. III.* c. 17. *eviſt.* 70. *to.* 8. *Conc.* *p.* 408.

Sub idem tempus, quo Concilium Trecis celebrabatur, Nicolaus Papa Clericos, ab Hincmaro menſe Julio ſibi miſſos, ad eum redire juſſit cum epiſtola, qua ipſius facta ſibi probari ſignificat. Addidit epiſtolam alteram majoris momenti, non ſolum ad Hincmarum, ſed etiam ad omnes Epiſcopos in Regno Caroli directam, in qua dicit: *Inter alia, quæ nos immenſis laboribus inſerunt, illa nos præcipue commovent, quæ nobis a Græcorum Imperatoribus Michaele & Baſilio* (*) *nequiter ingeruntur. Hi enim contra nos odio & invidia accenſi Hæreſim nobis impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri Ordinationem damnavimus, invidia vero, quia Rex Bulgarorum a Sede Beati Petri Doctrinam & Prædicatores petiit. Volunt ſcilicet, hunc populum ſub prætextu Religionis callide ſuo imperio ſubjicere, & talia de Sancta Romana Eccleſia confingunt, quæ homines adhuc dum in Fide rudes a nobis poſſunt avertere.* Et infra: *Reprehendunt, quod*

(*) Nempe Summus Pontifex, Baſilium Cæſarem in iis, quæ ad Religionem pertinebant, Michaeli conſentire, præſumebat.

quod jejunemus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus. Comminiscuntur præterea, nos abominari nuptias, quia Presbyteris accipere conjuges prohibemus. Erroris nos insimulant, quod iisdem Presbyteris, Baptizatorum frontem Chrismate linire, non permittamus, nosque Chrisma ex aqua fluminis conficere calumniantur. Carpunt etiam, quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei & ovorum esu more ipsorum non abstineamus. Alia scripta indicio sunt, quod mentiantur, nos Agnum in Pascha, more Judæorum, super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicere & offerre. Reprehendunt, quod apud nos Clerici barbam sibi radi non abnuant, & quod Diaconus non suscepto Presbyteratus officio (*) Episcopus ordinetur. Item, quod gravius

Sæculum IX. A. C. 867.

p. 472.

(*) Diaconi per saltum in Episcopum ordinati exemplum satis exploratum nec in Ecclesia Orientali, nec Occidentali ostendi potest. A quibusdam equidem affertur exemplum Cæciliani Carthaginensis in Sæc. IV. Fleur. Lib. IX. p. 875. dicentis: *Ordinent me ipsi* (in Episcopum) *quasi adhuc Diaconus essem.* Sed ad hoc respondet Ludovicus Thomasinus in Vet. & Nov. Eccles. Discipl. P. I. L. II. cap. 36. *At nihil hic est, quo diserte asseratur Cæcilianus non in eadem Sacrificii Solemnitate ordinatus fuisse Presby-*

Sæculum IX. A.C. 867.

gravius est, usque adeo insaniunt, ut a nostris Legatis voluerint exigere fidei libellum, in quo omnes isti articuli anathematizarentur, & improbe petierint, ut epistolas canonicas a Pseudo-Patriarcha suo Oecumenico acciperent. Cum igitur constet, omnes Occidentis Provincias in his articulis cum Sede S. Petri consensisse, conjunctis viribus ad repellendas calumnias accingamur. Unde unusquisque vestrum, qui jura Metropolitana sortitus est, convocatis Suffraganeis suis, cum illis deliberet, quid invidis detractionibus opponere necesse sit, & ad nos ocius transmittat, ut illud nostris responsis adjunctum in Orien-

---

Presbyter, qua Episcopus. Ad Photii vero objectiones respondet ibid. clariss. Auct. *Verum etsi iniqua illa Græcorum reprehensio est, vel ex ea tamen id evincitur, ab ea illos consuetudine alienissimos fuisse, cujus suspicionem Latini a se & accusationem facile propulsabant.* Innoxium & pulchrum est, quod idem affert Thomasinus ex Rosvveidi vit. PP. de quodam Scriptore Græco ita differente: *Factus est Lector* (JEsus Christus) *accipiens Librum legit in Synagoga. Factus est Subdiaconus. Faciens namque de funa flagellum omnes ejecit de templo, oves, & boves &c. Factus est Diaconus. Præcingens se namque linteo lavit pedes Discipulorum suorum. Factus est Presbyter. Et resedit in medio Magistrorum docens. Factus est Episcopus. Et accipiens panem benedixit ac fregit.*

Orientem dirigamus. Evidenter autem Sæculum IX.
dispicitur, aliqua falsa esse, quæ nobis ob- A. C. 867.
jiciunt, alia a priscis temporibus Romæ
& in toto Occidente ab omnibus semper-
que observata. Sed non est obstupescendi
locus, quod Græci bas Traditiones audeant
rejicere, cum dicere non erubescant; quan-
do de Romana urbe Imperatores Constan-
tinopolim fuissent translati, tunc & Pri- p. 472.
matum Romanæ Ecclesiæ ejusdemque Pri-
vilegia ad Ecclesiam Constantinopolita-
nam commigrasse, ita ut Photius in Scri-
ptis suis se Archiepiscopum & Patriar-
cham universalem appellet. Hic primo (*)
mihi

(*) Hic primo occurrit, quæ nimium sero Græcis incidit argutia; nam diu postquam Imperatores Sedem Roma Byzantium transtulissent, tota Ecclesia Constantinopolitana, ipsique Patriarchæ, se Primatui Ecclesiæ Romanæ subjectos confessi sunt, quod ex Historiâ hactenus perspeximus. Ut vero hic unum saltem afferamus hujus rei exemplum, illa memoria repetamus, quæ sedente S. Gregorio Magno gesta sunt. Anno circiter 595. de Joanne Jejunatore Archiepiscopo Constantinopolitano, illo ipso, qui primus Titulum *Oecumenici* sibi arrogavit, Tom. VIII. Lib. XXXV. §. XXXIX. hæc leguntur: *Misit Joannes S. Gregorio Acta cujusdam judicii, quod contra Presbyterum Hæresis accusatum pronunciaverat, in quibus singulas ferme lineas Titulum Patriarchæ Oecumenici sibi ipsi tribue-*

Sæculum IX. A. C. 867.

mihi occurrit hæc Græcorum jactantia, diſertis verbis expoſita, Schiſmatis fundamentum. Tum Papa proſequitur:

p. 473.

Cuperemus quidem, vos cum ceteris Epiſcopis ad examinandam hanc cauſam Romam convocare poſſe, ſi publicæ calamitates permitterent; ſed nihil cauſæ eſt, quo minus domi hanc doctrinam penſetis & veſtram deinde opinionem nobis aperiatis. Ceterum Græci has criminationes ſolum retorquendo adhibent. Propria errata emendare nolunt, hinc iraſcendi occaſio. Priusquam Legatos noſtros ad ipſos miſiſſe.

---

tribuebat. Et infra §. XLIV. *His omnibus in Concilio Romano ex Actis illius judicii demonſtratis . . . . Sanctus Gregorius Papa ſententiam Judicum, quos Patriarcha Conſtantinopolitanus conſtituerat, nullam pronunciavit, & Joannem Presbyterum abſolutum dimiſit...* His Fleurius Reflexionem opportuniſſime addit: *Illud etiam & imprimis memoriæ mandandum, Papam actum Jurisdictionis in Patriarcham Conſtantinopolitanum exercuiſſe illo ipſo tempore, quo ſe Epiſcopum Univerſalem jactabat. Nam ejusdem jurisdictioni ille Patriarcha ſe utique ſubjiciebat, ad quem Legatos ſuos cum litteris & Judicii Actis mittebat.* Hinc Proteſtantes æque ac Græci Primatum Romanæ Eccleſiæ non a Cathedra S. Petri, ſed a Sede Romanorum Imperatorum derivantes riſu magis quam ſeria refutatione digni ſunt.

misissemus, laudibus super astra nos tollebant, & Sacræ Sedis Auctoritatem deprædicabant; nunc vero, postquam eorum errores damnavimus, mutato sermone contumeliis nos lacessunt. Cumque, Deo Optimo sint infinitæ Laudes! nihil, unde personam nostram carperent, invenissent, iniqua ceperunt consilia reprehendendi Majorum nostrorum Traditiones, quas vituperare aut vilipendere Patres ipsorum nunquam ausi sunt. Illud vero timendum, ne suas calumnias in alias Mundi partes spargant, cum jam glorientur, quod ad Patriarchas Alexandrinum & Jerosolymitanum litteras miserint, quibus eos ad approbandam depositionem Ignatii & ordinationem Photii permoveant. Nec quidem eorum concordiam expavescimus, sed ruinam animarum dolemus; nam quia sub Arabum jugo gemunt, spe adventuri sibi a Græcis auxilii decipi forte & seduci possent.

In fine Summus Pontifex verbis ad Hincmarum solum directis ait: *Perlecta hac epistola, eam ad alios Episcopos in regno Caroli celeriter fac deferri, quilibet has quæstiones in sua Provincia cum suis Suffraganeis mature examinet, suam sententiam scribat, quam tu ad nos transmitti cures.* Data est hæc epistola decimo Cal. Nov. Indictione prima, id est, vigesima tertia Octobr. anno octingen-

Sæculum IX. A.C. 867.

tesimo sexagesimo septimo. Ex his discimus, ad Pontificis notitiam necdum perveniſſe, rerum faciem ab uno menſe

Ann. Fuld. 868. Constantinopoli fuisse mutatam. Data etiam ad Regem Carolum epistola rogavit, ut Episcopis Regni sui potestatem faceret, hac de causa conventum agendi.

ep. 57. Episcopis Germaniæ quoque, quid Græci molirentur, perscripsit.

§. VII.

Epistolæ in Causa Lotharii.

Ann. Fuld. 868. Nicolaus eodem tempore complures epistolas de causa Regis Lotharii in

Nic. ep. 56. Franciam dedit. Et primo ad Regem Germaniæ Ludovicum, vehementer sibi instantem, ut Theutgaudum & Guntharium anno octingentesimo sexagesimo

Sup. l. 50. *§.* 32. quarto depositos restitueret. Id Papa fieri posse rotunde negat, & Regem objurgat, quod mala Ecclesiæ eum non tangant. Edicit, etiamsi illi duo Episcopi pœnitentiam agerent, & mala a se facta tollerent, nunquam tamen iis sperare licere, pristinæ Dignitati restituendos

ep. 55. fore. Elapsis paucis diebus Pontifex eidem Regi scripsit in hæc verba: *Significasti nobis, fuisse tibi cum Rege Carolo fratre tuo colloquium* (nempe Metis men-

Ann. Bert. se Julio eodem anno 867.) *cui quia defuit Lotharius Rex Nepos tuus, perhibes te ad eum Regem Carolum adjuncto quodam*

dam Episcopo regni tui misisse, qui eum moneret, ut jussioni nostræ obedientiam præstaret. Laudamus tuam charitatem & erga nos obedientiam; sed dolemus, quod nullum, quidquid tibi promiserit, videamus effectum. Waldradam ad nos non solum non misit, verum etiam Ticinum, cum ad nos tendere crederetur, profectam, in Gallias revocavit. Theutbergam item Reginam non solum, quibus modis tenetur, & juramento se adstrinxit, non habet, sed opprobriis vexari & paupertate premi dissimulat. Ecclesiis Trevirensi & Colonienſi vacantibus a tanto tempore, spretis nostris mandatis, alios Episcopos eligi non curat. Sic Rex Lotharius nobis obedit.

Sæculum IX. A.C. 867.

Nihilominus dicit, Romam se venturum, quamvis sæpe probibuerimus, ne sine nostra licentia veniat. Cura, ut eum ab hoc proposito dimoveas, si enim modo veniret, eo, quo desiderat, cultu non exciperetur. Impleat prius promissa, non ore, sed factis. Quid enim prosit Reginæ Theutbergæ, quod eam longius non repellat, si tamen alieno ab ipsa est animo? Quid prosit inanis Reginæ Titulus sine auctoritate? dum Waldrada ejus æmula, quantumvis excommunicata, re ipsa cum Lothario regnat, & de omnibus decernit. Quamvis enim, in speciem divisionis, ab

Sæculum IX. A. C. 867.

ipsius alloquio abstinere videatur, ipsa tamen per substitutos homines plura quam uxor legitima potest. Non nisi ipsa Duce aditus ad Regem patet, ipsa patrocinante beneficia distribuuntur, ipsa obstante nihil a Rege impetratur. Tandem rogat Papa Germaniæ Regem, ut reditus S. Petri Patrimoniorum in regno suo positorum tuto transmittat, & conqueritur, quod per annos duos nihil accepisset.

ep. 58. Ann. Fuld. 868.

Cum Episcopi Germaniæ cum Rege suo ad Papam literas dedissent, rogantes, ut Collegis suis Theutgaudo & Gunthario parceret, respondit ille data amplissima Epistola, in qua ab origine detractat, quidquid hi duo Episcopi deliquissent; ipsos nempe Ingeltrudi & postea Waldradæ præsidium præstitisse. Tum totam causam ad septem accusationis articulos, propter quos Romæ depositi fuissent, reducit. Ergo hortatur Episcopos, ne amplius pro ipsis aut pro Rege Lothario, nisi is ad frugem redeat, precibus sibi molesti fierent, sed potius ad Regem convertendum secum operam jungerent. Hæc Epistola ultima die Octobris anno octingentesimo sexagesimo septimo data. Ceterum Lothario Papa non amplius scribebat, quia ipsum excommunicaverat; quippe id claris verbis dicit in Epistola ad Regem Carolum

to. 8. Conc. p. 502.

ipsius

ipsius patruum data', ut patrocinaretur Heltrudi Berengarii Comitis viduæ, & Lotharii Sorori, cui ipse ademerat prœdia, ab Imperatore Lothario eorum parente filiæ relicta, eaque in prædam Normannis cesserat. Sæculum IX. A. C. 867.

§. VIII.

Nicolai Papæ obitus.

Nicolaus Papa, post scriptas has Epistolas haud diu superstes, decima tertia Nov. eodem anno octingentesimo sexagesimo septimo fatis functus est, postquam Beati Petri Sedem annis novem, mensibus septem & diebus viginti tenuisset. Eum Ecclesia Romana novissimis temporibus Sanctorum numero adscripsit, laudans ipsius vigorem apostolicum, cujus specimina vidimus. A charitate quoque commendatur; namque apud se habuisse perhibetur Syllabum omnium claudorum, cœcorum, & pauperum omnino infirmorum, Romæ commorantium, quibus alimenta in singulos dies distribui jubebat. Illis vero, qui ingredi valebant, tesseras dari jussit, quibus exhibitis, accipiebant annonam, quidam die Dominica, alii die Lunæ, alii aliis hebdomadis diebus. Canalem, aquam ad S. Petri Basilicam deferentem, in commodum pauperum in aditu Ecclesiæ eleemosynam petentium, & peregrinorum

Anast.

Mart. Rom. 13. *Nov.*

Anast. p. 271.

p. 264.

Sæculum IX. A. C. 867.

ex omnibus nationibus ad limina Apostolorum pro impetranda peccatorum suorum venia adventantium reparavit.

p. 262. Multi ex omnibus provinciis ad consulendum de diversis quæstionibus Nicolaum Papam, plus quam de quoquam alio Antecessorum suorum memoriæ proditum sit, adveniebant, cunctique accepta ejus Benedictione & Doctrina recedebant profitentes, sibi satisfactum fuisse. Unde ob multitudinem se consulentium non tam mature, ac ipse voluisset, respondere poterat, quod ipse in compluribus Epistolis, præsertim ad Rolandum Archiepiscopum Arelatensem & Adonem Viennensem datis, fatetur.

to. 8. *Conc. p.* 493.

Præter Epistolas a me memoratas, complures aliæ ipsum consulentibus rescriptæ superstant. In aliqua Epistola ad Rudolphum Episcopum Bituricensem data, inter alios casus, definit, Chorepiscopos habere ministerium Episcopale; unde sequeretur, ab eis Presbyteros & Episcopos valide ordinari. (*) Archiepiscopo Bituricensi ex Dignitate sua Patriarchali nullum jus competere in Ecclesiam Narbonensem, nisi in casu appellationis; Sede vero vacante, ipsius esse

p. 504. *n.* 1.

n. 2.

(*) Inde confirmatur opinio, Chorepiscopos in quibusdam locis fuisse, in aliis non fuisse ordine Episcopos.

esse illam Ecclesiam regere. Non memini, prius unquam hujus Patriarchatus mentionem occurrisse. Creditur autem in eo fuisse fundatum, quod Civitas Bituricensis Aquitaniæ Regni, a Carolo Magno, quo filio suo Ludovico pio faveret, erecti, Caput esset. Præterea dicit Papa: *In Ecclesia Romana nec Diaconis, nec Presbyteris manus unguntur.* Nihilominus Presbyteros ungere jam tunc in Galliis receptum erat; quod Amalarius & Theodulfus Aurelianensis testatum faciunt. Rursus: *Pœnitentes, qui ad militiam redeunt, contra Canones peccant. Quia vero dicis, aliquos hoc rigore ad desperandum impelli, & alios ad paganos deficere, hanc rem pro diversitate adjunctorum tuo judicio relinquimus.*

Sæculum IX. A. C. 867.

Thomasi discipl. part. 3. lib. 1. c. 4. n. 6.

Sup. Lib. XLIV. §. 17.

Martene liv. 1. c. 8. art. 9.

Annal. l. II. c. 13.

Theod. c. n. 1. n. 4.

In quibusdam etiam Epistolis suis Nicolaus Papa modum pœnitentiæ præscribit. Monacho, cui nomen Eriarthus, cum Monachum ex Monasterio S. Richarii Presbyterum interemisset, Romam profecto, ut ab hoc peccato absolveretur, Papa duodecim annorum pœnitentiam injunxit. Tribus primis annis in ordine flentium ante Ecclesiæ januam perseveret. Anno quarto & quinto Auditorum numero adscriptus sit, & non communicet. Septem annis posteriori-

p. 513. ep. 24. Flod. III. c. 23.

Pœnitentia publica.

Sæculum IX. A. C. 867

bus in Festis præcipuis communicet, sed non afferat oblationem. Toto pœnitentiæ tempore jejunet usque ad vesperam sicut in Quadragesima, exceptis Festis & Dominicis. Iter facere non nisi pedibus ei liceat. *Debuisset quidem*, subjungit Papa, *toto vitæ suæ tempore pœnitentiam agere; sed ob fidem ejus, & intercessionem SS. Apostolorum, quorum opem imploravit, aliquid detrahendum esse existimavimus.* Monet Hincmarum ipsius Metropolitanum, ut pœnitentiam rite ab eo impleri curet, qui hac de causa ad Hilmeradum Episcopum Ambianensem litteras dedit.

p. 515. 560. 503. *ep.* 17.

Nicolai Papæ Epistolæ.

ep. 66.

In Epistolis Nicolai Papæ tria alia præterea pœnitentiæ Canonicæ exempla legimus, a pœnitentia primorum Sæculorum haud abhorrentia. Illud vero a vulgari disciplina alienum, quod pœnitentiam comminando injunxerit peccatoribus eam non petentibus. Cum enim Stephanus Arverniæ Comes, Sigone Episcopo Claromontano e Sede sua expulso, adulterum in ejus locum subrogasset, præcipit Nicolaus spoliatum abjecta omni mora restitui, Comitem coram Legatis a se missis, & Concilio præfuturis, comparere, atque tum ob istud crimen, tum ob alia eidem objecta causam dicere. *Secus, interdicimus tibi*, inquit Papa, *usum vini & carnis, usque dum*

dum Romam veneris & conspectum nostrum subieris. Legati, quorum hic mentio fit, Rodoaldus & Joannes, in Concilio Metensi anno octingentesimo sexagesimo tertio Præsides, haud dubie fuerint. Sæculum IX. A.C. 867. *Sup. Lib. L.* §. 22. 26.

Universim Epistolas ferme centum a Nicolao Papa scriptas habemus, quas in Indice accurato, ut refert Anastasius, invenire erat. Toto autem Pontificatus sui tempore unica Ordinatione, scilicet Mense Martio, Presbyteros septem & Diaconos quatuor ordinavit. At Episcopos per diversa loca sexaginta quinque consecravit. Sepultus est ad portam Basilicæ S. Petri. (*)

§. IX.

Hadrianus II. Papa.

Nicolai in Sacra Sede Successor fuit Hadrianus II. Talari, postea Episcopi, filius, ex genere Stephani, & Sergii junioris Pontificum descendens, a Gregorio IV. Subdiaconus creatus, deinde in familiam Palatii Patriarchalis Lateranensis admissus, & Presbyter Tituli S. Marci

(*) Quis æquo animo ferat Caveum dicentem, in Artic. Nicol. I. *Anno* 861. *Nicolaus Photium, Conciliumque Constantinopolitanum ab eo habitum fugillare, & Ignatio palam patrocinari cœpit.* Et infra: *A Photio* (Nicolaus Papa) *anathemate percussus est.*

Cœcus

Sæculum IX. A. C. 867.

Marci Papæ ordinatus est. Largissimus in dandis eleemosynis fuit; imo quadam die, cum quadraginta denarios cum ceteris Presbyteris a Sergio Papa accepisset, pecunia in manibus ipsius eam pauperibus distribuentis multiplicata dicitur, ita ut postquam in singulos paupères, quorum magna fuit multitudo, tres denarios, totidemque in singulos familiares suos sparsisset, nihilominus sex supereſſent. Hospites quoque advenientes liberalissime habebat. Jam pridem post obitum Leonis IV. iterumque Benedicti III. omnium votis Papa electus tanta solertia summam Dignitatem a se amolitus fuerat, ut eam etiam effugerit; sed defuncto Nicolao, totius populi concursus, omnium Clericorum consensus, clamores precesque reluctantem coegerunt, ut Pontificatum susciperet septuaginta sex annos natus. Uxorem habebat, (*) cui nomen Stephania, adhuc lu-

ce

Cœcus sit, oportet, qui pensatis omnibus Historiæ Ecclesiasticæ adjunctis, Photium nullo jure & pessima fide egisse; econtra Nicolaum Pontificem omnes partes viri pii, sinceri, & constantis impleviſſe, non videat.

(*) Tantum ne quis Protestans dicat, quemadmodum Interpres Fleurii, si opus suum prosequeretur, haud dubie dicturus esset, Hadrianum

ce fruentem, & etiam filiam. Multi viri pietate conſpicui, Monachi, Presbyteri, Laici, jam diu ante ſibi per oſtentum manifeſtatum fuiſſe ajebant, Hadrianum ſupremam Dignitatem conſecuturum. Quibusdam viſus fuerat in Sede Pontificali Pallio ornatus ſedere, aliis Caſula indutus Miſſam celebrans, aliis in Baſilica nummos aureos diſpenſans, aliis denique equo inſidens, quo Nicolaus Papa vehi ſolebat, magna pompa ad S. Eccleſiam procedere. Sæculum IX. A.C. 867.

Ergo Hadrianus ex Eccleſia S. Mariæ Majoris, ubi frequentiſſime orationi vacabat, producitur, & feſtinanter in Palatium Patriarchale Lateranenſe devehitur. Qua re comperta, Legatis Ludovici Imperatoris non probabatur, quod, Romæ præſentes, a Romanis ad electionem non fuiſſent invitati, quamvis & ipſi hunc virum ad Dignitatem Papalem fuiſſe promovendum cenſerent. Reſponderunt Romani, id neutiquam ideo a ſe omiſſum, quod Imperatoris auctoritatem parvi penderent, ſed ut

num Pontificem vel alios Epiſcopos ab uxoribus non abſtinuiſſe.

Quippe viros uxorem habentes, deinde ad Sacerdotium admiſſos, divortium quoad torum & menſam feciſſe, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica exploratiſſimum eſt.

Sæculum IX. A. C. 867. ut posteris consulerent, & vim consuetudinis non obtineret, Papam nisi expectato Legatorum Cæsareorum adventu rite eligi non posse. Cum hoc responso Legatis fuisset satisfactum, & ipsi ad salutandum Hadrianum venerunt. Magno clamore petebat populus, ut statim consecraretur; obstitit vero Senatus. Ergo dilata est Ordinatio, dum afferretur responsum Imperatoris, qui inspecto Electionis Decreto & subscriptionibus, data Epistola Romanos laudavit, quod optimum virum elegissent, declarans, nolle se, ut quodcunque pretium pro consecratione Hadriani daretur, ne quidquam juris se Ecclesiæ Romanæ ereptum, quin magis effecturum, ut ablata restituerentur.

Postquam igitur de more preces, vigiliæ, & eleemosynæ in Sabbato decima tertia Decembris anno octingentesimo sexagesimo septimo præcessissent, sequente die Dominica Hadrianus ad S. Petri Basilicam deducitur, & solemni ritu a Petro Episcopo Gabiorum, quæ civitas prope Prænestе hodie suis ruinis sepulta jacet, a Leone Silvæ candidæ, & Donato Ostiensi consecratur. Hi tres Episcopi ad hoc Ministerium delecti, quia Albanensem mors rapuerat, & Portuensis absens erat, videlicet Formosus a Nicolao Papa ad prædicandum Bulgaris E-

vange-

vangelium missus. Cum deinde Papa Neo-electus Missam celebraret, cuncti de manu ejus accipere Communionem gestiebant, quam etiam aliquibus, ab Anteceſſore ſuo excluſis, dedit, videlicet Theutgaudo Archiepiſcopo Trevirenſi & Zachariæ Epiſcopo Anagnienſi a Nicolao Papa excommunicatis. Item Anaſtaſio Presbytero, quem Leo IV. & Benedictus Communione Laica contentum eſſe juſſerant. Eos tamen non prius, quam modo competente ſatisfeciſſent, recepit. Ex Eccleſia in Palatium Lateranenſe reverſus, donis, quæ Pontifices accipere ſolebant, rejectis, ea ſolum, quæ comedi poſſent, admiſit, dicens: *Fugiamus pudendum pecuniarum commercium. Gratis demus, quod gratis accepimus ſecundum præceptum Domini, & Oblationes Fidelium cum pauperibus, pro quibus nobis dantur, partiamur.*

Sæculum IX. A. C. 867.

Hadriani Conſecratio.

Matth. 10.

At, dum Pontifex conſecratur, Lambertus Dux Spoletanus Urbem armatus intrat, eamque a ſuis diripi ſuſtinet. Primores dato pretio ædes ſuas a rapina redemerunt. Non Eccleſiis, non Monaſteriis parcebatur, multæque Virgines nobiles abſtractæ. Re ad Imperatorem delata, Ducatu exuitur Lambertus, quem omnes Franci, Sacræ Sedis inimicum, abominati ſunt. Papa quoque ſuis partibus non defuit, ſed omnes hujus latrocinii

p. 887.

Sæculum IX. A. C. 867.

cinii participes, & nominatim eorum quinque, qui ceteris tanti facinoris Duces extiterant, excommunicavit, donec restituerent & satisfacerent. Reperti sunt duo, qui Pontificis monitis paruerunt.

to. 8. Conc. p. 568.

Hadriano ordinato, Anastasius Bibliothecarius statim Adonem Archiepiscopum Viennensem hujus rei certiorem fecit, data Epistola in hunc modum: *Tristis fati tibi index sum. Heu! Pater noster Nicolaus decima tertia Novembris ad meliorem vitam abiens reliquit nos, omni solatio destitutos. Nunc vero omnes illi, quos ob adulteria aliave crimina castigavit, omnibus viribus ejusdem facta & Scripta abolere conantur, quibus etiam Imperator favere dicitur. Igitur hanc rem cunctis Fratribus perscribite, & pro Ecclesiæ bono, quæ visa fuerint, facite. Si enim tanti Pontificis Acta rescinduntur, de vestris quid fiet? Quamvis vero apud nos pauci sint, qui genua coram BAAL non curvaverint, scio tamen, apud vos permultos existere. Habemus Papam, cui nomen Hadrianus, ad mores hominum emendandos magno zelo instructum, sed necdum scimus, an omnia Ecclesiæ negotia pertractanda, vel solummodo eorum partem susceptarus sit. Ceterum plurimi facit, amatque, propinquum meum Arsenium, ami-*

amicum vestrum, cujus quidem fervor pro reformatione Ecclesiæ non nihil remisit, ex quo satis dure a defuncto Pontifice habitus fuit; unde etiam Imperatoris partibus adhæret. Rogo, ut eum ad meliorem mentem reducere satagatis, quippe hujus viri auctoritas, qua & apud Imperatorem & apud Papam valet, Ecclesiæ utilissima foret. His Anastasius adjecit Annotationem hujusmodi: *Obtestor vos, ut omnes Galliarum Metropolitanos illud imprimis moneatis; ne sub prætextu propriam recuperandi auctoritatem ad memoriam defuncti Pontificis deprimendam operam jungant. Nemo enim unquam Nicolaum accusavit, & nemo jam est, qui mortui causam dicat. Nunquam cuicunque Hæresi consensit, sicut falso præsumitur; sed bono zelo ductus omnia egit. Itaque per Deum vos obsecro, generosum pectus talia contra Pontificem defunctum machinantibus vigore Sacerdotali objicite. Actum est de auctoritate hujus Ecclesiæ, si hæc locum habeant.*

Sæculum IX. A. C. 867.

§. X.

Hadrianus Papa objecta sibi diluit.

Causæ omnino non erant nullæ, cur Anastasius timeret, ne memoria Nicolai læderetur, & Acta abolerentur; nam

Sæculum IX. A. C. 867.

nam complures non sine scandalo credidere, Hadrianum animo constituisse illa rescindere. Aliis econtra minime probabatur, quod Nicolai Antecessoris sui vestigiis insisteret. Quippe in Pontificem ordinatus nihil antiquius habuit, quam in Bulgariam dimittere Dominicum & Grimoaldum Episcopos, quibus hæc legatio a Nicolao, paulo ante quam moreretur, destinata fuerat, jamque ultima mandata acceperant. Tantum deleto Nicolai nomine suum Hadrianus poni jussit. Ipsis iter ingressis, Papa ab Imperatore Ludovico obtinuit, ut Gaudericus Episcopus Velitrensis, Stephanus Episcopus Epesinus, & Joannes Simonides, adversariorum suorum criminationibus delati, ab exilio revocarentur. Ipse Imperator, quoscunque in carceribus crimine læsæ Majestatis accusatos detinebat, libertate donavit. Tum Hadrianus, quod Antecessor ipsius propositum sibi habebat, Ecclesiam a se fundatus erectam, cum triplici æquæductu, picturis decorari curavit. Hac Ecclesia illarum, quæ in Laterano erant, nulla ornatior.

Hæc omnia Nicolai Papæ adversariis ansam præbuerunt, ut publice dicerent, scriberentque, Hadrianum Papam esse Nicolaitam. Rursusque, cum ex numero hominum sibi infensorum non nul-

los

los apud se patienter toleraret, alii suspicabantur, Acta Antecessoris sui abrogaturum. Unde etiam omnes Episcopi Occidentis, datis ad eum solemnibus literis hortati sunt, ut memoriæ Nicolai Papæ honorem haberet. Quod forte Anastasii Bibliothecarii & Adonis Viennensis conatibus adscribendum. Sæculum IX. A. C. 868.

Interim Romæ quidam Monachi tam ex Græca, quam ex aliis nationibus ab ejus Communione per aliquot dierum spatium secreto abstinuerunt; quare Papa, cum Feria sexta Septuagesimæ vigesima prima Februarii (si id anno 868. factum) iis prandium de more paraſſet, solito plures invitavit, aquam lavandis manibus ipse præbuit, cibum & potum ministravit, quin etiam, quod nullum Antecessorum suorum feciſſe meminerat, ipse manducantibus assedit. Ceterum toto prandii tempore Hymni spirituales decantabantur.

Mensa remota, Pontifex in pavimentum coram omnibus procumbens dixit: *Rogo demississime, Fratres mei, orate pro Ecclesia Catholica, pro Filio nostro Christianissimo Ludovico Imperatore, ut ei Deus Saracenos, ad pacem & quietem nostram, subjiciat. Orate etiam pro me, ut mihi vires det, Ecclesiam suam amplissimam gubernandi.* Hic omnes exclamare; multo magis oportere, ut ipse

Sæculum IX. A. C. 868.

pro ovibus ſuis oraret, & ipſe obortis lacrymis addidit: *Quandoquidem oratio facta pro illis, qui ſanctiſſime vixerunt, eſt potius gratiarum actio, rogo vos, ut Deo gratias agatis, quod Dominum meum & Patrem meum Sanctiſſimum & Ortbodoxum Papam Nicolaum Eccleſiæ ſuæ donaverit, quam velut alter Joſue defendevet.* Tunc vero omnes Monachi Jeroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, & Conſtantinopolitani, quorum aliqui a Principibus miſſi fuerant, aliquamdiu vocem tenuerunt, inexpectato gaudio attoniti. Deinde vero exclamare: *Laudetur Deus! Laudetur Deus! quod Eccleſiæ ſuæ Paſtorem dederit, Anteceſſorum ſuum honorantem. Cedat invidia! maligni rumores diſſipentur!* Tum tertio repetere: *Vivat Dominus noſter Hadrianus, a Deo Summus Pontifex & Papa universalis electus!* Ipſe manu ſilentium imperans dixit: *Sanctiſſimi & Ortbodoxi Domini Nicolai, quem Deus Summum Pontificem, & Papam univerſalem conſtituit, ſit æterna memoria! alteri Eliæ vita & gloria perpetua! alteri PHINEES, æterno Sacerdotio digno, Salus perpetua! Pax & gratia Sectatoribus ejus!* Hæc ab omnibus tertio repetita.

Pontifex Hadrianus laudat Nicolaum.

Aug. Enchi. c. 110.

Hadriano Papæ non minus curæ fuit, hac ſuper cauſa apud Epiſcopos Franciæ ſe purgare, quod ex prima Epiſtola ad

eos

eos data dispicitur. Hæc die secunda Februarii, Indictione prima, nempe anno octingentesimo sexagesimo octavo, scripta, & responsum est ad Epistolam Synodicam Concilii Trecensis. Nam Actardus, qui eam detulit, Romam pervenit Nicolao Papa jam mortuo, & Hadriano ordinato, atque Hadriani responsum in Franciam pertulit Sulpitius Legatus Wulfadi, Archiepiscopi Bituricensis, cui etiam per omnia favet. In eo enim Papa loquitur in hunc modum: *Innocentia Fratris nostri Wulfadi Episcopi & sociorum ipsius, quæ ad breve tempus premebatur, vestro beneficio solis lumine clarior evasit. Idcirco confirmamus & approbamus judicium vestrum, idque precibus vestris damus, ut Wulfadus Episcopus Bituricensis Pallio uti possit, quod Antecessor noster lubentissime concessisset, si quæ modo misistis accepisset. Facimus, quod ipse, si viveret, facere voluisset. Itaque cum vobis, quæ petitis, concedamus, rogamus, ut & vos Nicolai Papæ nomen libris & diptychis Ecclesiarum vestrarum inseratis, illud in Missa memorari jubeatis, atque id ipsum Episcopis Confratribus vestris demandetis. Hortamur quoque, ut tam verbis quam scriptis fortiter resistatis Principibus Græcis, aliisque, præsertim Clericis, qui vel contra defuncti Pontificis personam, vel ejus De-*

Sæculum IX. A. C. 868.

Sæculum IX. A. C. 868.

creta quidquam moliri præsumunt. Scitote enim, si quid hic locorum contra ejus memoriam fuerit tentatum, nos nunquam consensuros. Nihilominus nolumus esse illis inexorabiles, qui postquam congrua satisfecerint, Misericordiam Sacræ Sedis implorabunt; si modo facta propria excusent, non vero accusent Magnum Pontificem, qui nunc coram Deo stat, & quem in vivis agentem nemo arguere ausus est. Estote hac super re vigiles & constantes, & quid agatur omnes Episcopos transalpinos edocete. Quippe si Pica vel ejus Decreta damnentur, nemo vestrum speret, firma fore, quæcunque ipse statuerit.

ep. 35. to. 8. Conc. p. 939.

Haud multo post, nempe sexta Maji eodem anno 868. Hadrianus Papa data Epistola ad Adonem Archiepiscopum Viennensem, exhortantem se, ut Antecessoris sui Decreta tueretur, dicit: *Eodem vigore ea defendam, quo mea tueor; si vero Antecessorem meum illorum temporum adjuncta ad severitatem adhibendam compulerunt, nihil obsistit, quo minus nos clementia utamur, si id negotiorum ratio postulaverit.*

§. XI.

Papa Lothario licentiam veniendi Romam tribuit.

to. 8. p. 909.

Ubi Rex Lotharius mortem Nicolai Papæ

Papæ accepit, Adventium Episcopum Metensem & Grimlandum Cancellarium suum Romam misit cum Epistola, in qua dolere se amissum morte Nicolaum Pontificem significat; queritur tamen, quod animum suum contra se præjudiciis occupari permisisset. *Submisimus nos*, inquit, *Pontifici, seu potius Principi Apostolorum, plus quam ullus Antecessorum nostrorum. Paterna monita, atque Legatorum ipsius hortatus, secuti sumus magis quam Regiam Dignitatem decuisset. Sæpissime rogavimus ut, quod Leges Divinæ humanæque concedunt, liceret nobis cum accusatoribus nostris ejus conspectum subire. Sed semper fuimus repulsi, nec concessum adire Sacram Sedem, cujus Patroni progenitores nostri extiterunt. Congratulamur quidem, quod Bulgari, aliique Barbari ad limina SS. Apostolorum invitentur, sed non modice affligimur, nos excludi.* Sæculum IX. A.C. 868.

Deinde gratulatur Hadriano Dignitatem Papalem, Patrocinium offert, promittit obedientiam, & magno desiderio Romam proficiscendi se teneri indicat. Rogat quoque Pontificem, ne sibi quemcunque alium Regia Dignitate æqualem præferat, & addit: *Cum nobis scribis, literas tuas nemini alteri deferendas trade, quam Legato nostro, tuo, aut Imperatoris Fratris nostri, nam ob cautionem*

Sæculum IX. A. C. 868.

banc omissam multa jurgia in nostris regionibus orta.

Regin. an. 868.

Respondit Papa data Epistola, qua intercidit; sed ejus Summa hæc erat Sacræ Sedis Pontifices nunquam non a dignam satisfactionem cujuscunque recipiendam esse promptissimos, & nunquam quod legibus Divinis humanisque justum declaratur, denegasse. Libere ergo veniret Lotharius, si criminum, quorum accusabatur, sibi conscius non esset; atque etiamsi esset, nihilominus veniret pœnitentiam congruam recepturus.

Ludovicus Imperator, Lotharii Legatis haud dubie urgentibus, omnibus viribus nitebatur Hadriani Papæ animum in causa Lotharii mitigare. Nam a mensibus jam octodecim Ludovicus, Lotharii copiis adjutus, bellum prospero successu inferebat Saracenis ex Africa advectis, qui partes Italiæ ad meridiem positas vastabant, & complures urbes tenebant. Imperator anno octingentesimo sexagesimo sexto Capuam trimestri obsidione ad deditionem compulerat. Hostes deinde prope Luceriam in Apulia acie profligatos castris exuerat. Tum vero capta Matera, incensaque Saracenos Barii inclusos obsidebat, quam civitatem illi annis quatuor propugnarunt.

Chr. Cass. c. 36.

Ann. Met. 867.

Igitur Papa nolens quidquam rogati Principi & victori denegare, etiam e

jusdem

jusdem precibus dedit, ut Waldradam absolveret; quod ex compluribus Epistolis, quas Adventius Episcopus & Grimlandus Cancellarius detulerunt, apparet. Sæculum IX. A. C. 868.

Prima ad ipsam Waldradam data est, in eaque Pontifex loquitur in hunc modum: *Comperimus ex litteris complurium virorum & præcipue Ludovici Imperatoris, te peccati tui & obstinationis pœnitentiam subiisse. Quamobrem ab anathemate & excommunicatione te absolvimus, & societati Fidelium restituimus. Liceat tibi Ecclesiam intrare, orare, manducare, & colloqui aliis Christianis. Deinceps vero tam caute agas, ut tibi Deus absolutionem concedat in cœlo, quam in terra accipis. Si enim simulas, tantum abest, ut liberata sis, ut multo magis rea coram illo cognoscaris, qui corda inspicit. Noli adulantibus tibi aures dare, & memento, veritatem diu celari non posse.* Huic Epistolæ Pontifex addidit aliam, ad Episcopos Germaniæ datam, in qua eos certiores facit, quod Waldradæ absolutionem concesserit. Scripta est duodecima Febr. anno 868. sicut & altera ad Regem Germaniæ Ludovicum data, quæ est hujusmodi: *Hadr. ep. 14* Epistolæ Papæ ad Waldradam.

Dilectissimus filius noster Ludovicus Imperator non adversus Sanctæ Reli- *ep. 7.*

Sæculum IX. A. C. 868.

gionis filios, quod quidam alii faciunt, pugnat, sed adversus Christi nomine inimicos, pro Sanctæ Ecclesiæ, & præcipue nostræ, securitate, pro multorum Fidelium libertate, qui apud Sammum salute periclitabantur, namque jam fines nostros Saraceni infestabant. Ludovicus, inquam, descendens de solio suo, corpori suo non parcit, æstus, algorem, sexcentas incommoda & discrimina perfert pro Christi nomine. Ecclesiæ Sanctæ quietem per eum Divina jam pietas operata est, non modicæ paganorum vires prostratæ; non nullos armis devictos a superstitioso ritu ad fidem convertit fortissimus perinde ac piissimus Imperator. Quare credidimus, monendum te esse, ne ejus Ditiones invadas, neque Lotharii, sunt enim in bono opere conjunctissimi. Nam scias velim, Sacræ Sedis causam ab Imperatoris salute separari non posse, neque ad ejus defensionem armis illis potentissimis, quas nobis Deus per intercessionem S. Petri contulit, esse usuros.

Similes Epistolæ ad Regem Carolum & Episcopos in regno ejus existentes datæ erant, quas Episcopus Metensis, & Lotharii Cancellarius die Martis Rogationum vigesima quarta Maji eodem anno 868. Regi reddiderunt.

Ann. Bert. 868.

Sub finem anni præcedentis Rex Lotharius Theutbergam conjugem suam

ibid. 867.

Ro-

Romam miserat, ut ibi solutionem matrimonii ipsa postularet. Verum Hadrianus Papa, Antecessoris sui exemplum secutus, hac fraude decipi non potuit. Id dignoscitur ex Epistola Sacerdotali vigore scripta & ad Lotharium data, quam etiam, ut conjectura est, Episcopus & Cancellarius detulerunt. Summa ejusmodi est: *Theutberga illustrissima Regina conjux tua causam suæ necessitatis ore proprio nobis exponens dixit: Se quadam corporis sui infirmitate pressam & jam antea conjugio non legitimo tibi traditam, a tuo velle separari consortio, mundi Dignitates abjicere, & leni jugo Christi cervicem cordis submittere. Quibus auditis non modico fuimus turbati stupore, & quamvis te haberet consentientem, nostrum tamen consensum obtinere non potuit. Sed præcepimus, ut ad te rediret, & jura matrimonii Regalis defenderet. Causarum vero separationis concedendæ examen ad Concilium cum Fratribus nostris celebrandum dimisimus. Unde etiam atque etiam hortamur Excellentiam tuam, ne malorum auscultes consiliis, sed magis hanc Reginam affectu maritali recipias tanquam alteram tui ipsius partem. Si vero itineris difficultas, aut ægritudo corporis eam in aliquo prædio, sibi concesso, dum Concilium habetur, commora-*

Sæculum IX. A.C. 868.

ep. 13.

Sæculum IX. A. C. 868.

ri coegerit, ibi sub tuo Regali præsid degat, & de reditibus Monasteriorum quæ eidem tuis verbis promisisti, decen nere valeat, ut habeat, unde Regin modo quo decet, sustentetur. Si qu mandatis nostris obstiterit, anathemat ferietur, tu vero, si conscius fueris, com munione Fidelium privaberis.

Hic Pontifex abusum Abbatias per sonis Sæcularibus conferendi tacite ap probat. (*)

§. XII.

Literæ Pontificis Actardo faventes.

Hadr. ep. 7. Dimissis Regis Lotharii Legatis, Actardus quoque Episcopus Nannetensis Summo Pontifici valedixit, acceptis literis sibi faventibus. Prima Pontificis Epistola ad Episcopos, qui Conciliis Suessionensi & Trecensi interfuerant, data est, atque in ea de Actardo hæc leguntur: *Quia vero, ut dicitis, Præsul venerabilis jam a multo tempore persequentibus paganis*

(*) Cum sciret Summus Pontifex, speran vix posse, ut Lotharius, post conceptum exitiale in Theutbergam odium, eam ex ærario suo tan quam Conjugem Regiam aleret, satis causæ fuit ad dispensandum justus metus, ne fœda pa pertate Regina innocens premeretur, quin i deo Hadrianus abusum simpliciter approbasse dicatur.

paganis e ſua Eccleſia pulſus, per diverſa loca errare cogitur, quamquam ſcientia & virtute Eccleſiæ plurimum prodeſſe queat, præcipimus, ut juxta regulas ab Anteceſſoribus noſtris, præſertim a S. Gregorio Magno, traditas Eccleſiæ, quæ proxime vacaverit, & illa, quam rexit, minor non fuerit, præficiatur; ſi nempe ipſius Eccleſia ita peſſumdata ſit, ut nulla amplius reſtitutionis ſpes affulgeat. Imo etiam pallium ei conceſſimus in ſolatium viri, qui tot ærumnas pro Religionis cauſa tulit; ita tamen ut hæc prærogativa ipſius perſonæ, non autem Eccleſiæ, cujus regimen adeptus fuerit, adhæreat.

Sæculum IX. A. C. 868.

Secunda Epiſtola data eſt ad Regem Carolum, eſtque reſponſoria ad illas literas, quas ſoluto Concilio Trecenſi ad Nicolaum Papam in cauſa Ebbonis ſeripſerat. Hadrianus Papa declarat, hanc rem jam ſilentio involvi oportere, cum Ebbo nunquam Hæreſis fuerit accuſatus, jamque & ipſo & Epiſcopis, quibus cognita erat hæc cauſa, vita functis, impoſſibile eſſe ad veritatem pervenire. Tum Actardum Regis benevolentiæ, quemadmodum ſuperius Epiſcopis, commendat. Hæc Epiſtola 23. Febr. anno 868. data. Alia data eſt ad Herardum Archiepiſcopum Turonenſem, quem rogat, ut Actardo Monaſterium, olim ab eodem

ep. 8.

Sup. n. 4.

ep. 10.

Sæculum IX. A. C. 868.

eodem in Diœceſi Turonenſi poſſeſſum reſtituat, unde vitam ſuſtentet. Dic etiam, ſe Salomoni & Britonibus ejus Subditis ad conſervanda Eccleſiæ Turonenſis jura literas dediſſe.

ep. 9.

Scripſit quoque Pontifex Hincmaro Archiepiſcopo in hunc modum: *Licet frequens Sanctitatis tuæ fama dudum te nobis fecerit manifeſtum, nunc tamen præclara merita tua, referentibus venerabilibus fratribus noſtris Arſenio Sacræ Sedis Apocriſiario, Actardo Epiſcopo, & filio meo chariſſimo Anaſtaſio Bibliothecario, liquidius cognoſco. Unde tam ardenter te diligo, tanquam ſi millies mutuis frueremur alloquiis. Præterea bene novit Sanctitas tua, quantum Eccleſiæ hujus Præſules Benedictus & Nicolaus in cauſa Regis Lotharii laboraverint. Eadem nobis hac de re ſtat ſententia, & eorum veſtigia ſequimur. Quamobrem Fraternitatis tuæ induſtriam admonemus, ut ſtudium hoc tuum non abjicias, ſed nomine noſtro Regibus & Optimatibus conſtanter ingeras, doloſe machinantium argumentis non eſſe iterum ædificandum, quod Auctore Deo deſtructum fuit. In quo videlicet pietatis opere quia ex Regibus nemo magis quam dilectus filius noſter Carolus, & ex Epiſcopis tu potiſſimum Sacram Sedem adjuviſtis, hortamur, ut piiſſimum Regem ad Bonum, quod*

quod inchoavit, consummandum commoneas. Sæculum IX. A. C. 868.

Deinde eidem Actardi causam commendat, & cupit, ut ei Ecclesia, si fieri possit, etiam Metropolitana conferretur. Cum hac Epistola Actardus aliam quoque Hincmaro reddidit, ab Anastasio Bibliothecario ad eum scriptam cum munusculis, cui Hincmarus dona alia & Scriptorum suorum aliqua transmisit. Unde arctam ipsis amicitiam intercessisse dispicimus. *Flod. III.*

§. XIII.

Translatio S. Mauri.

Rex Carolus hujus anni octingentesimi sexagesimi octavi initio Antissiodori fuerat, quo, collatis prius cum Rege Ludovico fratre suo consiliis, Episcopos ad quasdam quæstiones de Regis Lotharii causa examinandas mense Februario convocaverat. *Ann. Bert. ann. 867. & 868.* Die cinerum vero tertia Martii in Monasterio S. Dionysii in Francia versabatur, ubi sæpe commorabatur, ex quo hanc Abbatiam sibi retinuerat. *Id. an. 867.* Quippe Ludovico Abbate, ex Rotrude Caroli Magni filia genito, mense Januario anno octingentesimo sexagesimo septimo fatis functo, Rex Carolus ejus cognatus, reservata sibi Abbatia, regimen intra domesticos parietes Præposito, Decano, & Ærarii Custodi commisit, obse-

quia

Sæculum IX. A. C. 868.

quia vero militaria a Majore domus præstari præcepit. In Quadrageſima ejusdem anni 868. ad Monaſterium Foſſatenſe S. Mauri Reliquias ex Monaſterio Glandifolienſi ob metum Normannorum ablatas transferri juſſit.

Sup. Lib. XXXIII. §. 13. *Act. SS. Be. to. 6. p. 168.* *Boll. 5. Jan.* *to. 1. p. 1053.*

Monaſterium Glandifolienſe, a Sancto Mauro in medio ferme Sæculi ſexti fundatum, per annos circiter ducentos claruerat, cum quidam nomine Gaidulfus Ravennas, collato ſibi a Rege Pipino hoc Monaſterio, Monachos tam male habuit, ut numerum eorum (erant vero ultra centum) ad fratres quatuordecim redegerit. Deinde his quoque pulſis, in eorum locum pauperes Clericos quinque, ad Divinum Officium peragendum, ſuffecit. Cellas, atque ipſas Eccleſias deſtruxit, Tabulas combuſſit & diſſipavit. Quo defuncto Comes Andegavenſis aliique Monaſterii hujus prædia invaſerunt. Ludovico pio autem imperante quidam Comes, cui nomen Rorico, & conjux ipſius Bilechildis idem Monaſterium, Lamberto Monacho Monaſterii Martyrum, Jacobo Abbate Cormerienſi, & Ingelberto Abbate Foſſatenſi ad S. Petrum prope Pariſios opem conferentibus, reſtaurare aggreſſi ſunt.

Act. SS. Be. to. 2. p. 591. *Sup. Lib. VIII. §. 18.*

Monaſterium Foſſatenſe anno ſexcenteſimo trigeſimo octavo Blidegiſilus Archidiaconus Pariſienſis fundavit in loco dicto

dicto *campus Bagadum*, a quadam mili- Sæculum IX.
tum factione, quæ in Galliis sub Maxi- A. C. 868.
miano & Diocletiano seditionem moverat. Quia autem latino barbaro castra appellabantur *Fossatum*, hic locus fossa seu fossæ dictus. Parisiis distat duabus leucis in quadam Peninsula situ jucundissima, quam Matrona amnis circumfluit.

Cum igitur illum campum Archidiaconus a Rege Clodoveo II. obtinuisset, condidit Monasterium S. Virgini & S. Petro dicatum, cujus primus Abbas fuit S. Babolenus, in Ecclesia Parisiensi vigesima sexta Junii hodieque cultus. Porro anno octingentesimo quadragesimo quinto Gauselinus Roriconis vel filius vel nepos primus (post restauratum Monasterium) Abbas Glandifoliensis Reliquias S. Mauri ex uno Ecclesiæ loco in alium transferens, invenit pervetustam Inscriptionem in pergameno, cujus verba erant: *Hic quiescit Corpus Beati Mauri Monachi & Diaconi, qui temporibus Regis Theodeberti in Galliam venit, & decimo octavo Calendas Februarii decessit.*

Normannorum incursibus vexati Monachi Glandifolienses, illas Reliquias in diversa loca transferre compulsi, tandem usque ad Ararim migrarunt, ubi quidam Comes nomine Audo iisdem in prædio suo

Præf. vit S. Mauri. Act. SS. Ben.to. I. p. 275. Boll. to. I. p. 1052.

Sæculum IX. A. C. 868.

suo receptaculum dedit anno 863. Monachorum parte ibi ad custodiendum corpus & divina solemnia peragenda remanente, ceteri Andegavum redituri, obvium in itinere habuerunt peregrinorum agmen Roma ad sua redeuntium, ex quibus aliquis Clericus de Monte S. Michaelis prope Abrincas habebat vetustos codices, vitam S. Benedicti & quinque Discipulorum ejus, quos inter S. Maurus erat, continentes. Igitur aliquis ex Monachis Glandifolienſibus, nomine Odo, coemptis codicibus, S. Mauri vitam, quæ ipsi dictione admodum rudi conscripta, præter alios describentium errores, videbatur, ut potuit emendavit, atque huic scriptioni trium circiter hebdomadarum spatium impendit. Hujus vitæ Liber in fronte exhibet nomen Fausti, qui Sancti Benedicti Discipulus, & S. Mauri socius fuit. Attamen Odo permulta errata oscitando vel non vidit, vel adjecit.

Postquam S. Mauri Reliquiæ per annos tres & sex menses in fundo Comitis Audonis fuissent costoditæ, eas Rex Carolus ad Monasterium Fossatense S. Petri anno octingentesimo sexagesimo octavo deferri jussit, quæ Translatio ritu admodum solemni peracta. Innumera populi multitudine confluente, Æneas Episcopus Parisiensis S. Confessoris Corpus

pus in atrio Monasterii exceptum, & suis humeris usque ad Ecclesiam S. Petri delatum, in arca ferrea, ad recipiendas Sacras Exuvias præparata, deposuit. Agebatur tunc Feria IV. post Dominicam Passionis, septima Aprilis. Præterea decrevit Æneas, ut singulis annis in Quadragesima, eadem die recurrente, Successores sui ad illud Monasterium in memoriam hujus Translationis procederent, quod per plura Sæcula sequentia observatum. Contulit etiam huic Monasterio integram Præbendam ab Ecclesia S. Virginis Parisiis accipiendam; quod ex ipsius Epistolis cognoscimus. Nomine Præbendæ illa ætate veniebat portio alimentorum quotidiana, quæ singulis Canonicis præbebatur. Hanc Historiam posterorum memoriæ mandavit Odo, postea Monasterio Fossatensi Abbas præpositus, qui miracula non pauca in illis S. Mauri Translationibus edita recenset. Sæculum IX. A. C. 868. *Cang. Gloss.*

§. XIV.

Tractatus Æneæ Parisiensis contra Græcos.

Sub idem ferme tempus Æneas Episcopus Parisiensis Tractatum suum contra errores Græcorum scripsit. Cum enim Nicolai Papæ de illis quæstionibus Epistolam, jam sub finem anni 867. in *Sup. n. 5. Flod. III. hist. c. 17.*

Sæculum IX. A. C. 868.

Franciam allatam Hincmarus coram Rege Carolo, præsentibus Episcopis, Corbeniaci, Arce Regia Diœcesis Laudunensis, prælegisset, omnibus visum, præcipiendum esse Episcopis & Doctoribus ut adversus Græcos calamum stringerent. Hincmarus hac Epistola ad cæteros etiam, ut Papa jusserat, Archiepiscopos missa, vigesima nona Decembris anno octingentesimo sexagesimo septimo ad Odonem Episcopum Bellovacensem Suffraganeum suum literas dedit excitans ad calamum corripiendum. Scripsit ille, opusque suum misit Hincmaro, qui aliqua in eo invenit necessario emendanda. Ratramus Monachus Corbejensis, in eadem Diœcesi Remensi jubentibus Episcopis scripsit. In Provincia vero Senonensi hanc spartam Episcopus Parisiensis nactus est.

Hincm. Opusc. 51. Flod. III. c. 13. p. 479. & 483.

v. Mabill. præf. to. 6. Act. c. 4. n. 160.

De omnibus Scriptis hac super litis editis non alia ætatem tulerunt, quam Tractatus Æneæ & Ratrami, ut conjicere licet, anno octingentesimo sexagesimo octavo in lucem emissi. Non enim videtur, ad ipsorum notitiam pervenisse, Michaelem Imperatorem e vivis fuisse ereptum, & quæ Basilius ad reducendam cum Ecclesia Romana concordiam fecisset. Tractatus Æneæ Parisiensis in septem quæstiones vel objectiones dividitur. In prima quæstione agit de Processio-

to. 7. Spicil. init.

cessione Spiritus Sancti, adducitque com- Sæculum IX.
plura loca ex Libro, qui S. Athanasii A.C. 868.
esse credebatur, de Unitate Trinitatis. Citat deinde S. Ambrosium, S. Cyrillum, S. Hilarium, Didymum Alexandrinum, tandem S. Augustinum aliosque Latinos Patres. Nam in toto opere contexuit aliorum testimonia nihil ferme de suo addens. c. 20. c. 35.

Secunda quæstio versatur circa Cælibatum Ministrorum Ecclesiæ, affertque primo verba S. Pauli, quibus Continentiam deprædicat, tum Decretales Pontificum, Siricii, S. Innocentii, S. Leonis, auctoritatem Conciliorum & Patrum; unde argumenta eruit, quæ non satis stringunt. 1. Cor. 7. c. 25

In tertia Quæstione de jejunio in Sabbatis & abstinentia in Quadragesima differit in hunc modum notatu dignum: *Abstinentia diverse in diversis regionibus servatur. In Ægypto & Palæstina novem Septimanis ante Pascha jejunant. In aliqua Italiæ parte ab omni alimento cocto tribus in hebdomada diebus per totam Quadragesimam abstinent, fructibus arborum & oleribus, quibus illæ provinciæ abundant, contenti. Alibi vero, ubi tanta fructuum & olerum copia non datur, aliquibus cibis ad ignem coctis indigent. In Germania universa toto Quadragesimæ tempore nec a lacte,* c. 184.

Sæculum IX. A. C. 868. *nec butyro, nec caseo, nec ovis, nisi forte pauci ex privata devotione, abstinent.*

In quarta quæstione de Unctione Presbyterorum in fronte agitur. In quinta de more radendi barbam. In sexta de Primatu Papæ, ubi præcipue Epistolas Pontificum citat, & in fine addit: *Imperator Constantinus Christiana Sacra amplexus Roma excessit, quod diceret, nullatenus oportere, duos Imperatores, alterum hujus terræ, alterum Ecclesiæ Principem, in una urbe regnare; quare Sedem Constantinopoli elegit, Romam vero & magnam de variis Provinciis partem Sedi Apostolicæ subjecit. Romano Pontifici Auctoritatem Regiam concessit, jubens hujus rei Acta conscribi, exinde per totum orbem vulgata.* (*)

c. 218. p. III.

Nemo

(*) Hic iterum suspicionibus mire torquetur Fleurii Adversarius, & queritur, ipsum, cum refert compendium Tractatus Æneæ Parisiensis illud solertissime omisisse, quod dicit, *Pontificibus potestatem esse judicandi in tota Ecclesia; nemini vero jus esse ipsos judicandi, vel eorum judicia retractandi. Ad Summos Pontifices appellari posse a quocunque Judice, ab ipsorum vero sententia appellationem non dari.* Summorum Pontificum legitima in totam Ecclesiam Auctoritas a JEsu Christo accepta ex Fleurii Historia sexcenties demonstratur; unde Adversarius Fleurii Belga, malam ipsius fidem per

Nemo non videt, Æneæ sermonem esse de illa Constantini Donatione, quam in postremis sæculis falsam deprehendimus. Hic vero notandum, hunc primum esse Scriptorem, ut puto, qui eam allegaverit. Ultimo Æneas respondet ad quæstionem de Diaconis per saltum ad Episcopatum promotis. Factum non negat, & dicit, Episcopatum complecti totum Sacerdotium (*) Ceterum Sæculum IX. A. C. 868.

persequens, Vulpanserem venatur, & bonas horas perdit. Eo magis etiam hæc a Fleurio potuerunt bona fide omitti, quod tunc Græci adversus Latinos non disputarent, qualis esset Romanorum Episcoporum potestas, sed proterve affirmarent, eam, qualiscunque esset, ab Episcopis Romanis ad Constantinopolitanos fuisse translatum.

(*) Hoc quidem verum; sed ideo difficilis Quæstio, an Episcopatus sit Ordo absolute distinctus a Presbyteratu, non definitur. Sive enim dicas, esse absolute distinctum, occurrit objectio; quomodo possit distingui, cum Episcopo non tribuatur nova potestas circa ipsum Corporis Christi Sacrificium? Et quomodo Episcopatus & Presbyteratus una Ordinatione conferri potuerint? si tamen adeo constans est assertio, aliquando una Ordinatione fuisse collatos; nam paulo post videbimus, id factum fuisse, Ratramum in suo Tractatu adversus Græcos simpliciter negare. Sive dicas, Episcopatum non esse,

Sæculum IX. A. C. 868.

terum, quis Photius esset, Æneæ Parisiensi usque adeo erat ignotum, ut præsumeret,

esse Ordinem absolute a Presbyteratu distinctum, sed imperfecte tanquam partem a parte in aliquo toto; graviora obstant. Quippe, si ita est, cur Presbytero ordinato, si Episcopus consecretur, nova Ordinatione, nova manuum impositione, confertur Gratia in verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ omnia indicant Sacramentum Ordinis simpliciter distinctum? Præterea, Potestas Episcopalis ordinandi Episcopos & Presbyteros vel procedit ab Ordine vel a Jurisdictione? si dicas, quod procedat ab Ordine quoad substantiam ab Ordine Presbyteratus non distincto, cur non etiam admittis, Presbytero quoad substantiam Ordinem Episcopalem habenti dari posse Jurisdictionem ordinandi Episcopos & Presbyteros, sicut ei confertur jurisdictio absolvendi a peccatis? Si autem dicas, ordinare Episcopos, esse actum Jurisdictionis, cur illa Jurisdictio & potestas in Episcopis dicitur esse indelebilis? cur nova ordinatione confertur? cur, inquam, dicitur, simplici Presbytero non posse concedi, nec etiam ullo unquam tempore (quamvis in Conversione Gentium Presbyteris non utilis modo, sed etiam necessaria fuisset) legitur fuisse concessa?

Quibus addi potest, quod, dum Episcopo in sua Consecratione nova potestas Summos in Ecclesia Sacerdotes ordinandi tribuitur, ei etiam nova potestas si non proxima, remota tamen

meret, esse virum nuptiis illigatum, qui ex brachiis uxoris suæ evocatus, in Sedem Episcopalem translatus fuisset. Sæculum IX. A. C. 868.

§. XV.

Ratrami Tractatus de Processione Spiritus Sancti.

Ratrami Tractatus adversus Græcos majoris ponderis est, quam Scriptum Æneæ. Ille in Præfatione sua adnotat, Græcos cum tempore Ludovici pii Francis scriberent, nihil ejusmodi objecisse. Tunc scilicet, quando Michael Balbus contra imagines scripsit. Item Ratramus Græcis exprobrat, inter ipsos, & potissimum Constantinopoli, complures Hæresiarchas fuisse natos, nullum vero unquam in Sede Romana (*) extitisse. Attamen Liberii Papæ lapsum non inficiatur. *to. 8. Conc. p. 477.* *Sup. Lib. XLVII. §. 2.*

men in ipsum Corpus Christi verum conferatur. Sicut Ordines minores veri & distincti sunt Ordines, quamvis potestatem in Corpus Christi verum non proximam sed remotam conferant.

(*) Signum evidens, quod Deus singulari providentia hanc Ecclesiam custodiat, juxta promissum Christi Domini: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc. 22.

Sæculum IX. A. C. 868.

Ratramus Tractatum suum in quatuor libros divisit, atque in tribus prioribus de Processione Spiritus Sancti egit, in ultimo ad omnes alias objectiones respondit. Initio queritur, quod Imperatores de Doctrina & Ritibus Religionis disputent, *ipsorum in Ecclesia*, inquit, *officium est discere, non vero docere. Negotiis Reipublicæ invigilent, Leges sæculares ferant, intra suos limites se contineant, & Episcoporum Ministerio se non implicent. Qua auctoritate Doctores veri nati rejiciunt Doctrinam, quam Majores eorum semper venerati sunt? Ecclesia Romana nec novam Doctrinam, nec novos Ritus admittit.*

to. 2. Spicil.

l. 1. c. 2.

Tum ad ipsam Quæstionem progrediens ex Sacra Scriptura probat, S. Spiritum æque a Filio ac a Patre procedere. *JEsus Christus dicit ad discipulos suos: cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit. Sistitis*, inquit, *in verbis: qui a Patre procedit, & non attenditis illa: quem ego mittam vobis a Patre. Edicite, quomodo Spiritus Sanctus a Filio mittatur? nam nisi dicitis, hanc Missionem esse Processionem, dicetis esse obsequium, & cum Ario Spiritum Sanctum Filio minorem facietis. Extra omnem dubitationem positum est, cum Christus dicit, se mittere Spiritum San-*

c. 3. Joan. 15. 26.

ctum

Sæculum IX. A. C. 868.

ctum, eo ipso dicere, Spiritum Sanctum etiam a se procedere. Forsan objicietis, Christum non dicere simpliciter: quem ego mittam, sed adjicere: a Patre. Hanc objectionem primi procuderunt Ariani, cum vellent varios gradus in Trinitate constituere. Sed potius, Filius dicit, mittere se Spiritum Sanctum a Patre, quia a Patre habet, quod Spiritus Sanctus a se procedat. Ceterum, cum dicit, Spiritum S. a Patre procedere, non negat, etiam a se procedere. Sed magis subjungit: Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quid aliud S. Spiritus a Filio accipiat, nisi eandem Substantiam, dum procedit ab eo? Ideo Christus adjecit: omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Porro, si omnia quæ habet Pater, etiam Filii sunt, Spiritus Patris est etiam Spiritus Filii. Atqui Spiritus Sanctus nec unius est nec alterius, tanquam minor, vel subditus, ergo tanquam ab uno & ab altero procedens. Hinc etiam appellatur Spiritus Veritatis; sed & Filius Veritas est, sicut ipsemet dicit. Et S. Paulus docet: misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Ecce, non dicit, Spiritum suum, sed Spiritum Filii sui. Nunc vero, an alius est Spiritus Filii, & alius Spiritus Patris? si autem est Spiritus utriusque,

Spiritus S. a Filio procedens.

Joan. 16. 14.

Joan. 16. 15.

Joan. 14. 6.
Ratr. c. 4.
Gal. 4. 6.
Rom. 8. 9.
1. Pet. 1. 10.
Philip. 1. 19.
Act. 16. 7.
Tit. 3. 5.
Act. 2. 33.

Sæculum IX. A. C. 868.

ab utroque etiam procedat, neceſſe eſt. (*) Tunc Auctor complures alios Textus affert, in quibus Spiritus S. vocatur Spiritus JEſu Chriſti, Spiritus JEſu, & ubi dicitur, quod Spiritum S. in Fideles effuderit.

In Libro ſecundo Ratramus affert Auctoritatem Patrum, & primo Concilii Niceni. *Illud in ſuo Symbolo ſimpliciter dicit: credimus etiam in Spiritum Sanctum. Cur Regulam nobis objicitis, quam non obſervaſtis? cur vos Symbolo Concilii Niceni adjeciſtis: qui a Patre procedit? Adjecimus has voces, dicitis, Auctoritate Concilii Conſtantinopolitani, quia quæſtiones de Spiritu Sancto ſupervenerant. Bene factum. Cur vero Eccleſiæ Romanæ poteſtatem ademptam vultis adjiciendi, auctoritate Sacræ Scripturæ, vocem: Filioque, ut aliis quæſtionibus via obſtrueretur? Si dicitis, S. Scripturam diſertis verbis non dicere, Spiri-*

c. 2.

(*) Dicit Fleurii Adverſarius Belga; Mſſ. Fleury fait Theologien. At vero, Fleurio ne quidem in mentem veniſſet, Theologiæ Dogmaticæ medullam circa altiſſimam Religionis Myſteria ex SS. Patribus colligere, niſi in hoc quoque ſcientiæ genere fuiſſet verſatiſſimus. D. Jörger in ſuo Dictionario Virorum Illuſtrium articulum de Fleurio noſtro inchoat his verbis: Claudius Fleury ein Römiſch-Catholiſcher Theologus.

Sæculum IX. A. C. 868.

Spiritum Sanctum procedere a Filio, quamvis implicite dicat. Ostendite nobis, ubi S. Scriptura claris verbis dicat, Spiritum S. cum Patre & Filio esse adorandum & glorificandum, eumque locutum fuisse per Prophetas, quæ verba in Concilio Constantinopolitano occurrunt! at vero necessarium fuit disertis verbis dicere, Spiritum S. procedere a Filio, ad eos damnandos, qui dicebant, Spiritum Sanctum, cum tantum a Patre procederet, esse alterum Filium, & non esse Filii Spiritum.

Ex Patribus Græcis Ratramus primo citat S. Athanasium, sed non alia Opera quam supposititia, nempe Symbolum, quod hodie Vigilio Thapsensi Auctore conscriptum creditur, Librum de propriis Personis, alio nomine, octo Libros de Trinitate, & disputationem adversus Arium, memorati Vigilii Opus. Citat etiam S. Gregorium Nazianzenum & Didymum Alexandrinum. At præcipua argumenta a Patribus Latinis accipit, quos a Græcis rejici non posse demonstrat, nisi se ipsos Schismaticos prodere velint, si dicant apud se solos inveniri Ecclesiam. S. Ambrosius diserte dicit, S. Spiritum a Patre & Filio procedere. S. Augustinus explicans Evangelium S. Joannis, hanc quæstionem ex instituto pertractat, & docet, S. Spiritum procedere a Patre & Filio

Lib. I. c. 3. Lib. II. c. 6.

to. 2. Oper. Atha. p. 601. 1698.

Sup. lib. XXX. §. 8. Ratr. II. c. 35. III. c. 1.

II. c. 4.

Ambr. I. de Spir. S. c. II. n. 119. 120.

Aug. tract. 99. in Joan. n. 6.

Sæculum IX. A. C. 869.

lio, quia tam unius quam alterius Spiritus est. Cum econtra Filius solius Patris Filius sit, & Pater sit solius Filii Pater. *Quare ergo*, objicit sibi, *Filius simpliciter dicit, S. Spiritum procedere a Patre? quia videlicet omnia refert ad eum, a quo & ipse proficiscitur. Sicut in illo loco, ubi dicit: mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* S. Augustinus eadem repetit in Opere de Trinitate, ubi hanc Doctrinam fusius explicat.

n. 8. Joan. 7. 16. Trin. c. 17. 26. 27.

§. XVI.

Articuli ad Disciplinam pertinentes.

Ratramus in suo Libro quarto ceteras novem objectiones, quas Græci adversus Latinos afferebant, refutat. *Hæc silentio præteriri potuissent*, inquit, *cum Fidem non tangant, nisi amovendum esset periculum pusillos scandalizandi. Hic solum agitur de consuetudinibus Ecclesiarum, quæ semper diversæ fuerunt, & ubique similes esse nequeunt. Principio in Ecclesia Jerosolymitana Bona erant communia; sed aliæ Ecclesiæ hujus exemplum sequi non tenebantur.* Tum refert Socratis locum de variis Ecclesiarum consuetudinibus.

c. 1. c. 2. Socr. V. hist. c. 22.

Ad cetera digrediens, incipit a jejunio Sabbati, & affirmat, illud a plerisque Ecclesiis in Occidente non observari,

Sup. lib. XXVI. §. 50.

ri, sed eum morem in Ecclesia Alexandri- Sæculum IX.
na, sicut in Romana vigere. Denique A. C. 868.
hæc consuetudo pro lubitu recipi vel rejici potest. Tum citat epistolam S. Augustini ad Casulanum & subjungit, quod in Magna Britannia mos fuerit jejunare singulis Feriis sextis, & in Monasteriis Hiberniæ toto anno, exceptis Dominicis & Festis. *Sane miravi lubet*, inquit, *quod nos in Sabbato jejunantes reprehendant Græci, qui non damnant in toto Oriente jejunantes die Mercurii & die Veneris, licet ad hæc jejunia Constantinopoli nemo teneatur.*

Objiciunt nobis, quod non per octo se- c. 4.
ptimanas ante Pascha a carnibus, & per septem ab ovis & caseo abstineamus, quasi vero unam consuetudinem omnes servarent, cum tamen permulti ante Pascha sex solummodo Septimanis, alii septem, alii octo, & non nulli etiam novem jejunent. Jejunium.
Atque illis, qui septem aut octo septimanis jejunant, non satis est simplex abstinentia illo tempore, quod sextam Septimanam præcedit. Quantum abest jejunium Græcorum a perfectione illorum, qui toto Quadragesimæ tempore nihil ad ignem coctum comedunt, aut tantum olera sine pane, aut semel tantum vel bis in hebdomada reficiuntur! Omnes consentiunt, jejunium Paschale quadraginta dierum esse oportere; sed quidam jejunant sex integris

Sæculum IX. A. C. 868.

gris septimanis, si Dominicos dies exc
pias, & quatuor diebus Hebdomadæ sept
mæ, sicut Ecclesia Romana, & totus Oc
cidens; alii nec in Sabbatis, nec in Dom
nicis jejunant, alii etiam diebus Jov
non abstinent, & octo vel novem Septim
nas conjungunt, ut quadraginta dierum
numerum impleant.

c. 5. Tonderi, barbam aut capillos radere, est consuetudo nec mala nec bona, & operæ pretium non est, ut Græci talia memorent. Id solum Ratramus notat, Tonsuram Clericalem nihil aliud fuisse, quam cujuscunque propriorum capillorum coronam, qualem in illius ætatis schematibus conspicimus. De Cælibatu Presbyterorum gravior est quæstio.

c. 6. *Obstupescendi omnino locus est*, inquit, *si Græci non intelligant, quod hac in re Romani laude digni sint; si vero intelligant, condolendum profecto, quod contra testimonium propriæ conscientiæ ista efficiant. Si matrimonium ille damnat, qui abstinet; ergo damnarunt omnes Sancti qui cælibes vixerunt, & ipse JEsus Christus, qui illud tamen, cum nuptiis interfuit, sua auctoritate approbavit. Christi, Sanctorumque exempla Romani sequuntur, cum apud illos nuptiæ celebrentur. At Presbyteri morem gerunt consiliis S. Pauli, & nuptiis renunciant, quo a negotiis sæculi sint expediti, atque liberius*

1. Cor. 7. &c.

oratio-

orationi & ſancto ſuo Miniſterio vacare valeant. Sæculum IX. A. C. 868.

Soli Epiſcopi Baptizatos Sacro Chrismate in fronte ad conferendum eis Spiritum Sanctum ungant. Præter Traditionem Eccleſiæ habemus etiam auctoritatem Scripturæ in Actis Apoſtolorum, ubi S. Petrus & S. Joannes in Samariam miſſi dicuntur, ut per impoſitionem manuum Spiritum S. baptizatis communicarent. c. 7. Act. 8. 14. Hic Ratramus Decretalem Innocentii I. Papæ ad Decentium citat. Ad illud quod objiciebant Græci, Latinos Chrisma ex aqua conficere, *hoc*, inquit, *eſt putidum mendacium. Nos enim Chriſma ſicut in omnibus aliis Eccleſiis ex balſamo & oleo miſcemus. Illud quoque commentitium, apud nos conſecrari agnum, atque in Epiſcopos ordinari Diaconos, qui nunquam Presbyteratus Ordinem recepiſſent.* (*) *At Græci, qui nobis hæc objiciunt, Epiſcopum ex ſimplici Laico ordinant.* Quamvis Ratramus hæc duo facta abſolute neget, de primo tamen Walafridus *Sup. lib. XXIII. §. 32.* c. 8. *vid. Mabill. præf. tom. 6. n. 162.*

(*) Saltem id ex negatione Ratrami ſequitur; ejusmodi Ordinationes fuiſſe rariſſimas, nec hujus rei veritatem fuiſſe ſatis exploratam, quam Ratramus ignoraret, alias vir eruditiſſimus. Ceterum ſi de tali ordinatione conſtaret, validum eſſet argumentum pro affirmantibus Epiſcopatum & Presbyteratum unum eſſe Ordinem.

Sæculum IX. A.C. 868.

Iasridus Strabo, ejusdem sæculi Scriptor, qui ante has turbas decesserat, fatetur in quibusdam locis morem fuisse conse-

Walaf. de reb. Eccles. c. 18.

crandi agni prope Altare in die Paschæ, quod tanquam de superstitionis Judaicæ seminario natum damnat. Nihilominus in Ordine Romano hodieque notatur Benedictio Agni in Die Resurrectionis, estque simplex oratio, quali etiam panis & aliæ escæ benedicuntur, quod Græci immerito reprehendissent. Si quid gravius subfuit, abusus hic erat, quem Latini æque ac Græci damnabant. Quod vero spectat ad Diaconos in Episcopos evectos, istud non nunquam factum, ut superius observavimus, Æneas confitetur.

Sup. lib. XLVIII. §. 42.

Ratramus ultimo defendit Ecclesiæ Primatum, quem cum Imperio Roma Constantinopolim migrasse Græci somniabant. *Attamen*, inquit, *Socrates Historiæ Scriptor, natione Græcus, ubi de Concilio Antiocheno ab Arianis celebrato ipsi sermo est, dicit, Julium Episcopum Romanum nec per se, nec per Vicarium huic Concilio interfuisse, cum tamen sine consensu Episcopi Romani Concilia celebrare Lege Ecclesiastica vetitum sit. In Concilio Sardicensi omnibus Episcopis depositis ad Episcopum Romanum appellandi licentia fit. Papæ per suos Legatos omnibus Conciliis Oecumenicis in Orient*

Obj. 7.

Sup. l. IX. §. 34.

Socr. II. hist. c. 8.

Prærogativæ Romanæ Ecclesiæ.

Sup. l. XII. §. 10.

Can. 7.

Oriente celebratis ſicut etiam Niceno per Oſium Epiſcopum, Victorem & Vincentium Presbyteros, præfuerunt. Concilia, quæ Romani Epiſcopi confirmarunt ſua approbatione, in Eccleſia recepta fuere, quæ ipſi rejecerunt, horum nulla eſt Auctoritas. Illa deinde refert, quæ ſub Sancto Leone ad abolendum Concilium Epheſinum, & Calcedonenſe celebrandum acta ſunt, atque omnia ex epiſtolis Imperatorum & hujus S. Papæ probat. Tranſit deinde ad argumenta a Vicariatu Theſſalonicenſi deducta. Tandem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſemper Papæ fuiſſe ſubditum demonſtrat, (*) &

Sæculum IX. A. C. 868.

(*) His Ratrami argumentis Proteſtantes egregie refelluntur. Guilielmus Cave in Sæc. Phot. Articulo de Ratramo ait: *Anno 866. cum controverſia Latinos inter & Græcos gliſceret, Eccleſiæ Gallicanæ Doctores a Nicolao Papa rogati, ut Occidentalium cauſam adverſus Græcos agerent; & in his ſuadente Hincmaro ſuas etiam partes tenuit Ratramus noſter, quas ſtrenue & nervoſe obiit.* Et infra: *Vir erat pius, modeſtus, & haud dubie eruditus, a doctiſſimis quibusque ſui Sæculi viris magni habitus, quia & excepta lite Euchariſtica ab ipſis Scriptoribus Pontificiis ſummis Elogiis ornatus.* Itane, Domine Guilielme, Ratramus veſter (ſi Diis placet) ſtrenue & nervoſe partes ſuas ſuſtinuit? atqui in

Sæculum IX. A. C. 868.

& putat illum, quando ei Titulus Patriarchæ & locus ſecundus conceſſus eſt, ſolummodo Titulum honoris ſine Jurisdictione accepiſſe.

§. XVII.

Concilium Wormatienſe.

Ann. Fuld. 868. *to.* 8. *Conc. p.* 941.

In Germania quoque non defuerunt, qui Græcorum calumnias refellerent, quorum Scripta in Concilio Wormatiæ decima ſexta Maji anno octingenteſimo ſexa-

---

hoc Tractatu ſtrenue & nervoſe aſſerit Romani Pontificis auctoritatem & in tota Eccleſia jurisdictionem, dicit, nulli Concilio Oecumenico ſuam conſtare auctoritatem ſine Romani Epiſcopi conſenſu, affirmat, Concilia omnia a Romano Pontifice approbata, rata perſtitiſſe, ceterorum nullam eſſe auctoritatem, defendit, Epiſcopos Conſtantinopolitanos nunquam non Romano Pontifici ſubjectos. An forſan, quæ adverſus Græcos a viro pio, modeſto, eruditiſſimo nervoſe dicta ſunt, contra te, Græcis conſentientem, non valeant? Ceterum, Ratramum contra ſubſtantiam Doctrinæ Catholicæ de Euchariſtia non pugnaſſe ſuperius demonſtratum. Illud tandem ridiculum, quod dicit Cave, Ratramum a quibusvis ſui ſæculi viris doctiſſimis magni habitum, & ab ipſis Scriptoribus Pontificiis ornatum. Quaſi vero in illo Sæculo præter Scriptores Pontificios alii, niſi forte Photius, exſtitiſſent, aut ipſe Cave in hoc Sæculo nominare alios potuiſſet.

sexagesimo octavo celebrato, Ludovico Rege praesente, fuere approbata. In eodem Concilio permulti Canones, ad Disciplinam pertinentes, conditi. Sunt qui octoginta numerent, sed in exemplaribus optimis solummodo quadraginta occurrunt. In his Canonibus, qualis poenitentiae publicae usus viguerit, & varii poenitentium gradus, sicut in epistolis Nicolai I. Papae, dignoscuntur. Dominis auctoritate privata servos suos occidere prohibetur; sed poenitentia ultra annos duos non extenditur. Pueri Monasteriis a parentibus oblati adhucdum secundum S. Benedicti Regulam, & Concilium Toletanum quartum teneri censentur.

Saeculum IX. A. C. 868.

Not. Surii. p. 954.

Can. 25. 26. 27. &c.

c. 38.
c. 22.
Reg. c. 59.
Conc. Tol. c. 49.

§. XVIII.

Epistolae Basilii & Ignatii ad Papam datae.

Responsa ad objectiones Graecorum data tunc quidem effectu caruerunt, quoniam, Photio earum auctore pulso, nemo fuit, cui de his disputare curae esset. (*) Nemo prius de Photio ejecto & Ignatio restituto quam Euthymius Spatharius, Imperatoris Legatus, Romam nuncium attulit. Porro Theognostus Abbas,

Ep. Had. to. 8.

Conc. p. 1086

(*) Erga tunc Schisma potius solius Photii, quam Graecorum dicendum erat.

Sæculum IX. A. C. 868.

Sup. lib. L. §. 14.

to. 8. Conc. p. 1084.

Abbas, ab Ignatio Monasteriorum in quibusdam provinciis Exarchus constitutus, qui ejusdem Patriarchæ querelas ad Papam detulerat, & ab annis circiter septem Romæ morabatur, cum bonum nuncium accepisset, cum Euthymio Constantinopolim rediit, eique Papa epistolas duas, alteram ad Imperatorem Basilium, alteram ad Ignatium Patriarcham, prima Augusti, Indictione prima, nempe anno octingentesimo sexagesimo octavo datas commisit. In utraque edicit, se omnia illa, quæ Nicolaus Papa in causa Ignatii & Photii egisset, rata & firma conservaturum.

Haud multo post tempore, ex quo Euthymius Romam adveniisset, Joannes quoque Metropolitanus Sylei, alio nomine Perges in Pamphilia, Ignatii Apocrisiarius, & Basilius cognomento Pinacas, Spatharius, & Basilii Imperatoris Legatus in Urbem pervenerunt. Petrus vero Metropolita Sardensis, Photii Apocrisiarius, in itinere periit naufragio, ex quo unicus Monachus, nomine Methodius salvus evasit. Is deinde Romam se contulit, ubi ter ad judicium vocatus, cum non veniisset, anathemate percussus est, & abscessit. Hadrianus vero Papa Patriarchæ & Imperatoris Legatos in Sacrario Sanctæ Mariæ Majoris de more Episcopis & Optimatibus præsenti-

bus

bus excepit. Intrant Græci inter summæ venerationis signa, & epistolas atque dona ad Nicolaum Antecessorem ejus directa Hadriano reddunt. In epistola Basilii Imperatoris mentio fiebat literarum Euthymio commissarum, & cum Constantinopolitani necdum scirent, an illæ Romæ fuissent acceptæ, Summa repetitur in hunc modum: *Cum Imperium susceperimus*, inquit Imperator Basilius, *habuimus Ecclesiam nostram legitimo suo Pastore privatam & mercenarii cujusdam tyrannidi subjectam. Unde Photium ejecimus, acquiescere jussum, & revocavimus Ignatium Patrem nostrum, manifeste oppressum, & innocentem declaratum per complures epistolas vestras, quas adversarii solertissime occultarunt. Jam vero vestrum est, ea quæ fecimus, rata habere, & reliqua componere; nimirum decernendum vobis est, quid de illis faciendum, qui cum Photio communicarunt. Sunt quidam Episcopi & Presbyteri, qui ab Ignatio ordinati, cum datis litteris se obligassent, ab eo nunquam recessuros, fidem fefellerunt. Alii a Photio ordinationem acceperunt. Permulti eundem qua compulsi, qua seducti, secuti sunt. Quia vero omnes ferme Episcopi & Presbyteri nostri hanc culpam admiserunt, rogamus, ut super eos vestra misericordiæ viscera commoveri sinatis, ne tota nostra Eccle-*

Sæculum IX. A. C. 868. Basilius Imperator Papæ. p. 1007.

Sæculum IX. A.C. 868.

sia naufragio intereat. Præprimis parcendum est illis, qui pœnitentiam agere volentes ad te Summum Sacerdotem confugiant. Qui vero in viam rectam reduci nolunt, pœnas canonicas effugere non possunt. (*) Hæc epistola undecima Dec. anno 867. data.

Ignatii Patriarchæ epistola summatim
p. 1009. eadem continet; atque in exordio Ignatius Primatum Papæ, ejusque Auctoritatem, qua ad sananda totius Ecclesiæ vulnera præditus est, sincere profitetur. Recenset, quantas ærumnas Joannes Sylei Legatus suus, & Petrus Episcopus Troadenus, quem ei itineris socium dederat, pertulerint. Compluribus, quos ipse ordinasset, durasse constantiam dicit, & subjungit: *Paulus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia, a Photio ordinatus, etsi in priore Concilio nobis fuerit adversatus, in secundo tamen nos damnare volentibus fortiter se opposuit.*

His epistolis Hadriano Papæ redditis, Græcorum Legati Sanctæ Romanæ
vit. Hadr. p. 888. Ecclesiæ multiplices gratias retulerunt, cujus conamine Ecclesia Constantinopolitana

(*) Hoc Testimonium contra Protestantes vel ideo est validissimum, quod nulla causa, nullum emolumentum temporale appareat, cur Basilius Græcorum Imperator Romano Episcopo adulari voluisset.

litana a schismate purgata fuisset, & adjecerunt: *Imperator Basilius & Patriarcha Ignatius, Photio ejecto, librum repererunt, calumniis adversus Ecclesiam Romanam, & Nicolaum Papam plenum, quem tibi bullatum, ad eum examinandum miserunt, petentes, ut tanquam Summum* (*) *Ecclesiæ Caput declares, quid de illo conciliabulo sentiendum sit.* Papa respondit: *Placet hunc librum examinare, quo ejusdem Auctor jam tertio condemnetur.* Tum egressus Metropolita, iterumque ingressus, librum exhibuit, & in terram projecto imprecatus, *tu maledictus*, inquit, *Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus!* & Spatharius, calce suo, ensequelibrum percutiens, *credo*, ait, *quod in hoc opusculo Diabolus habitet, quia per os Photii, quod ipse dicere nequit, eructat. Nam & Subscriptionem Imperatoris Basilii Domini Nostri, falsissime continet, post Nomen Michaelis, quem quadam nocte ebrium Photius ad subscribendum compulit. Eam vero Subscriptionem Basilii non esse, satis manifestat Ignatii Patriarchæ Restitutio; quod non recusamus juramento affirmare. Sed Photius Basilii manum, quemadmodum*

Sæculum IX. A. C. 868.

(*) Hujusmodi Græcorum Testimonia tam contra ipsos Græcos Schismaticos, quam contra omnes ab Ecclesiæ Romanæ Communione separatos, invicta & æterna monumenta sunt.

Sæculum IX. A.C. 868.

dum & aliorum Episcoporum absentium insigni fraude imitatus est. Nemo Constantinopoli Conciliabulum istud celebrari vidit, quia nunquam celebratum fuit. Sed Photius arrepto prætextu quod Constantinopoli nunquam non, sicut & hic Romæ, ex illa Provincia complures Episcopi versentur, dicitur, deficientibus Episcopis, multos homines e diversis civitatibus fugitivos pecunia corruptos, ad subscribendum adegisse. Inde est, quod diversi appareant caracteres, jam acutiore penna, jam grossiore, jam qui virorum vacillante manu ob decrepitam ætatem membranam inquinantium credi possint. Hic quidem scriptionis varietatem videbitis, sed totam nequitiam, nisi Constantinopolim miseritis, qui inquirant, non cognoscetis.

§. XIX.

Concilium Romanum.

Ergo Summus Pontifex librum utriusque linguæ græcæ & latinæ peritis tradidit, qui eum accurato examini subjicerent. Tum consentiente Senatu populoque Concilium in Basilica S. Petri convocat, ubi Legati Constantinopolitani auditi, & Literæ Nicolai Pontificis recitatæ. Mox Joannes, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, postea Papa, Hadriani nomine sermonem legit, in quo post-

to. 8. p. 1087.

quam

quam Photii crimina expoſuit, & Nicolai Papæ eundem damnantis conſtantiam laudavit, dicit: *Deliberate ergo, Fratres mei, quid a nobis tam de iſto Conciliabulo Actisque profanis, quam de illis, qui ſubſcripſerunt, ſtatuendum ſit. Edicite, quid cenſeatis; ad me quod ſpectat, omnia ſuſtinere, etiam ipſam mortem, pro Lege Dei, pro auctoritate Canonum, pro Sacræ Sedis privilegiis, pro memoria & Actis Nicolai Papæ Anteceſſoris mei, non recuſo.* Hoc ſermone recitato, Gaudericus Epiſcopus Velitrenſis Reſponſum nomine Concilii legit, in quo Epiſcopi Pontificem ad damnandum Conciliabulum, Conſtantinopoli ab hominibus Photianæ factionis, regnante Michaele habitum, exhortantur. Porro Marinus Diaconus ſecundum ſermonem Papæ legit, in quo dicit: *Cum Liber continens Acta hujus Conciliabuli ad nos a Patriarcha & Imperatore miſſus fuerit, jam decernamus, quid de eo faciendum. Ego quidem cenſeo, hunc nequitiæ partum cunctis, & præcipue Legatis Græcorum præſentibus, eſſe tradendum flammis, & in cineres redigendum.* Concilium per os Formoſi Epiſcopi Portuenſis reſpondit: *Juſta eſt hæc ſententia, omnes eam approbamus, rogamus te, ut eam opere compleas.* Petrus deinde Diaconus & ſcriniis præfectus legit tertium

Sæculum IX. A. C. 868.

Sæculum IX. A. C. 868.

Papæ ſermonem, in quo in temeritatem Photii intolerabilem, qui Nicolaum Papam damnare auſus fuiſſet, invehitur. *Siquidem Romanum Pontificem*, inquit, *de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorius ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quod fuerit Hæreſis accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum voluntati reſiſtere; quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam fas fuerit de eo proferre ſententiam, niſi ejusdem primæ Sedis præceſſiſſet Auctoritas.* (*) In hoc loco Hadrianus, damnatum fuiſſe Honorium diſerte fatetur. Benedictus Notarius & Scriniarius alterum legit Concilii Reſpon-

(*) Mirum! quod Hadrianus Papa Honorii memoriam ſine neceſſitate damnet, cum ſuperius Num. X. in epiſt. ad Epiſcop. Franciæ dixiſſet ad honorem Anteceſſoris ſui Nicolai: *Si modo* (Nicolai Adverſarii) *facta propria excuſent, non vero accuſent Magnum Pontificem, qui nunc coram Deo ſtat, & quem in vivis agentem nemo arguere auſus eſt.* Certe Honorium Papam in vivis agentem nemo accuſavit. Ceterum ex his ſaltem diſpicitur, Hadrianum Papam illam tenuiſſe ſententiam, quod unius Pontificis error Sacræ Sedis infallibilitati non noceat.

Sæculum IX. A. C. 868.

sponsum, in quo ab exemplis Joannis Antiocheni & Dioscori confirmatur assertio, Superiorem ab Inferiore judicari non posse. Nihilominus Episcopi Papam rogant, ut satis esse putet, Photium damnare, & complicibus parcat, si modo tam viva voce quam datis literis, quæ ipso Duce egerunt, damnaverint.

Tunc vero Papa suo ore pronunciavit sententiam quinque articulos complexam in hunc sensum: *Decernimus, ut Conciliabulum non multo abhinc tempore a Photio & Imperatore Michaele ejusdem Fautore adversus Apostolicæ Sedis reverentiam congregatum, utpote veritatis inimicum & omni falsitate repletum, aboleatur, igni devorandum tradatur, & anathemate perpetuo feriatur.* *Idem de ceteris scriptis, quæ tam Photius quam Michael diversis temporibus contra S. Sedem vulgarunt, & de duobus Conventiculis ab iisdem adversus Fratrem nostrum Ignatium statuimus, eaque medullitus execramur.* *Damnamus iterum Photium, juste ob crimina ante patrata tam a nobis quam ab Antecessore nostro damnatum, ob delicta recentiora, cum ponens in cælo os suum contra Nicolaum Papam & contra nos nova temeritate prorupit, & anathematis nexibus innodamus.* *Nihilominus, si viva voce, ac scripto proprio nobis in omnibus, quæ tam per*

p. 1093.

c. 1.

c. 2.

Sententia in Photium.

c. 3.

Sæculum IX. A. C. 868.

per nos quam per Anteceſſorem noſtrum ſtatuta ſunt, obedire ſpoponderit, & Conciliabuli ſui Acta damnaverit, Laicæ Communionis ei gratiam non negamus. Illi vero, qui conſenſerunt, aut Conciliabulo ſubſcripſerunt, ſi Decretis Anteceſſoris mei obedierint, & ad communionem Ignatii Patriarchæ redierint, ſi Conciliabulum anathematizaverint, & exemplaria combuſſerint, Eccleſiæ Communione fruantur. At filium noſtrum Imperatorem Baſilium, cum ejus nomen illis Actis falſo adſcriptum ſit, ſicut etiam Ignatii Patriarchæ, ab omni damnationis ſententia liberamus, & in numerum Imperatorum (*) Catholicorum recipimus. Quicunque, ſi ad ejus notitiam hæc Sancta Apoſtolica pervenerit, Exemplaria illius Conciliabuli penes ſe retinuerit, ea non indicaverit, vel igni tradiderit, excommunicetur, vel ſi Clericus eſt, deponatur. Quæ non ſolum de Conſtantinopolitanis, ſed & Alexandrinis, Antiochenis, Jeroſolymitanis atque de omnibus omnino Fidelibus decernimus.

c. 4.

Huic

(*) Ex his videmus, SS. Pontifices non exiſtimaſſe, Imperatoribus Orientis, cum Carolus Magnus a Leone III. in Occidente coronatus eſt, aut jus in Provincias, quas poſſidebant, aut Dignitatem Cæſaream fuiſſe ademptam.

Huic Sententiæ subscripserunt triginta Episcopi. Primi duo conspiciuntur Hadrianus Papa, & Joannes Archiepiscopus Ignatii Patriarchæ Legatus. Post nomina Episcoporum visuntur nomina Cardinalium, id est, Ecclesiæ Romanæ Presbyterorum novem, & Diaconorum quinque. Ceterum hæc acta veterum Conciliorum Actis non erant similia, nec simpliciter referebantur verba in ipso Conventu prolata, sed sermones, prius in otio compositi; quod ad Concilium anno 649. a S. Martino Papa habitum observavi. Concilio soluto, Liber, quem Constantinopoli attulerant, Acta Conciliabuli Photiani continentem, ante fores in gradibus ponitur, calcatur, & in rogum ingentem conjectus consumitur. Sæculum IX. A. C. 868. *Sup. lib. XXXVIII. §. 53. vit. Hadr. p. 889.*

§. XX.

Anastasius Bibliothecarius excommunicatur.

Conjectura est, in eodem Concilio Anastasium Bibliothecarium Excommunicationis fulmine fuisse perculsum. Accidit die decima Martii eodem anno octingentesimo sexagesimo octavo Feria IV. primæ septimanæ in Quadragesima, ut Eleutherius filius Arsenii Episcopi, olim in Francia Legati, filiam Hadriani Papæ alteri desponsatam deciperet, raperet, & illicito connubio sibi copularet. *Ann. Bert.* 868.

Sæculum IX. A. C. 868.

ret. Arsenius Beneventum ad Ludovicum Imperatorem se recepit, ubi morbo correptus, divitiis suis in potestatem Ingelbergæ Imperatricis traditis, sine Communione, atque cum Dæmonibus, ut aliqui referebant, confabulans, decessit. Arsenio defuncto Hadrianus Papa Mandatarios ab Imperatore obtinuit, qui secundum Legum Romanarum rigorem Eleutherium judicarent. Hic vero, malum! Stephaniam Papæ conjugem, eorumque filiam, a se raptam, novo scelere necat, quod atrox facinus impellente fratre suo Anastasio, quem Hadrianus, cum Pontificatum auspicaretur, Bibliothecæ Ecclesiæ Romanæ præfecerat, ausus fuisse dicebatur. Judices ab Imperatore delegati Eleutherium ad mortem damnatum interfecerunt; (*) Papa vero Anastasium in Concilio anathemate percussit.

Sententia in Anastasium lata ita se habebat: *Omnibus Christi Fidelibus nota sunt, quæ Anastasius sedentibus Pontificibus Antecessoribus nostris gessit. Nemo ignorat, quid de eo Leo & Benedictus decreverint, quorum alter ipsum depo-*

suit,

(*) Hic ad elucubrandam Quæstionem de Jurisdictone Ecclesiæ observandum, quod Eleutherius non a Summo Pontifice, sed ab Imperatore morti addictus fuerit.

Sæculum IX. A. C. 868.

fuit, excommunicavit, & anathematizavit, alter vestibus Sacerdotalibus privatum ad Communionem laicam recepit. Exinde eum Nicolaus Papa restituit, si modo promitteret, se Ecclesiæ Romanæ fidem servaturum; at ille, Palatio nostro Patriarchali expilato, Acta Conciliorum, in quibus damnatus fuerat, surripuit, supra muros Urbis hujus viros clam emisit, qui inter Principes & Ecclesiam discordiam seminarent, & ipso potissimum auctore quidam ADALGRIM *nomine in Ecclesiam frustra confugiens oculis & lingua privatus fuit. Tandem, quod mecum complures ex vobis, referente quodam Presbytero, nomine Adone, ipsius propinquo, beneficiorum a nobis acceptorum immemor, misso ad Eleutherium homine, ad nefandas cædes, quas perpetratas esse scitis, vacillantem incitavit. Hinc eundem Anastasium, secundum judicia Pontificum Leonis & Benedicti, omni Communione Ecclesiastica privari decernimus, donec omnia sibi objecta in Concilio diluerit. Quicunque cum ipso vel solo alloquio communicaverit, in eandem excommunicationem incurrat. Si ipse Roma vel ad unius lapidis jactum excedat, aut quodcunque Ecclesiasticum ministerium peragere audeat, tam ipse quam conscii anathemate perpetuo sint obligati.* Hæc sententia Anastasio in Ecclesia S. Praxedis

Sæculum IX. A. C. 868.

xedis duodecima Octobris, Indictione secunda, anno octingentesimo sexagesimo octavo publice denunciata est. (*)

§. XXI.

S. Cyrillus & S. Methodius Romæ.

Sup. lib. L. §. 55.

Duo illi Sclavorum Apostoli Constantinus Philosophus & Methodius ejus Frater, a Nicolao Papa vocati, ipso jam defuncto Romam pervenerunt, quos eo majore lætitia Hadrianus Papa excepit, quod S. Clementis Corpus afferrent; undo adventantibus cum Clericis & populo extra urbem obviam processit. Ambos consecravit Episcopos, eorumque Discipulos, quos adduxerant, Presbyteros aut Diaconos ordinavit. Haud multo post Constantinus, abdicato Episcopatu, vitam Monasticam amplexus nomen Cyrilli accepit, quod ei frequentius tribuitur. Obiit Romæ; sed frater ejus Methodius in Moraviam reversus est, labores Apostolicos prosecuturus, relicto Romæ

Boll. 9. Mart. to. 7. p. 21.

ibid. p. 2. n. 8.

(*) Caveus in Anastasio hæc habet: *Restat igitur ut paucis disquiramus, utrum Cardinalis & Bibliothecarius unus idemque fuerit Anastasius. Eundem censent Vossius, Lambecius, Sagittarius, alii. Diversum faciunt Labbeus, Ciampinus &c.* Tunc eorum conjecturas affert; sed graviora videntur, quæ unum eumdemque fuisse suadent.

Romæ Cyrilli corpore, quod in Ecclesia S. Clementis depositum; nam illud secum auferendi potestatem impetrare non potuit. Sæculum IX. A. C. 868.

S. Clementis corpus exinde ad Casam auream, Monasterium a Ludovico Imperatore in Insula fluvii Pescariæ in Apulia fundatum delatum est. Hanc congregationem Imperator a se erectam anno circiter octingentesimo sexagesimo sexto, cum arma contra Saracenos moveret, reliquo Regni sui tempore, compluribus fundis adjectis locupletavit. *Chr. Casaur. to. 5. Spici. p. 381.*

§. XXII.

Initia Causæ Hincmari Laudunensis.

Sub idem ferme tempus Hadriano Papæ Libellus Hincmari Episcopi Laudunensis contra Regem Carolum, Dominum suum, & Hincmarum Archiepiscopum Remensem, Metropolitam suum, & Avunculum, redditur. Cum Hincmarum Laudunensem multa ab eo vi & injuste acta Clericis populoque suæ Diœcesis invisum reddidissent, illi ad Regem in ea regione per æstatem anni 868. commorantem querelas detulerant. Præter alia accusabatur, quod quibusdam Vasallorum suorum Beneficia (id est Feuda) eripuisset. Jussit Rex, ut misso mandatario coram Optimatibus causam diceret. Sed ille nec per se, nec per *Ep. Hincm. Rem. to. 8. Conc. p. 1660* *Ann. Bert. 868.*

Sæculum IX. A. C. 868.

mandatarium in loco constituto adfuit, nec quemquam constituit, qui suo nomine de more patrio absentiam edito juramento excusaret. Solummodo misit, qui Regi dicerent, se Judicium sæculare salva jurisdictione Ecclesiastica non posse subire. Ergo Rex Episcopum omnibus bonis, quibus in Regno suo fruebatur, privat; sed mense Augusto sequente cum Archiepiscopus Remensis Nepotem suum eundem Episcopum Laudunensem ad Comitia Pistensia adduxisset, & cum ceteris Episcopis Regi exposuisset, quantum ista Bonorum occupatio Auctoritatem Episcopalem læderet, obtinuit, ut Episcopus in possessionem restitueretur, causa autem in illa provincia a delectis Judicibus & deinde, si opus esset, in Concilio definiretur.

Opuscul. Hincm. to. 8. Conc. p. 1735. &c. Conc. Duz. par. 2. c. 4.

Judices delecti pronunciarunt; Laudunensi possessionem Bonorum suorum adimi non debere, exceptis fundis Puliacensibus, quos Rex consentiente Episcopo cuidam Optimati, nomine Normanno, in Feudum dedisset. Displicuit vero Laudunensi Hincmari avunculi & Concilii, cui præfuerat, Sententia; quare Clericum, Celsanum nomine, insciis Rege & Archiepiscopo ad Papam dimisit cum epistola, in qua contra utrumque & Normannum querebatur, & adjiciebat, voto se obstrinxisse, quo Romam ad visenda

Ep. Hincm. 1766. cum not. Coll.

Sæculum IX. A. C. 869.

senda limina Apostolorum proficiscí teneretur. Rescripsit Papa Hadrianus datis duabus epistolis similibus, una ad Archiepiscopum Remensem, altera ad Regem Carolum directis. Jubebat Pontifex, ut Episcopi Laudunensis itineri faverent, atque ipso absente Ecclesiam ejus curarent, addita comminatione excommunicationis contra Normannum, nisi protinus agros Ecclesiæ Laudunensis occupatos restitueret, & contra omnes, qui absente Episcopo quamcunque partem Bonorum illius Ecclesiæ invaderent. Hac epistola mense Decembri anno 868. Regi Carolo Cadurci ad Æsiam commoranti reddita, impatientissime tulit, quod Episcopus Laudunensis se inscio Romam misisset, seque apud Pontificem, quasi Bona Ecclesiæ raperet, calumniaretur.

Hadr. Pap. ep. 16. 17.

Ann. Bert. 868.

Multo magis Regem jam ante commotum concitavit Episcopi se insalutato discessus, quippe Laudunum se recepit, postquam a Rege sæpius ad Colloquium nequicquam vocatus fuisset. Hinc, ineunte anno 869. cum comperisset Rex, eum pacta iniisse cum Rege Lothario, quibus in ipsius Regno Sedem figere Laudunensi liceret, Vasallis Episcopatus Laudunensis imperavit, ut Compendium, ubi tunc versabatur, ad se venirent. Obtemperarunt aliqui, alii, ne parerent, ab Episcopo prohibiti. Misit

ibid. ann. 869.

Hincmar. Sched. c. 4.

Sæculum IX. A. C. 869.

Misit Rex duos illius Provinciæ Episcopos, Odonem Bellovacensem, & Guilbertum Catalaunensem, qui districte suo nomine præciperent, ut tandem veniret. Simul Comites copiasque misit, qui vasallos refractarios vel invitos adducerent.

to. 8. Conc. p. 1557.

Ubi Episcopus Laudunensis viros militares adventuros scivit, priusquam adessent, Clericos suos in Ecclesiam Cathedralem Sanctæ Virginis convocavit; postea autem, Presbyteris in manibus suis lignum Crucis & Evangelia tenentibus, Excommunicationem & Anathema contra omnes pronunciavit, qui vi adhibita in hunc sanctum locum & in suam Diœcesim irrumperent, & contra omnes complices; unde nec ipse Rex excipiebatur. Duo advenientes Episcopi efficere non potuerunt, ut mentem mutaret; cumque militum Duces intrarent, cum suis Clericis ante Altare substitit. Episcopi vero præsentes cohibuere Comites, ne vi militari Hincmarum ex Ecclesia abstraherent. Satis ergo facturos se crediderunt, si a Vasallis Episcopi novum fidelitatis Sacramentum Regi præstari exigerent, & ad eum redierunt. Ipsis vero vix dum egressis, Episcopus aliud rursus a Vasallis juramentum petiit.

Ann. Bert.

Hincmarus Laudunensis.

Rex magna indignatione commotus Concilium omnium Episcoporum Regni sui

sui indicit, vigesima quarta Aprilis eodem anno octingentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda Vermeriæ celebrandum, & Episcopum Laudunensem adesse jubet. Convenere Episcopi viginti novem, adnumeratis octo Metropolitis, Rege ipso præsente. Synodo præerat Archiepiscopus Remensis, quæ nempe in sua Diœcesi habebatur, advenitque Episcopus Laudunensis. Ibi accusatus, prementibus Adversariis, ad Papam appellat, petitque Romam eundi licentiam, quæ ei denegata est; suspensum tamen fuit judicium, & ultra nihil actum. Præterlapso non longo tempore Episcopus Laudunensis, Clericos suos refractarios expertus, omnes excommunicat, Missam celebrari in tota sua Diœcesi prohibet, item, infantes quocunque periculo mortis instante baptizari, cuiquam pœnitentiam, Viaticum, aut mortuis sepulturam concedi interdicit. Rex, ut furentem contineret, in quodam loco Diœcesis suæ, qui Silvacum dicebatur, inclusum in carcere custodiri jussit; post breve tamen tempus libertati eundem reddidit.

Sæculum IX. A. C. 869.

to. 8. Conc. p. 1527.

Hincm. to. 2. p. 604.

Conc. Duziat. pag. 1558. 1645.

Hincm. to. 2. p. 341.

§. XXIII.

Lotharius in Italia.

Inter hæc Lotharius Rex in Italiam venit, prius cum Imperatore fratre suo collaturus consilia, deinde Romam itu-

Ann. Bert. 869.

Sæculum IX. A. C. 869.

rus; sperabat enim Imperatorem effecturum, ut auctoritate Papæ Theutbergam dimittere, & Waldradam ad se revocare posset. Unde Theutbergam se Romam proficiscentem sequi jusserat. Mensis Junius agebatur, cum Lotharius Ravennam perveniens Ludovici fratris, Imperatoris, Saracenos Barium propugnantes obsidentis, Legatos obvios habuit. Hi monuere Lotharium, ut in Regnum suum reverteretur, diutius in Italia morari nollet, & hunc conventum in tempus magis opportunum differret. Lotharius nihilominus institutum iter prosecutus Beneventum ad Fratrem se contulit, ubi Ingelbergæ Imperatricis animo summis precibus & plurimis muneribus expugnato, ab Imperatore Ludovico obtinuit, ut illa cum eo ad Monasterium Cassinense veniret, & jubente Imperatore Hadrianus Papa quoque advocaretur. In illo igitur Monasterio & Imperatricis precibus & Lotharii donationibus fatigatus Papa promisit, se coram eo Missæ Solemnia celebraturum, eique daturum Communionem, si ipsi & Waldradæ nullum commercium ne quidem vocis intercessisset, ex illo tempore, quo eam Nicolaus Papa a communione Fidelium ejeciisset. Gunthario etiam Archiepiscopo Colonienſi, qui funesti divortii auctor & incentor habebatur,

tur, promissa fuit Communio, postquam prius scriptam manu sua professionem tradidisset, hujusmodi: *Profiteor coram Deo & Sanctis ejus vobis Domino meo Hadriano Summo Pontifici,* (*) *& coram Episcopis tibi subditis, & toto Conventu; quoniam judicium depositionis in me a Domno Nicolao canonice datum non reprehendo, sed humiliter porto; unde nec ulterius Sacrum Ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subvenire volueritis. Nec aliquando contra Sanctam Romanam Ecclesiam, aut ejus Pontificem aliquod scandalum movere volo, sed eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ obedientem me permanere protestor.* Hic Libellus prima Julii anno 869. in Ecclesia S. Salvatoris Montis Cassini datus erat. Papa accepta hac professione Gunthario Communionem Laicam concessit. Sæculum IX. A.C. 869.

Engelberga denique ad Imperatorem conjugem suum redeunte, Hadrianus Papa Romam reversus est, quem e vestigio secutus Lotharius ad S. Petrum extra Civitatem substitit. Nemo Clericorum ipsi obviam progressus; sed ipse cum suis usque ad Sepulchrum S. Petri ad orandum processit, moxque ad ædes

(*) In Annalista **Bertinensi**, referente **Pagio**, additum est hic: *& Papæ universali.*

Sæculum IX. A. C. 869.

sibi ad diversandum destinatas digressus, eas ne quidem scopis mundatas habuit. Sabbatum erat, & credebat die sequenti Dominica Missam se præsente celebrandam esse. Sed id a Papa obtinere non potuit. Romam deinde intravit, ubi a Papa honorifice exceptus, & interrogatus, an monita Nicolai Papæ fideliter fuisset secutus, respondit, se ea velut mandata de Cœlo accepta servasse. Tum proceribus, qui Regem circumstabant, confirmantibus, quod verum diceret, reposuit Papa: *Si testimonium vestrum verum est, maximas agamus Deo gratias.* Ann. Met. 869. *Restat igitur, Chare Fili, ut ad Sepulchrum S. Petri venias, ubi adjuvante Deo Hostiam salutarem immolabimus pro Salute corporis & animæ tuæ; sed & tu mobiscum particeps ejusdem Sacrificii fieri debes, ut membris JEsu Christi, a quibus eras separatus, iterum conjungaris.*

Sub finem Missæ Papa Regem Lotharium invitat; ad Sacram mensam accederet, & in manibus accipiens Corpus & Sanguinem JEsu Christi, dicit: *Si conscius tibi non es adulterii, quod Nicolaus Papa tibi interdixit, & si sincere animo constituisti, nunquam quoad vives Waldradæ concubinæ tuæ conjungi, confidenter accede, & accipe Sacramentum Salutis æternæ, quod tibi conferat remissionem peccatorum tuorum. Si vero deinceps*

ceps adulterium fugere non vis, cave, illud ausu temerario accipias, ne quod Deus Fidelibus suis præparavit remedium, in tuam damnationem vertat. Rex nihil hæsitavit de manu Pontificis Communionem accipere. Tum Papa ad proceres Regem sequentes, cum singulis Communionem offerret, dicit: *Si in malum, quod fecit Lotharius Rex tuus, non consensisti, & cum Waldrada, aliisve a Sacra Sede excommunicatis non communicasti, Corpus & Sanguis Domini Nostri JEsu Christi custodiat te in vitam æternam.* Pauci aliqui recesserunt; sed plerique communicarunt. Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXIV.

Lotharius moritur.

Rex Lotharius in Communionem Ecclesiæ receptus, venit in Palatium Lateranense, & cum Pontifice prandio assedit, cui vasa aurea & argentea maximi pretii donavit. Ceterum petiit, ut sibi Papa leænam, palmam, & ferulam daret, quas res ab eo obtinuit. Rex vero cum suis hæc munera ita interpretabatur: videlicet per leænam significari Waldradam, quæ sibi restitueretur, per palmam, victorem se futurum, & per ferulam indicari auctoritatem, qua Episcopos sibi obsistentes subjecturus esset. Ferula est planta ex Africa, cujus stipes *Ann. Bert.*

Sæculum IX. A. C. 869.

tenuis quidem sed firmus senibus ad fulciendum corpus & præceptoribus ad castigandos tyrones commodum habebatur instrumentum. Illam etiam tunc temporis Episcopi tanquam Insigne potestatis suæ in manu gestabant, cujus loco hodie Lituo utuntur. Sed longo alius ac Regi Lothario Hadriano Papæ animi sensus fuit. Quippe causam hujus matrimonii judicare constituebat in Concilio, quod anno sequente, prima Martii, Romæ celebrandum indixerat; jam tunc autem Formosum cum alio Episcopo in Galliam misit, ubi cum ceteris illius Regionis Episcopis, quæ Lotharius petebat, examini subjicerent, & ad Concilium deferrent. Ex Ludovici Germanici Regno quoque Episcopis quatuor præcepit, ut ad illud Concilium Romanum venirent, & præterea volebat hoc negotium in eodem Concilio ab aliis Episcopis ex Occidente aliisque ex Oriente, quos cum Legatis suis Constantinopoli redeuntibus venturos sperabat, mature pensari.

Cang. Gloss.

Interim Lotharius Roma lætus excedit, ratus nihil subesse, unde angeretur, & usque Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur. Tum, derepente clade in suos grassante, eos coacervatim mori conspicit; sed judicium Dei intelligere nolens, Sabbato sexta Augusti Placentiam intrat, & altera die subsistit. Tunc vero,

Sæculum IX. A. C. 869.

vero, hora circiter nona inopinate inanimis pæne efficitur & obmuteſcit. Die Lunæ ſequente octava Auguſti hora diei ſecunda moritur, & a paucis ſuorum, qui ab illa pernicie ſupererant, in parvo monaſterio ſecus civitatem terræ mandatur, poſtquam annos prope quatuordecim ab obitu Patris ſui regnaſſet.

Lotharii mors ſubita.

Ludovicus Imperator haud ignarus, Carolum Regem patruum ſuum, nihil intentatum relicturum, quo ſibi Regnum Lotharii ſubjiceret, rogavit, ut Papa datis compluribus litteris rem ſibi maxime noxiam amoveret. Prima epiſtola ſcripta eſt ad Proceres regni Lotharii, in qua hortatur, ut Imperatori tanquam legitimo fratris ſui hæredi fideles permanerent, nec vel promiſſis vel comminationibus cujuscunque ab ejus obedientia recederent, ſub pœna excommunicationis & anathematis. In ſecunda Pontificis epiſtola, ad Proceres Regni Caroli data, eadem repetitur comminatio, laudantur beneficia, quæ Ludovicus Imperator præſtabat Eccleſiæ, Saracenos oppugnans, memores eſſe jubentur, quam ſancte Reges fratres juraſſent, conſervaturos ſe Regni partes, quas ipſi & nepotes ſui per diviſionem ſortiti eſſent. Tum ſubjungit Papa: *Si quis poſtulationi æquiſſimæ Imperatoris obſtiterit, ſciat, hunc Principem ſub Sedis Apoſtolicæ præſidio*

Had. ep. 19.

ep. 20.

Sæculum IX. A. C. 869.

dio existere, atque ad ejus defensionem ar-ma, quæ Deus nostris manibus commisit in promptu esse. Ita Pontifex Regnorum dispensatorem se constituebat. (*)

Hanc epistolam quinta Sept. anno 869. datam Episcopi duo Paulus & Leo ad hoc solum negotium delegati, detu-lerunt. Iisdem duæ aliæ epistolæ eo-dem die datæ commissæ, altera ad Epi-scopos in regno Caroli, altera peculiari-ter ad Hincmarum Remensem directa. Hortatur Papa, ut Carolum ab iniquo molimine abstraherent, Hincmaro pote-statem tribuit, qua tanquam Delegatus a Sancta Sede ageret, & repetit anathe-matis comminationem. Sed, priusquam Legati in Franciam pervenire potuerint, consummatum fuit negotium.

§. XXV.

Carolus Rex Lotharingiæ coronatur.

Quippe Rex Carolus percepta Lotharii morte, nihil prius habuit, quam in defun-

(*) Non satis æquus Hadriano Pontifici hic est Fleurius; cum ille non suo arbitrio Regna dispensare, sed, rogatus ab Imperatore, Principes ad ea, quæ jurato promiserant, servanda exhortari & Ludovico, adversus Saracenos, infensissimos Christianorum hostes, pugnanti favere voluerit.

defuncti regnum movere, atque com- Sæculum IX.
pluribus Optimatibus, Episcopisque ultro A. C. 869.
se submittentibus, cum quinta Sept. anno *Ann. Bert.*
octingentesimo sexagesimo nono Metas 869.
pervenisset, Feria sexta ejusdem mensis
die nona solemni pompa coronatus est,
in hunc modum:

Episcopis, numero septem, in Eccle- *tom. 2. Cap.*
sia Cathedrali S. Stephani, videlicet Hinc- *p. 215.*
maro Archiepiscopo Remensi, Adventio *to. 8. Conc.*
Episcopo Metensi, Hattone Virdunensi, *n. 1532.*
Arnulpho Tullensi, Francone Tungrensi,
Hincmaro Laudunensi, jam tunc e car- *ap. Hincm.*
cere emisso, & Odone Bellovacensi con- *to. 1. p. 741.*
gregatis, Rege, Optimatibus, & frequenti populo præsentibus, Adventius Episcopus profatus dixit: *Neminem vestrum ignorare arbitror, quantas ærumnas perpessi fuerimus sub Rege Domino nostro defuncto, & quam acerbus dolor, cum miseræ mortis modum percepimus, pectora nostra obruerit. Ad jejunia igitur & preces confugimus, auxilium ab eo solo flagitantes, qui solus consolatur afflictos, boni consilii auctor, & mortalibus Regna dispensat. Oravimus, ut nobis daret Regem secundum cor suum, omniumque mentes ad concordiam componeret, qua illum, quem ipse elegisset, unanimi consensu reciperemus. Dei vero voluntatem cognoscimus ex concordia, qua sponte nos submittimus Regi Carolo præsenti, hujus Regni*

Sæculum IX. A. C. 869.

Regni Hæredi legitimo. Unde gratias Deo, hunc Principem nobis concedenti, decamus, & oremus, ut eundem nobis ad defensionem Ecclesiæ & pacem nostram diutissime conservet. Sed inprimis ea ex Regis ore audiamus, quæ Principem Christianissimum & populum fidelem docent.

Caroli Calvi Oratio.

Tunc autem Rex Carolus, *Hic sermo*, inquit, *omnium Episcoporum nomine prolatus, & plausus vestri jucundissimi satis demonstrant, me ex Dei electione & pro vestra salute huc advenisse. Scitote igitur, me Dei honorem, ejusque & Ecclesiarum Servitium conservare, unumquemque ex vobis honorare, pro gradu dignitatis suæ defendere, jus suum secundum Leges Ecclesiasticas & Civiles dare velle, ea conditione, ut quilibet mihi honorem, obedientiam, auxilium eo modo quo majores vestri Antecessoribus meis exhibeat.*

Postea rogatus a quatuor Episcopis Provinciæ Trevirensis Archiepiscopus Hincmarus dixit: *Si quem forte admiratio subeat, cur ego & Episcopi Provinciæ nostræ negotiis alterius provinciæ immisceamur, sciat, quod in Gallia Belgica Ecclesiæ Remensis & Trevirensis provinciæ sororibus unius provinciæ habeantur, & cunjunctim sua celebrent Concilia, quibus ille ex duobus Archiepiscopis præsidere solet, qui Ordinatione prior est. Præterea,*

Sæculum IX. A. C. 869.

terea, cum illius provinciæ Fratres nostri hodie Metropolitanum non habeant, rogarunt me ex charitate fraterna, ut tam ipsorum quam meo nomine agerem. An non ita res se habet, Fratres mei? Episcopi Provinciæ Trevirensis, hæc omnino ita esse, responderunt. Nimirum, depositio & fatis functo Theutgaudo Archiepiscopo Sedes Trevirensis tunc vacabat.

Archiepiscopus Hincmarus sermonem prosecutus, *præter divinæ voluntatis indicia*, inquit, *quæ vobis Adventius Episcopus exposuit, meminisse vos oportet, Regis nostri Parentem Ludovicum Imperatorem sanctæ memoriæ per Sanctum Arnulphum genus duxisse ex familia Clodovei, qui a S. Remigio cum tota Francorum Gente conversus, in Metropoli Remensi baptizatus, & oleo de Cælo misso bodieque apud nos extante consecratus fuit. Idem Ludovicus Stephani Papæ manibus Remis Imperator coronatus, postea a factiosis hominibus Imperio dejectus, in hac Ecclesia Metensi restitutus & ante hoc Altare S. Stephano sacrum ab Episcopis secundo corona redimitus est, nobis ipsis, qui adsumus, præsentibus. Cum ergo in Historiis sacris legamus, quocunque regno acquisito Reges iterum coronari solitos, bis Episcopis videtur, si & vos consen-*

Ampullæ de Cælo.

Sup. Lib. XLVI. §. 21.

ibid. §. 48.

tiatis,

Sæculum IX. A. C. 869.

tiatis, Principem præsentem ad hoc Altare, esse coronandum, accepto Regno, in quo ei libervime obedientiam promittitis. Edicite, an hæc omnibus stet sententia. Omnibus hilari clamore consensum profitentibus, Archiepiscopus, *Gratias ergo*, inquit, *agamus, & cantemus Te Deum Laudamus!* Non memini, ante Hincmarum quemquam hæc duo facta literis mandasse, S. Arnulphum cognatione sanguinis Clodoveum contigisse, & ad illum Regem ungendum oleum e cælo fuisse allatum.

ap. Hincm. p. 744.

His dictis, sex Episcopi singulatim orationem super Regem ante Altare S. Stephani pronunciarunt, quibus Hincmarus Archiepiscopus addidit Benedictionem solemnem, simulque Regis frontem sacro Chrismate, semi circulum ab aure dextra usque ad sinistram ducens, tum etiam verticem inunxit. Mox eodem Archiepiscopo aliam Benedictionem recitante ceteri Episcopi Regi coronam imponunt, palmamque & sceptrum tradunt. Hæc omnia peracta ante Missam, in qua deinde commemoratio facta S. Gorgonii Martyris, hodieque ab Ecclesia Romana, nempe nona Septembris, culti, & tandem orationes pro Rege recitatæ, quales etiamnum nostra ætate leguntur.

Miss. Ro.

§. XXVI.

Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXVI.

Legati Pontificii Constantinopoli.

Dum hæc in Francia geruntur, Hadriani Papæ Legati tres, Donatus Episcopus Ostiensis, Stephanus Episcopus Nepesinus, & Marinus ex septem Romanæ Ecclesiæ Diaconis unus, postea Papa, in Græciam perveniunt, afferentes duas Epistolas, alteram ad Imperatorem Basilium, alteram ad Ignatium Patriarcham datas, quibus ad Epistolas Nicolao Papæ scriptas respondebatur. In Epistola ad Imperatorem Hadrianus Papa dicit; eum sibi & toti Ecclesiæ Occidentali rem admodum gratam feciſſe, quod pulso Photio Ignatium restituisset. *Schismatici vero*, inquit, *quoniam diversis modis peccarunt, etiam diversim judicandi sunt, cujus rei cognitionem Legatis nostris & Fratri nostro Ignatio commendamus. Ne dubites, omnes clementer habebimus, excepto Photio, cujus Ordinatio damnari omnino debet. Volumus, ut Concilium frequentissimum celebrari cures, cui nostri Legati præsint, ubi errorum & personarum diversitas examinetur. In eodem Concilio Exemplaria Conciliabuli adversus Sacram Sedem habiti igni tradantur, & nemini hujusmodi Acta sub pœna depositionis & anathematis reservare liceat. Id quoque a vo-*

tom 8. Conc. vit. Hadr. Pa. p. 889. vit. Ign. p. 1230.

p. 980.

Sæculum IX. A. C. 869.

bis petimus, ut Decretis Concilii Romani, adversus Decreta Photii celebrati, in Concilio apud vos celebrando omnes subscribant, eaque in omnium Ecclesiarum Tabulis conserventur. Rogamus te, ut ad nos remittas Basilium, Petrum, Zosimum, & alterum Basilium, qui noxii & malæ conscientiæ stimulis insani, desertis suis monasteriis, sine literis commendatitiis Constantinopolim profecti sunt. Hos in domos illas, in quibus enutriti & Presbyteri ordinati fuerunt redire volumus; qui vero refractarios apud se detinuerunt, pœnis canonicis coercebuntur. Hi nempe illi erant Monachi, qui querelas adversus Nicolaum Papam ad Photium detulerant, quod ex ejus Epistola ad Orientales data, in qua Basilius aliquis & Zosimus nominantur, dispicimus.

Sup. Lib. L. §. 57.

Hadriani Epistola ad Ignatium. *p.* 1012.

In Epistola ad Ignatium Patriarcham data Hadrianus Papa dicit; se mentem & Decreta Nicolai Antecessoris sui, præsertim contra Gregorium Syracusanum, & Photium edita, in omnibus sequi. *Quod vero spectat ad Episcopos, inquit, & Clericos, a Methodio & a te ordinatos, si Photio obstiterunt, & tecum persecutionem passi sunt, eos in numero Confessorum JEsu Christi habeo, & censeo, illis in Ecclesia tua locum honorificum, & solatium, quo digni sunt, esse con-*

concedendum. Iis vero, qui Photio adhæserunt, si ad te redeant, & satisfaciant eo modo, cujus formulam Legatis nostris tradidimus, parcendum esse, ipsisque Gradum suum conservandum, credidimus. Sæculum IX. A.C. 869.

Hæc Epistola decima Junii, Indictione secunda, nimirum anno octingentesimo sexagesimo septimo data.

Legatos Thessalonicam pervenientes Eustachius Spatharius, ab Imperatore Basilio ipsis obviam missus, salutavit, & usque Selibriam, † quinquaginta millibus, id est Leucis sexdecim, a civitate Constantinopolitana distantem deduxit, ubi a Sisinnio Protospathario & Abbate Theognosto, qui, missus ab Ignatio, Romæ versatus fuerat, excipiuntur. Dati sunt iisdem Legatis equi quadraginta ex stabulis Cæsaris delecti, vasa argentea sufficientia, quibus cibi mensæ inferrentur, & famuli, qui ministrarent. Eo cultu ad arcem rotundam seu *Strongylum* in Suburbio Constantinopolis perveniunt, iisque in Ecclesia magnificentissime extructa S. Joanni Evangelistæ sacra diversorium destinatur. Dies erat Sabbati vigesima quarta Septembris; sequente vero die Dominica Constantinopolim intrant hac pompa: Legatis equos ab Imperatore missos famuli admovent, aureis ephipiis stratos, omni- *vit. Hadr.* † Selivreé

Sæculum IX. A. C. 869.

bus ſcholis, ſeu præfectorum ex Palatio Cæſareo cohortibus omnibusque Clericis Caſulas gerentibus usque ad portam Urbis obviam progreſſis. Inde procedere cœperunt, præcedentibus Paulo Libris præfecto, Joſepho Sacrorum Vaſorum, Baſilio Sacellario, ſeu Theſauri Cuſtode cum omnibus Patriarchæ Syncellis, quos veſtes Eccleſiaſticæ ornabant. Legatos ſequebatur cunctus populus cum cereis & facibus. Ubi ad Palatium Irenis perventum, ex equis deſcendentes a Joanne Notario & Strategio Spathario excipiuntur, nomine Imperatoris excuſantibus, quod eos die ſequente, quæ Baſilii Natalis erat, necdum in conſpectum eſſet vocaturus.

Illa die elapſa, Imperator omnibus Palatii ſui Collegiis obviam miſſis, Legatos in Triclinio aureo ad alloquium admiſit. Ipſis intrantibus, ſurrexit, & ſua manu receptas Pontificis Epiſtolas oſculatus, quæſivit, an ſalva eſſet Romana Eccleſia, & an Hadrianus Papa, Clerici, Senatusque valerent. Tum, oſculo Legatis dato, eos dimittit, Epiſtolam Hadriani Pontificis Ignatio Patriarchæ reddituros. Cum altera die ad Imperatorem rediiſſent, dixit: *Eccleſia Conſtantinopolitana Photii ambitione turbata jam ante Nicolai Papæ cura a Romana Sede non nullum accepit auxilium.*

Nunc

Nunc vero ab annis duobus cum Patriarchis Orientis, Metropolitis, & Episcopis Ecclesiæ Romanæ Matris (*) nostræ judicium

Sæculum IX. A. C. 869.

(*) Mirum profecto Cavei Scriptoris ingenium, vel potius cœcitas; approbantis gesta Photii, hominis versipellis, superbiæ vertigine rotati, impostoris, dum econtra clarissima contra se testimonia dissimulat, & omnia a Catholicis acta fugillat! quippe Synodum nostram VIII. Oecumenicam Ignatii Conciliabulum appellare non erubescit. Unde tantus in Photium favor? nempe Sedi Romanæ supra Ecclesiam Orientalem aliquam esse prærogativam præfracte negavit. Hæc meritorum summa est. Attamen turpissime fallitur Caveus; nam ex Epistolis ipsius Photii Lector a præjudiciis liber clarissime dispicit, Photium prærogativam Sedis Romanæ supra Constantinopolitanam non prius negasse, quam ubi Romanum Pontificem sibi Ecclesiam alienam invadenti unquam velificaturum desperavit. Photii vestigia suo tempore Lutherus strenue pressit.

Ceterum cum Basilius Imperator Ecclesiam Romanam hic Matrem suam appellat, illustre Testimonium præstat Veritati; est etenim Roma Sedes omnium Ecclesiarum, JEsu Christi institutione, antiquitate, auctoritate, prædicatione, & pia solicitudine Mater. Quam tamen spernunt & abjiciunt Christiani, quicunque ab ejus Communione separati sunt, licet negare non possint, Majores suos ab hac Matre Fidem JE-

su

Sæculum IX. A. C. 869.

dicium expectamus. Unde rogamus vos, ut ad concordiam & tranquillitatem Ecclesiæ nostræ reducendam omnibus viribus incumbatis. Legati Papæ responderunt: *Id ipsum itineris, quod suscepimus, causa fuit; sed nullum ex Orientalibus vestris prius ad nostrum Concilium admittere possumus, quam nobis satisfecerit, libellum offerendo secundum normam, quam ex S. Sedis Tabulis accepimus.* Imperator & Patriarcha dixerunt: *Quod de offerendo Libello isto refertis, novum nobis est. Hinc volumus illam normam videre.* Legati illico protulerunt paratam; cumque ex Latino in Græcum sermonem fuisset translata, omnibus fuit exhibita.

§. XXVII.

Concilium Oecumenicum Octavum. Sessio prima.

tom. 8. Conc. p. 978. 1278.

EXinde præstituta ad Concilium celebrandum die Actio seu Sessio prima habita, die Mercurii, quinta Octobris, eodem anno octingentesimo sexagesimo nono, Basilii Imperatoris tertio, filii ejus Con-

---

su Christi, id est, vitam spiritualem accepisse. Vel ostendant Protestantes, quæ alia Ecclesia, a Romana distincta, Prædicatores Fidei olim in Belgium, in Angliam, in Daniam, in Germaniam &c. miserit.

Sæculum IX.

Constantini secundo, Indictione tertia inchoata. Sessionis locus fuit pars dextera porticus superioris in Ecclesia S. Sophiæ, ubi veram Crucem & Librum Evangeliorum exposuerant. Tres Legati Papæ Donatus & Stephanus Episcopi, & Diaconus Marinus primo sedebant loco. Secundo Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus. Tertio Legati Patriarcharum Orientis, videlicet, Thomas Metropolita Tyriensis, Antiocheni Patriarchæ vices gerens, Elias Presbyter & Syncellus Theodosii Patriarchæ Jerosolymitani legatus. Nemo Sedis Alexandrinæ nomine aderat. Undecim vero viri ex Palatii Præfectis præcipui jubente Imperatore intererant.

A. C. 869.

vid. Cang. C. P. Lib. III n. 38.

5. *Octobris.*

Omnibus congregatis, Legati & Patriarchæ jusserunt, ut ingrederentur omnes Episcopi, qui in causa Ignatii persecutionem passi fuissent. Intrant numero duodecim, videlicet, quinque Metropolitæ, Nicephorus Amaseensis, Joannes Silæensis, Nicetas Athenienſis, Metrophanes Smyrnensis, Michael Rhodensis. Septem Episcopi, videlicet, Georgius Iliopolitanus, Petrus Troadenus, Nicetas Cephaludiensis in Sicilia, Anastasius Magnesius, Nicephorus Crotonensis, Antonius Alisiensis, & Michael Corcyranus. Tum Legati dixerunt: *Sedeant secundum ordinem suum, quia*

Sæculum IX. A. C. 869.

digni sunt, quos vivos ter beatos æstimamus. Itaque primæ Concilii Sessioni haud plures quam octodecim viri interfuerunt.

Episcopis considentibus Bahanes Patricius stans in medio jussit a Notario prælegi Imperatoris Sermonem ad Patres Concilii directum, quo omnes exhortabatur, ut concordiam reducerent, & hoc negotium in spiritu charitatis & lenitatis pertractarent. Tum surgens iterum Bahanes dixit ad Legatos: *Episcopi petunt unacum Senatu ut certiores nos faciatis, quas literas & quam potestatem habeatis.* Legati Pontificii responderunt: *Huc usque non legimus, in quocunque Concilio universali Legatos Romanos hujusmodi examini fuisse subjectos.* Et Bahanes: *Non petimus hoc, ut Throni Apostolici auctoritati quidquam detrahamus; sed quia Antecessores vestri Legati Romani Rodoaldus & Zacharias, alia in mandatis habentes & alia facientes decepperunt nos.* Legati Pontificii: *Ergo, ut omnem dubitationem vobis eximamus, & de nostra sinceritate certi sitis, ecce, Epistolas quas ad Imperatorem & Patriarcham datas habemus. Si jubeatis legantur.* Primo lecta est Epistola Hadriani Papæ ad Imperatorem Basilium datam, quam lingua latina clara voce Marinus Legatorum alter recitavit, & Damianus Cleri-

Sup. Lib. L. §. 12.

Clericus atque Imperatoris interpres Græce reddidit. Sæculum IX. A. C. 869.

Hac Epistola percepta Episcopi & Senatores exclamarunt: *Benedictus Deus! Sanctitas tua nobis satisfecit.* Tum Legati Pontificii & totum Concilium petierunt, ut Mandata Legatorum Orientis legerentur. Et Elias Presbyter Legatus Jerosolymitanus dixit: *Quamvis non ignoretis, qui & unde simus, rursus tamen dicemus; sanctissimus Thomas, Metropolita Tyriensis primam Sedem Antiochiæ subjectam, ut scitis, tenet, & quia Sedes Patriarchalis nunc vacat, Patriarchæ vices gerit. Hinc literas alterius afferre non debuit, quia propria præditus est auctoritate; quia autem Græca lingua ipsi haud ita familiaris est, ego ab eo rogatus hæc dico. Quod ad me spectat, Syncellus sum Ecclesiæ Jerosolymitanæ & a Patriarcha nostro Theodosio jussus veni, habens ejus Epistolas apud me, quas jam recitari audivistis; sed propter illos, qui legi non audierunt, præsertim Legatos senioris Romæ, ecce adsunt, legantur. Illud tamen adjiciam, quod postquam in hac Civitate longo tempore commorati fuissemus, libellum supplicem Imperatori obtulerimus, rogantes, ut nos ad nostros dimitteret, quod nobis etiam concessit, jubens, ut priusquam discederemus, sententiam nostram de quæ-*

Legatorum Mandata leguntur.

Sæculum IX. A. C. 869. p. 986. 1284.

stionibus, quæ modo agitantur, & quæ dicturi essemus, si Legati Romani adfuissent, scriberemus. Sincerissima mente scripsimus, cujus rei nobis Deus testis sit! & jam ea vobis prælegemus. Sed prius Epistolam Patriarchæ nostri recitari oportet.

Hæc etiam a Stephano Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono lecta.

Directa vero erat ad Ignatium, addito titulo Patriarchæ Universalis, (*) & postquam Theodosius Ignatio gratulatus fuisset, quod Throno suo fuerit restitutus, subjungebat: *Nosti autem utique, Sanctissime, causam, ob quam neque scribere, neque mittere potuimus ad vos; nempe*

(*) Non eo certe in sensu Patriarcha Jerosolymitanus hunc Titulum Ignatio Constantinopolitano tribuit, quod crederet, ei in universa Ecclesia aliquam competere potestatem, cum eundem Titulum Episcopi Synodi VIII. (ut statim §. seq. videbimus) in Libello sibi a Legatis Romanis oblato haud repugnantes Hadriano Papæ tribuerint, quem etiam summum Pontificem vocant. Idque eo magis observandum, quod hic Titulus nunquam alteri quam Romano Episcopo collatus legatur.

Ipsa verba in Act. Conc. edit. Paris. To. V. sunt: *Ego ille Episcopus . . . . huic professionis meæ Libello, facto a me in Beatissimo Hadriano SUMMO PONTIFICE, & Universali Papa subscripsi. &c.*

Sæculum IX. A. C. 869.

nempe quod timuimus, ne illis, in quorum potestate sumus, malam fidem de nobis suspicandi ansam præberemus. Etenim eorum benevolentia fruimur, licentiam dant ædificandi Ecclesias nostras, & ritus nostros libere observandi, juste nobiscum agunt, nullam vim aut injuriam inferunt. Nunc vero mandata accepimus ab EMIR nostro, cui ut obsequeremur, misimus Eliam Syncellum; eique Princeps Saracenorum † Thomam Archiepiscopum Tyriensem, sicut in Epistolis vestris petiistis, adjunxit. Scitis etiam, ideo fuisse missos, ut non nulli Saraceni, qui captivi apud vos detinentur, liberi dimittantur. Unde impetrare satagite, obsecramus vos, ab Imperatore Domino nostro, ut nobis Saracenos, quot Dominationi suæ placuerit, tradat, ne si vacui redierint, qui missi sunt, perniciem nostram effugere non valeamus. Mittimus quoque tibi, Sanctissime, tunicam, pallium & mitram, Sacerdotalia ornamenta S. Jacobi, vas, quod erat inter cimelia Ecclesiæ S. Sepulchri, & craterem argenteum cælatum Ecclesiæ tuæ decori futurum.

† Emir

Observavi superius, Basilium Imperatorem a Syriæ Præfecto licentiam Legatos Orientis accersendi obtinuisse. *Sup. n. 2. Nicet. in vit. Ign. p. 1230.*

Ceterum hæc Theodosii Epistola Legatis Pontificiis placuit, qua perlecta Bahanes Patricius totius Concilii nomine dixit,

Sæculum IX. A. C. 869.

dixit, tam Legatos Romanos quam Orientis mandata sua legitime manifestasse.

§. XXVIII.

Sessionis primæ Continuatio.

Tunc igitur, cum Legati Pontificii peterent, ut Libellus concordiæ, quem Roma attulerant, recitaretur, eum Damianus Interpres latine, & Stephanus Diaconus græce legit. Erat autem summatim idem, quem Hormisdas Papa ad reducendam Ecclesiam Constantinopolitanam anno 519. miserat, & cui Joannes Patriarcha subscripserat. Item simillimus illi formulæ, quam Justinianus Imperator Agapito Papæ anno 535. miserat, mutatis Hæresum & Personarum nominibus. Libellus vero noster hujus anni 869. erat hujusmodi: *Prima salus est rectæ Fidei regulam custodire; deinde a Patrum Constitutionibus nullatenus deflectere. Unum ad Fidem pertinet, alterum ad bonos mores. Prætermitti non potest sententia JEsu Christi dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod effectus probavit, quia in Sede Apostolica semper Catholica Religio est immaculata conservata. Ab hujus ergo Sedis fide atque Doctrina separari minime cupientes, & Patrum, præcipue Sanctorum Sedis*

Sup. Lib. XXXI. §. 41. to. 4 Conc. p. p. 1486.

Sup. Lib. XXXII. §. 5. to. 4. Conc. p. 1801.

to. 8. Conc. p. 988.

Matth. 16.

dis Apostolicæ Præsulum Constitutiones in omnibus sequentes, anathematizamus omnes Hæreses, simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium Sanctæ Sedis Constantinopolitanæ Usurpatorem, usque dum se Sacræ Sedis judicio subjiciat, & Conciliabulum suum anathematizet. Sequimur autem sanctam Synodum & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus celebravit, cui tu ipse Hadriane, Summe Pontifex, subscripsisti. Recipimus etiam Synodum a te ipso celebratam, & quæ in his statuta fuerunt, communicantes cum illis, quibuscum hæ Synodi communicant, & illos rejicientes, qui ab his damnantur, præcipue Photium & Gregorium Syracusanum, item illos, qui eorum schisma sequuntur, & in eorum Communione perseverant. Synagogas vero malignantium, id est, duo Conciliabula sub Michaele Imperatore adversus Ignatium Patriarcham habita, & tertium adversus sacram Sedem, in perpetuum anathematizamus, eosque omnes, qui ea defendunt, aut Acta conservant. Tota mente amplectimur, quæ sacra Sedes de Patriarcha nostro Ignatio decrevit, ut in Communione illius Sedis esse mereamur, in qua est integrum & veræ Religionis fundamentum. Illorum nomina, qui ab ea sunt separati, inter sacra Mysteria non recitabimus. Hanc autem pro-

Sæculum IX. A.C. 869.

Formula Concordiæ.

Sæculum IX. A. C. 869.

professionem ego ille Episcopus manu propria scripsi, & tibi Hadriano Summo Pontifici & Papæ universali per Legatos tuos Donatum, Stephanum & Marinum obtuli, mense illo, die illa, Indictione illa.

In fine subjungi debebat subscriptio Episcopi & testium.

Not. Anast. Libelli hujus tenorem jam prius Nicolaus Papa Constantinopolim miserat; sed Photius suis machinationibus effecerat, ut tunc quidem non reciperetur. Nunc vero, ubi perlectus est, eum tota Synodus approbavit. Legati Orientis postea petierunt, ut Libellus suus Constantinopoli, prius quam Legati Pontificis adveniissent, conscriptus legeretur.

p. 991. Summatim vero hæc continebat: *Basilius Imperator nos ex Oriente ad componendas turbas in Ecclesia vestra natas cum Legatis Roma venturis, vocavit; cum vero diutissime moras trahant, nosque justus timor angat, ne longior in hac regione commoratio nostra Agarenis occasionem det, nos & omnes Christianos sub eorum Dominatu degentes persequendi, non credimus expedire, ut diutius Romanos Legatos præstolemur, vel maxime ideo, quod ex Epistolis Nicolai & Hadriani Pontificum teneamus certissima eorum argumenta, quæ Romæ acta fuerint. Itaque sententiam nostram de negotiis, quæ hoc tempore mota sunt, vobis aperimus:*

mus; videlicet, omnes homines obsequi & obedire (*) *oportere Decretis Beatissimi Papæ Nicolai, sicut & nos morem gerimus, quia diu ante, quam has Epistolas legeremus, eadem nobis mens & opinio insederat.* Sæculum IX. A. C. 869.

Proinde, Ignatius Patriarcha Sedem suam in pace possideat. Episcopi, Presbyteri, Clerici depositi, quod cum Photio commu-

(*) Guilielmus Cave in Consp. Sæc. Iconoclast. dicit: *In quam* (Synodum Nicenam) *convenerunt . . . . trium Patriarcharum Orientalium* τοποτηρηται, *miselli utique Monachi, Patriarcharum nomina ac personas splendide ementiti.* Atqui hanc Synodum Oecumenicam VIII. Legati Summi Pontificis, Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus præsens, Archiepiscopus Tyriensis, Sede Antiochena vacante, Elias Legatus Patriarchæ Jerosolymitani, Basilius Imperator Græcorum, & tandem etiam Josephus, Michaelis Patriarchæ Alexandrini Melchitæ Legatus scientes & volentes atque certis mandatis instructi approbarunt & confirmarunt. Cur ergo hanc Caveus rejicit? nempe densissimis præjudiciorum nebulis impeditus veritatem videre nequit. Nam quamvis, ut infra occurret, receptus aliquando fuerit Photius; illud tamen mortuo demum Ignatio factum, & cuilibet Lectorum, si æquus & peritus rerum æstimator fuerit, prima facie liquebit, quæ deinde in causa Photii secuta sunt, incertum an legitime, & nullatenus satis libere acta fuisse.

Sæculum IX. A. C. 869.

communicare noluerint, restituantur. Qui a Methodio, vel ab Ignatio ordinati, cum Photio communicarunt, & Photio pulso confestim ad Ecclesiam Catholicam redierunt, aut priusquam Concilium solvatur, redituri sunt, hos Ecclesia, amantissima mater, recipiet, & Ignatius pœnitentiæ mensuram præscribet. Quippe Nicolaus Papa ei potestatem lapsos recipiendi reliquit, solum Photium & Gregorium Syracusanum absolute damnans. Utrumque & nos damnamus, & cunctos a Photio ordinatos, omni ministerio Ecclesiastico indignos judicamus. Denique anathema dicimus quibuscunque, qui Nicolai Papæ judicio, quod & nostrum est, se non submiserint. His perlectis, & Legatis Papæ ex Legatis Orientis scisciantibus, an ipsi hunc libellum tradidissent, & an mentem eorum contineret, illi affirmarunt, rem ita se habere, tota Synodo approbante.

Exinde Bahanes Patricius, nomine totius Senatus ad Legatos Papæ conversus, *rogamus vos*, inquit, *ut dubitationem nostram sanetis. Quomodo damnare potuistis Photium, quem nunquam vidistis?* Legati responderunt: *Nicolaus Papa Photium per Epistolas suas & Legatos præsentem damnavit.* Tum Senatus, *quem vero miserat?* Legati: *Si jubetis, totam hujus rei seriem pandemus.* Et addide-

p. 995.

Græcorum Scrupulus.

diderunt: *Primo missus est Arsaber ab Imperatore Michaele, & cum eo quatuor Episcopi, quorum nomina nescimus. Ille ad Papam attulit Epistolam, in qua de Iconoclastis, & in fine de expulso Ignatio mentio fiebat. Tum Michael petebat, ut Papa Legatos Constantinopolim mitteret. Is misit Rodoaldum & Zachariam, qui huc venientes concilium, seu verius latrocinium, adversus Ignatium celebrarunt, quem a se depositum dixere. Romam deinde cum Leone Imperatori Michaeli a Secretis reversi sunt, literas Imperatoris & Photii atque Acta sui Concilii deferentes. Tunc vero Nicolaus Papa rei veritatem edoctus convocato omnium Episcoporum Occidentis cum Clericis & Senatu Romano Concilio, Synodum latrocinalem damnavit, & perfidos Legatos suos deposuit. Hic est modus, quo damnavit Photium.*

Sæculum IX. A.C. 869.

Sup. Lib. L. §. 4.

Tum Bahanes eandem quæstionem Legatis Orientis movens, *Vos vero*, inquit, *tamdiu hic morati Legatos Romanos præstolantes, cum Photium vobis proximum haberetis, cur eum non adiistis, ut videretis saltem virum, prius quam damnaretis?* Hic surgens Elias Legatus Jerosolymitanus dixit: *S. Spiritus constituit Patriarchas ad tollenda scandala, quæ in Ecclesia nascuntur. Cum igitur Photium nec prima Sedes, quæ est anti-*

Sæculum IX. A. C. 869.

qua Roma, nec tres Ecclesiæ Orientales, nimirum Alexandrina, Antiochena, & Jerosolymitana, receperint, (*) *quid profuisset, eum ad examen vocare, & rursus judicare? nam juste fuisse condemnatum, exploratissimum erat. Nunquam alium quam Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum novimus, & si etiam, cum advenimus, exulasset, non ideo tamen alium recepissemus. Sed, Deo sint laudes maximæ, invenimus eum Sedi suæ restitutum, cum eo communicavimus, in Ecclesia ministravimus, domi manducavimus, quippe semper in ipsius communione permansimus, sicut statim in adventu nostro professi sumus.*

Quamvis vero Photio collocuti non simus, nihilominus satis intelleximus, cum frequenter cum ejus Sectatoribus sermones miscuimus, quam frivola in suam defensionem afferat. Dicunt, Ignatium depositum & exulem Libellum abdicationis scripsisse, quam vero nec Roma nec nos recipimus, quod ea contra canones pugnet. Porro dicentes, illos, quibus in ordinatione Photii pars fuit, aut qui cum eo

(*) At recipit Photium Guilielmus Cave. Quo autem argumento ad eum defendendum permovetur? nullum aliud legi; quam quia Photius Romanum Pontificem excommunicationis fulmine (si Diis placet) generosissimo ausu perculerit.

eo communicarunt, eadem pœna dignos esse, verum non dicunt; naturæ fragilitas & mortis metus, nos quandoque ad id faciendum, quod nolumus, compellunt. Itaque qui a Methodio vel Ignatio ordinati Adversariorum violentiæ cesserunt, & errorem cito emendarunt, indulgentia indigni non sunt. Hæc causa est, cur Photium ad novum subeundum judicium non vocaverimus. Cum enim ipse Photius quemdam Palatii Cæsarei præfectum ad Metropolitam Tyriensem misisset, qui quæreret, an eum Sedes Antiochena tanquam Patriarcham Constantinopolitanum recepisset, Metropolita rotunde negavit, Antiochenam Ecclesiam ipsum agnovisse. Placuit hæc responsio Senatui. Tum vero cum nox appeteret, Sessioni finis impositus, sæpius repetito clamore, quo Imperator, Eudoxia Imperatrix, Nicolaus Papa, Hadrianus Papa, Ignatius Patriarcha, Patriarchæ Orientis, Senatus, & Concilium laudabantur. Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXIX.

Sessio secunda. Pœnitentes recipiuntur.

Post biduum, nempe septima Octobris anno octingentesimo sexagesimo nono Sessio secunda habita, cui iidem, qui in prima, interfuerunt. Initium fecit Paulus, Chartophilax Ecclesiæ Constanti- *p. 998.* *Not. Anast.*

Sæculum IX. A. C. 869.

nopolitanæ, a Photio Archiepiscopus ordinatus. Ei, cum ceteris depositio, Ignatius, quia hunc virum Ecclesiæ utilem fore judicabat, hanc Dignitatem contulerat, secundum consilium Papæ, qui scripserat, eidem quodcunque officium, excepto Sacerdotio, concedi posse. Ceterum Chartarum custos, seu Chartophilax Constantinopoli erat, quod Romæ Bibliothecarius. Eodem utebantur cultu, quo ministri Ecclesiastici, & eorum munere fungebantur. Chartophilacis erat ad Patriarcham omnes Episcopos aut Clericos adventantes deducere, delatas literas tradere, promovendos ad Episcopatum, Abbatiam, aut ad sacros Ordines offerre. Omnia cum ejus assensu agenda erant. Paulus igitur stans in medio Concilii dixit; illos, qui sub Photio cecidissent, venisse cum Libello. Primo admissi sunt Episcopi, qui coram sancta Synodo prociderunt, manibus libellum tenentes. Quibus Vicarii Romani: *Qui estis vos, & quis vos consecravit?* Theodorus Metropolita Cariæ respondit: *Sanctissimus Patriarcha Ignatius, & Beatus Methodius.* Legati Romani: *Quot estis?* Theodorus: *Numerum nescimus.* Romani: *Quid vultis, quid petitis?* Theodorus: *Procidimus sanctæ & universali Synodo, pœnitentiam expetentes.* Romani: *Quid hoc est, quod manibus*

7. Octobr.

manibus tenetis? Episcopi: *Est Libellus confessionis de peccato in sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium admisso.* Romani: *An confitemini vos peccasse in hac causa?* Episcopi: *Confitemur:* Romani: *An in libello idem scriptum est, quod ore dicitis?* Episcopi: *Legatur, & quid sentiamus, certissime comperietis.* Tum, cum Legati Romani consilium Legatorum Orientis & totius Concilii expetiissent, libellus a Stephano Diacono lectus est, consentientibus omnibus. Sæculum IX. A. C. 869.

Porro Libellus ad solos Papæ Legatos dirigebatur, & ita habebat: *Si mala maxima, quibus Photius Ecclesiam afflixit, Romæ ignorarentur, longo nobis sermone opus esset. Nunc vero habemus vos testes eorum, quæ egit contra Nicolaum Papam, virum summum, quem mendaciis & calumniis impetiit nunquàm a se visum. Nam falsos Legatos omnium Patriarcharum ex Oriente accersivit ad condemnandum virum maximum per falsos testes; siquidem Photius in arte mentiendi decipiendique ita excellit, ut nemo unquam magis. Ignatium quoque Patriarcham nostrum pessime habuit, quem adhuc Laicus lacessiverat. Postea petiit a nobis promissum scriptum, quod Ignatium semper tanquam nostrum Patriarcham venerari vellemus. Altera vero die infinitam mendaciorum* p. 999. 1290. Libellus Poenitentium.

Sæculum IX. A. C. 869.

multitudinem in eundem virum consuer cœpit, jussitque crudeliter excrucian ut abdicationis libellum ab eo extorqu ret; unde sanctissimus Patriarcha exi lium, carceres, vincula, verbera, famem, sitimque, ferre coactus. Quod si hæc in sus est in Venerabilem Præsulem, Imper torum filium & nepotem, qui vitam in sanctis Monasticæ vitæ exercitationibus transegerat, facile cogitatione assequi potestis, quantis malis nos humiles affec rit. Non nulli cum Infidelibus in Pra torio inclusi, fame & siti vexati. Alii ad secandum marmor damnati, & non fu stibus modo sed gladiis verberati; nam minima supplicii pars erat, si quos cal cibus in ventrem impactis percuterent. Catenis & monilibus ferreis ligabamur, & post multos dies fœnum in escam

7. Octob.

præbebatur. Alii in carceres caligino sos & fœtentes detrusi, alii in extremas orbis partes & ad Infideles relegati. His ærumnis fatigati & victi, cum & alios similia pati videremus, contra pro positum, & ingemiscentes, cessimus. Un de ad vestram misericordiam recurri mus corde contrito & humiliato, pro fitemur, quod Photium ejusque Sectato res rejiciamus, usque dum convertantur. Submittimus nos lubenti animo pœniten tiæ, quam nobis injungere Patriarcha nostro lubuerit.

His

His perlectis Legati Papæ dixerunt: *Recipimus vos secundum præceptum Hadriani Papæ culpam vestram confessos.* Subjunxerunt Pontificii: *In mandatis habemus, a vobis petere, ut Libello, quem Roma attulimus, subscribatis. An vultis subscribere?* Episcopi: *Volumus, & illico subscribemus.* Tum, cum Legati eundem libellum, quod in prima Sessione factum, iterum recitari jussissent, Episcopi pœnitentes subscripserunt, videlicet, Theodorus Cariæ, deinde Euthymius Catanensis, Photius Nacolienſis, Stephanus ex Cypro, Stephanus Cilyrensis, Theodorus Synopensis, Eustachius Acmonienſis, Xenophon Milassiensis, Leo Daphnusiensis, Paulus Melesius, universim Episcopi decem. Tum Ignatius Patriarcha consentientibus Legatis jussit, ut suos pœnitentiæ Libellos super Crucem & Evangelium deponerent, & postea ipsi afferrent. Cum id feciſſent, Ignatius acceptis libellis cuilibet Pallium dedit pronuncians illa Evangelii verba: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid fiat.* Illi maximas agentes gratias quilibet in suo gradu inter Episcopos Synodi consederunt.

Sæculum IX. A. C. 869.

Subscribunt Pœnitentes.

Joan. 5. 14

His peractis introducuntur Presbyteri a Methodio & Ignatio ordinati, pariter ad pœnitentiam recipi flagitantes.

Sæculum IX. A. C. 869.

Undecim erant numero, exemplum Episcoporum sequentes, qui dato pœnitentiæ libello ejusdem tenoris, formulæ Roma allatæ subscripserunt, & Stolam a Patriarcha acceperunt. Inde Diaconi novem in Concilium admissi, quibus etiam pœnitentiam professis Patriarcha stolas suas reddidit. Tum Subdiaconos quoque septem reconciliavit & ordinis sui insignia, quæ non nominantur, restituit. Denique Patriarcha magna voce legi jussit pœnitentiæ rationem, quam omnibus injungebat, in hunc modum: *Pœnitentes illi, qui carnibus vescuntur, a carnibus, caseo, & ovis abstineant. Qui carnibus vesci non solent, abstineant a caseo, ovis, & piscibus diebus Mercurii & Veneris, & comedant legumina atque olera cum modico oleo & vino. Per singulos dies quinquagies genuflectant, & centies dicant Kyrie eleison, centies, Domine, peccavi! & centies, Domine ignosce mihi peccatori! item Psalmos sextum, trigesimum septimum, & quinquagesimum recitent. Hæc faciant usque ad Domini Nativitatem, & interim non habeant potestatem quoquo modo agendi, quæ Sacerdotum sunt.*

His, omnia prospera Imperatoribus & Pontificibus consuetis clamoribus precati, secundam Sessionem clauserunt.

§. XXX.

§. XXX.

Sæculum IX. A. C. 869.

Sessio tertia. Contumaces citantur.

Sessio tertia undecima Octobris celebrata. Numerum vero Episcoporum illi decem, qui in superiore Sessione susceperant, & duo alii auxerant, unde viginti quatuor interfuerunt. Inprimis quidem Metrophanes Metropolita Smirnensis quæsivit, an non expediret legere literas Imperatoris ad Papam & ad Orientales, deinde etiam literas Ignatii Patriarchæ, & Hadriani Papæ? sed Legati Papæ dixerunt: *Scimus, esse Episcopos non nullos, a Methodio & Ignatio ordinatos, qui libello Roma misso subscribere recusant. Idcirco vobis, antequam ad alia progrediamur, injungimus, ut nomine Concilii ad eos vos conferatis, & admoneatis, nihil magis necessarium, quam ut Concilio se subjiciant.* Idipsum Legati Orientis suaserunt. Ergo Metropolitæ tres, Metrophanes Smirnensis, Nicephorus Amaseensis, & Nicetas Athenienſis eos adeunt, & quæ in Mandatis haberent, duobus Metropolitis Theodulo Ancyrano & Nicephoro Niceno exponunt. Responderunt illi: *Quod spectat ad subscriptionem, quam a nobis petitis, sciatis, nos tot subscriptionibus, bonis malisve, quas dedimus, fatigatos statuisse, nosque etiam obstrinxisse,*

p. 1006.

11. *Octobr.*

Sæculum IX. A. C. 869.

xisse, ne cuiquam amplius formulæ subscribamus. Sufficit enim, quod subscripserimus nostræ Fidei confessioni, cum ordinati fuimus, quæ in Chartophilacio Patriarchæ asservatur. Ideo rogamus Synodum, ut nobis, si fieri possit, tota vita nostra huic proposito inhærere liceat. Cum delegati hoc responsum scriptum attulissent, eam Vicarii Pontificis publice in Concilio recitari jusserunt.

Sup. n. 17. Tum ipsis jubentibus lecta est epistola Imperatoris Basilii, item Ignatii Patriarchæ, ad Nicolaum Papam. Deinde Marinus Diaconus, ex Legatis Pontificiis unus, Responsum Hadriani Papæ ad Ignatium latine legit, quod Damianus Interpres græce explicavit.

p. 1014. Legatis Pontificiis interrogantibus an hæc epistola videretur esse canonica, Concilium eam approbavit. Moxque solitis acclamationibus soluta est Sessio.

§. XXXI.

Sessio IV. An Papa cum Legatis Photii communicaverit.

13. *Octobr.* Sessio quarta decima tertia Octobris celebrata. Bahanes Patricius dixit: *Sunt duo Episcopi, a Methodio ordinati, nomine Theophilus & Zacharias, qui Photio adhærentes, eum ab Ecclesia Romana receptum affirmant. Si vobis videtur,*

detur, mittantur ad eos, qui interrogent, a quo fuerint ordinati, & quibuscum communicent. Ergo mittuntur nomine Legatorum Romanorum Pancratius Clericus, nomine Legatorum Orientis Ananias Clericus, & nomine Senatus Gregorius cubiculariis præfectus. Nec ad eos quisquam Episcopali ordine insignis missus est, quia depositi habebantur. Illi responderunt: *Ordinati a Methodio, cum Photio Patriarcha communicavimus.* Quo responso ad Synodum relato, & publice recitato, Episcopi exclamarunt: *Theophilo & Zachariæ pars est cum Photio!* volebant dicere, non esse audiendos. Sæculum IX. A. C. 869.

Tunc vero Bahanes nomine Senatus dixit: *Imperatores huc nos miserunt testes fideles omnium, quæ agerentur, futuros. Si ergo vultis, ut pro more nomina nostra in fine Actorum hujus Synodi apponamus, edicimus, nos nec unam literam scripturos, nisi Photius admittatur, ut ore suo causam dicat, atque etiam ceteri Episcopi introducantur, quo eorum ora nobis præsentibus obstruantur; secus enim semper dicent, damnatos se fuisse non auditos, & scandali non erit finis.* Metrophanes Smirnensis, totius Concilii nomine elocutus, approbavit Senatorum consilium, petiitque, ut Schismatici admitterentur. Legati autem Romani dixerunt: *Num illi, quos addu-*

Sæculum IX. A.C. 869.

adducere vultis, ignorant pronunciatum Ecclesiæ Romanæ judicium? ignorant, respondit Bahanes, *non enim aderant, & suam damnationem solummodo aliis referentibus perceperunt.* Iterum Legati Romani: *Non licet nobis retractare judicia Pontificum. Habebant illi Romæ Legatos suos, ex quibus, Photium fuisse damnatum, perceperunt. Nihilominus ut id ipsum melius percipiant, ingrediantur, & Synodicam definitionem atque Nicolai Papæ judicium sibi prælegi audiant. Excusationes quærunt, & judicium fugiunt. Quin imo,* dixerunt Senatores, *si fugerent, non tanto clamore peterent judicari, sed fugam arriperent.* Legati Romani: *Ingrediantur, & stent ibi in ultimo loco.* Senatus addidit: *Rogamus vos, ut præter hos admittantur tres quatuorve, qui Photii sunt, & auscultent, saltem sicut sæculares isti, qui stant post nos; utilissimum ad res componendas hoc erit.* Legati Romani: *Si profiteantur, se nomine omnium sectatorum suorum venire, admittemus, non ut disputantes audiamus, sed ipsi Epistolam Nicolai Papæ auscultent.*

Missis igitur quibusdam ex adstantibus, qui eos advocarent, non sunt inventi. Tum Senatus ad Legatos Romanos: *Nescientes, se a Concilio vocandos, abierunt; duo autem illi, quos interrogari*

gari jussistis, nempe Theophilus & Zacharias, adhuc ibi stant. Si placet, eorum causa examinetur. Legati quæsiverunt: *An hi duo libellum oblaturi sunt, vel habent, quod ore proprio Synodo suggerant?* Responderunt Senatores: *Non habent; sed hi duo toti populi multitudini maxime nocent, affirmantes, se, volente Nicolao Papa, Missarum solemnia cum ipso celebrasse. Unde populus infert, Papam cum iis communicantem etiam communicasse cum Photio, ipsumque pro Patriarcha habuisse. Maximo Ecclesiæ emolumento mendacii convincentur.* Legati, postquam etiamnum aliqua opposuissent, tandem consenserunt, ut ingrederentur.

Sæculum IX. A. C. 869.

Theophilus & Zacharias.

Theophilo & Zacharia ingressis, Legati Papæ rogarunt Senatores, ut ex iis, quæ viderentur, scisciterentur. Et Senatores: *Faciemus, vobis præstantes obedientiam, non vero nostra auctoritate, nam vos hic soli potestatem tenetis.* Bahanes ergo ex ipsis quærit; an vellent audire Libellum (nimirum formulam abjurationis Roma missam) Theophilus & Zacharias responderunt: *Nolumus audire hunc Libellum, nec voluntas fuit huc venire. Jusserat Imperator, ut in Palatio inveniremur. Hinc in ipsius conspectu stetimus. Quid nobis & huic libello?* Bahanes dixit: *An in Palatio affirmastis:*

p. 1010.

Sæculum IX. A. C. 869.

stis: Probare possumus, quod tanquam Episcopi cum Nicolao Papa Sacris operati fuerimus? Zacharias & Theophilus: *Affirmavimus, & iterum affirmamus. Nicolaus Papa nos ut Episcopos suscepit, & cum ipso celebravimus.* Legati Romani dixerunt: *Absit hoc, absit! mentiuntur, contra veritatem loquuntur.* Zacharias & Theophilus: *Si mendaces sumus, nolite nos interrogare.* Marinus Diaconus trium Legatorum alter dixit: *An forsan illi solum solent interrogari, qui verum fatentur?* Theophilus, digito ostendens Marinum Diaconum, *hunc ipsum, qui mihi loquitur, interrogate, an non illo tempore Romæ fuerit, quando hæc gesta sunt?* Marinus Legatus dixit: *Illo tempore Subdiaconus eram, a Leone Papa ordinatus, & Ecclesiæ Romanæ ab anno ætatis duodecimo serviebam. Cum isti Romam venerunt, cum Arsabero, ego in Ecclesia S. Mariæ ad præsepe ministrabam, ubi eos Nicolaus Papa recepit, postquam libellum tradidissent, & præstitissent juramentum. Sed Communionem in loco Episcoporum eis non dedit.* Theophilus: *Nunquid virignotus tunc eram? Imo, Imperator & Concilium me miserant.*

Senatores dixerunt: *An Epistolas detulistis, quando cum Legatis Rodoaldo & Zacharia proficiscebamini?* Theophilus

lus & Zacharias reſponderunt: *Neſci-* Sæculum IX.
mus. Legati Romani: *Jam, toti Con-* A. C. 869.
cilio liquet, quod mendaces ſint. Dicunt, ſe miſſos fuiſſe, ut Legationem obirent, & neſciunt, an ſibi commiſſæ fuerint literæ deferendæ. Theophilus: *Tunc mihi curæ non fuit ſcire, an deferrentur literæ; ſed Legatos proficiſcentes comitabar.* Senatores: *Quæ erat ſumma, quis tenor Epiſtolæ, quam Romam detuliſtis?* Theophilus: *Neſcio.* Legati Romani: *An necdum Concilio fides facta eſt, ab Eccleſia Romana Photium nunquam fuiſſe receptum, nec alios ab ipſo ordinatos?* Senatores: *Quomodo ergo ſe* Concilium
receptos fuiſſe dicunt: Romani: *Quia* Oecumenicum VIII.
mentiuntur. Atque, ut hujus rei certiſſimi efficiamini, legantur Epiſtolæ Nicolai Papæ ad Imperatorem Michaelem, & ad ipſum Photium datæ.

Lecta eſt prima Epiſtola ad Imperatorem, vigeſima quinta Sept. anno octingenteſimo ſexageſimo data, in qua Nicolaus Papa diſertis verbis negat, *p.* 1021.
poſſe ſe in Ordinationem Photii conſentire, priusquam Legati ſui redierint. Quod Senatores bene notarunt. Lecta *Sup. Lib. L.*
deinde Epiſtola ad eundem Imperatorem, §. 11.
per Leonem a Secretis delata, decima *Nic. ep.* 5.
nona Martii anno octingenteſimo ſexa- *Sup. Lib. L.*
geſimo ſecundo data, in qua Nicolaus §. 18.
Papa, Legatis ſuis jam reverſis, edicit,

ea;

Sæculum IX. A.C 869.

ea, quæ Constantinopoli ipsis præsentibus acta essent, sibi non probari, nec posse a se Ignatium damnari, aut Photium recipi. Antequam tota Epistola perlecta fuisset, Theophilus dixit: *Si Photius damnatur, etiam illi damnentur, qui eum ordinarunt.* Tunc Concilium dixit: *Ergo etiam vos damnati estis, qui eum recepistis, & cum eo communicastis.* Theophilus: *Cum ordinatus fuit, non aderam, Patriarcham inveni, & pro Patriarcha habui.* His Epistolis perlectis, Theodorus Cariæ surgens dixit: *huc usque firmissime credebam, damnandum fuisse Nicolaum Papam, quia, fidem adhibens his hominibus, putabam, quod primo Photium recepisset, & postea eundem perditum voluisset.*

p. 1030.

Tum Concilium ad Theophilum: *An hæ Epistolæ inde* (id est Roma) *advenerint nescio,* respondit Theophilus, *an hæ sint vel aliæ.* Theodorus conversus ad Theophilum: *Quomodo probare potes, quod cum Nicolao Papa celebraveris.* Theophilus: *Det mihi Imperator fidem suam scripto, & ego demonstrabo, coram Deo loquor, quod cum ipso communicaverim, & celebraverim. Iterum affirmo; communicavimus & celebravimus cum ipso.*

Mox jubente Concilio lecta est Epistola Nicolai Papæ ad Photium, decima octava Martii anno octingentesimo sexa-

ep. 6.

gesi-

gesimo secundo data, in qua declarat, nec se Ignatium pro deposito, nec ex consequenti Photium pro Patriarcha habere posse. Cum legeretur ille locus Epistolæ, ubi Papa rationem de Ordinatione S. Ambrosii & Nectarii explicat, Theophilus dixit: *Hæc omnia Romæ a Romanis jactari audivi. Attamen receperunt Domnum Photium.* Theodorus Cariæ dixit: *Quomodo affirmas, quod Papa receperit, quem Mœchum appellat?* Cui Theophilus: *Tu vero, quomodo eum recepisti?* Theodorus: *Usque ad hesternum diem tecum sapiebam. At cognoscens jam, a Nicolao Papa nunquam rejectum fuisse Ignatium, nec receptum Photium, ad Ignatium conversus sum.* Theophilus: *Inde discas, qualis fuerit Nicolaus.* Theodorus: *Quomodo demonstrare potes, quod Nicolaus Papa te receperit?* Theophilus: *Dixi; det mihi hodie Imperator fidem publicam, testes, quos producam, tuto prodire posse, & demonstrabo.*

Sæculum IX. A. C. 869.

p. 1035.

§. XXXII.

Photius a Patriarchis rejectus.

Senatores deinde ex Legatis Orientis quæsiverunt; an unquam recepissent Photium, aut ad eum literas communionis indices dedissent. Thomas Metropolita Tyriensis respondit: *Nunquam*

Sæculum IX. A. C. 869.

eum in Ecclesia Antiochena recepimus, nec dedimus communionis testes literas, nec ab eo accepimus.

Elias Syncellus Jerosolymitanus dixit: *Si Photius ejusque sectatores Imperatorem fide dignum habent, hic eos per Legatos suos Isayam & Spiridionem, Cyprios, certiores faciet, quod me prope invitum ex amplexu Patriarchæ nostri Theodosii extorserit; affirmo autem coram Deo & Angelis, quod Photium Episcopum non receperimus, nec ab eo acceperimus Epistolas, nec ad eum dederimus.* Metrophanes Smyrnensis dixit: *Ex his, quæ hodie acta sunt, videmus, Photium nec Romæ, nec ab aliis Patriarchis unquam fuisse receptum.* Deinde ad ceteros Episcopos conversus: *Quid vobis videtur,* inquit, *Fratres mei!* Theodorus Cariæ dixit: *Ago gratias Deo, quod Sancti hujus Concilii auxilio liberatus sim gravi & continua solicitudine, an nempe Photius a Patriarchis receptus fuisset. Ideo confiteor delictum meum, quod ipsum per errorem secutus sim.*

Senatores ad Legatos Papæ dixerunt: *Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite confessionem Fidei exigendi, antequam in S. Petri Basilicam admittantur; an isti,* simul manu Theophilum & Zachariam indicabant, *hunc morem observarunt, vel non?* Legati Romani;

mani: *Ita est, observarunt.* Zacharias & Theophilus: *An unum vel duos Libellos scripsimus?* Legati Romani: *Duos scripsistis.* Omnino etiam confessionem Fidei, antequam Romam intrarent, tradiderant, & præterea libellum, quo se Decretis Sacræ Sedis obedientes profitebantur, antequam ad communionem admitterentur. Tum Senatores ex Legatis Romanis quæsiverunt, quid ille Libellus contineret. Responderunt: *Quod vellent Fidem Ecclesiæ Catholicæ tenere & defendere, atque in omnibus Ecclesiæ Romanæ judicium sequi.* Bahanes Patritius dixit: *Hesterna adhucdum die id ipsum edixerunt in Secretario; quod per omnia Romanorum Ecclesiæ consentiant. Quærite ergo,* dixerunt Legati, *an scribere velint Libellum Romanum.* Senatores ad Theophilum & Zachariam: *An scribitis hunc Libellum, vel non?* responderunt: *Nolumus de hoc Libello mentionem fieri.* Legati Romani: *Ergo foras eos emittite.* Illis etiam ejectis, solito clamore Sessio finita. Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXXIII.

Sessio V. Photius in Concilio.

Sessio quinta decima nona Octobris celebrata. Paulus Chartophilax Concilio indicavit, missum sibi ab Imperatore fuisse Photium. Legati Romani di-

Sæculum IX. A.C. 869.

xerunt: *An Photius in conſpectum noſtrum venire deſiderat?* Reſpondit Paulus: *Neſcimus, an deſideret. Sed ſi jubetis, diſcemus.* Jusſerunt Legati Romani, ut mitterentur, qui voluntatem Photii exquirerent, ſed Laici, quippe & ipſum pro Laico habebant. Itaque Senatus ad Photium mittit tres Imperatoris præfectos Siſinnium, Eutychianum, & Georgium, quemdam Laicum de comitatu Legatorum Romanorum nomine Leonem, & duos de comitatu Legatorum Orientalium Cyriacum & Joſephum. His ſex delegatis a Concilio mandatum, ut Photio dicerent: *Vis venire in ſanctam Synodum univerſalem, an non?* Si autem reſpondiſſet, quod non; interrogarent: *Quare non vis?*

Octobr.

Delegatis in Concilium regreſſis, præceperunt Epiſcopi, ut Reſponſum Photii magna voce legeretur. Erat vero hujusmodi: *Nunquam antea ad Synodum me vocaſtis, & modo miror, quod vocetis. Sed ultro non ibo. Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam. Quod ſequitur ipſi legite.* Scilicet illa Pſalmi verba: *Cum conſiſteret peccator adverſum me.* Quo reſponſo audito, Legati Romani dixerunt: *Non eum vocamus, ut nos doceat, ſed ut ipſo præſente cauſa finiatur, quæ Eccleſiæ Romanæ*

Pſal. 38.

&

& Orientis tantorum laborum occasio ex- Sæculum IX.
titit. Cuncti Episcopi petierunt, ut vo- A. C. 869.
caretur, atque Elias Syncellus Jero-
solymitanus admonitionem dictavit ipsi
mittendam, ejusmodi: *Cum viros, qui*
hanc Sanctam Synodum constituunt, pec-
catores pronunciaveris, Legatos, Episco-
pos, Senatum, verba Prophetæ maligne
detorquens, respondemus, quod plenus ope-
ribus tenebrarum lucem fugias. Sed scri-
ptum est: in camo & fræno maxillas eorum *Psal.*31.9.
constringe, qui non approximant ad te.
Concilii et Imperatoris potestate, quod Pro-
pheta hic dicit, fiet. Hac admonitione
ad Photium delata & perlecta, respondit:
Cum ad veniendum compellitis, cur inter-
rogando tempus teritis? Hoc quoque re-
sponso audito, secunda ei admonitio mit-
titur hujusmodi: *Vocavimus te, secun-*
dum ritum Ecclesiæ, sperantes ultro te ven-
turum; sed quia peccator es, & manife-
stus, noluisti Synodum sponte intrare
damnationem pertimescens. Quare hac
secunda admonitione jubemus, ut etiam
nolens adducaris. Tum in Concilium in-
troducitur.

Legati Papæ ad Senatores dixe-
runt: *Quis est ille, qui in novissi-*
mo loco hujus Sanctæ Synodi adstat? Se-
natores responderunt: *Photius est.* Le-
gati: *An ille est Photius, propter quem* Photius in
Sancta Ecclesia Romana per annos septem Concilio ta-
cet.

Sæculum IX. A. C. 869.

& amplius sustinuit labores multos? quis etiam Ecclesiam Constantinopolitanam funditus evertit, & usque in hunc diem Ecclesias Orientis fatigavit? Senatores dixerunt: *hic est.* Legati Romani quæsiverunt; *an recipit Constituta Sanctorum Patrum?* Senatores dixerunt: *interrogetur.* Et ipsis jubentibus Georgius Palatii Custos interrogavit. Sed Photius non respondit. Legati Romani quoque interrogarunt, & subjunxerunt: *An recipis explicationem Nicolai Papæ? recipis, quæ egit Hadrianus Papa, ejus Successor? dicat! dicat!* Photius necdum quidquam respondit. Legati Romani: *Audivimus, quod homo sit eloquens, & scimus, quod sit magnus peccator & adulter, dicat! dicat!* Photius dixit: *Deus audit vocem meam, etiam tacentis.* Legati: *Per silentium non effugies manifestam damnationem.* Photius dixit: *nec JEsus tacendo evasit damnationem.*

Legati Orientis dixerunt: *Insolentissima hæc locutio nullo responso digna est. Homuncule (*)! tu te JEsu Christo compares? nulla communicatio lucis ad tenebras! quid Christo, & Belial? sed re-*

2. Cor. 6. 15.

sponde Sanctissimis Vicariis Senioris Romæ

(*) Hac castigatione præclara Photius dignissimus fuit.

mæ, an Romanorum Pontificum Decreta suscipias. Photio non respondente, Legati Romani dixerunt: *Inclinet cervicem suam, verbo & scripto confiteatur peccatum suum, anathematizet, quæ summa injuria bis adversus Ignatium Patriarcham egit, promittat, se nihil amplius contra ipsum insidiose machinaturum, sed eum Pontificem suum magno pudore suscipiat, & Apostolicæ Cathedræ judicia tam de se quam de Ignatio Patriarcha promulgata, ut debet, amplectatur.* Photio contumaciter silente, Legati Romani subjunxerunt: *Ecce homo, qui obturavit aures suas, sicut aspidis surdæ. Et vocem Synodi audire contemnit. Legantur epistolæ, ipsius causa a Sancta Romana Ecclesia missæ.* Lecta est epistola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem, item epistola Photii a Rodoaldo & Zacharia delata, quæ jam in præcedente Sessione recitatæ fuerant. Hac secunda epistola perlecta Metropolitæ Photium interrogarunt, cur non responderet. Sed ipse siluit. Præterea lecta est epistola Imperatoris per Leonem a Secretis missa, & tandem prima ad Photium vigesima quinta Sept. anno octingentesimo sexagesimo data, prius nunquam lecta, in qua Pontifex ejus Fidei confessionem recipit, reprobans ordinationem.

Sæculum IX. A.C. 869.

Ps. 57.

Sup. lib. L. §. 11.

Sæculum IX. A. C. 869.

p. 1041.

Tunc autem, postquam Vicarii Orientis fandi licentiam petiissent, Elias cathedram ascendit & peroravit in hunc modum: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores congregabant Synodos, & ex toto terrarum orbe Vicarios colligebant.* Constat eum solummodo de Conciliis generalibus loqui, ut notat Anastasius. Et prosequitur: *Nemo ipso Imperatore melius, unde venerimus, & a quibus missi simus, testatum facere potest. Ex quo hic sumus, ubi per annos propemodum duos, priusquam Legati Romani advenissent, versabamur, quadam die Imperator Sacris, quas gestare adsuevit, Reliquiis*, collo nostro injectis, ait: Deus aliquando in die Judicii rationem exquiret hujus Sententiæ, quam nomine totius Ecclesiæ pronunciaturi estis; caveteigitur viri, senectute venerabiles, ne favore aut odio cujuscunque vos ad judicandum impelli sinatis. Hanc regulam amplectimur & imperturbati sequimur. Itaque non ideo recipimus Ignatium, quod eum in Throno Episcopali sedere & magna auctoritate præditum cernimus, nec ideo Photium damnamus, quia ibi stare cogitur, & omni potestate exutus videtur. Quamvis etiam intempestiva commiseratione flecti nolimus; nam videtis, pervicacis hominis silentium, Sanctam Synodum spernentis. Id enim ex paucis, quæ protulit, satis*

Oratio Eliæ Jerosolymitani.

* encolpium suum.

satis constat. Ego autem Ecclesiæ Jero- Sæculum IX.
solymitanæ ab annis septem integris Syn- A. C. 869.
cellus perbene novi, nos ab eo nullas litte-
ras accepisse, nec ei remisisse. Sed & fre-
quenter audistis, quid Sanctissimus Tho-
mas Metropolita Tyriensis locutus fuerit.
Id vero nunc etiam affirmat, quod Sedes
Antiochena neque susceperit unquam a
Photio litteras, neque scripserit. Illud
quoque novistis, quid Ecclesia Romana de
ipso decreverit; unde iterum id ipsum ei
in faciem dico, quod oculis suis videat,
& auribus audiat. Satis damnatus est,
quem nulla Sedes Patriarchalis recepit.
Et inepte hodie studet silentio, quo igna-
ris imponere cupit, simulatque, sibi argu-
menta non deesse. Nam nihil habet, quod
opponat, & in sui defensionem proferat.
Omnibus nobis notum est, quam immani
fiducia in Sedem Constantinopolitanam in-
silierit, & quanta tyrannide obtinuerit.
Nunc ergo consilium damus ei & admone-
mus, ut cognoscat peccatum suum, & si
quidem pœnitentiam egerit manifeste ac
sincere, suscipiatur in Ecclesia Salvatoris
Nostri quemadmodum unusquisque Fide-
lium, habens spem vitæ æternæ.

Inde Legatorum Romanorum sententia lecta, in hæc verba: *Vidistis, Fratres nostri, & audistis, quæ ex multo tempore dicta & gesta sint in hac causa. Nemini non constat, Photii Ordinationem*

Sæculum IX. A. C. 869.

recipi non potuisse, atque Ignatium Patriarcham contra æquitatem & Canones fuisse depositum. Nos ergo non novum judicium pronunciabimus, sed illud quod Nicolaus Papa pronunciavit, & Hadrianus Papa confirmavit. Quis vero ulterius, Christianus esse volens, eum recipiat, quem nec Sedes nostra Apostolica, nec Sedes Orientales receperunt? sed ejusmodi conatum abjicimus & sub anathematis pœna prohibemus, ne deinceps in quocunque Ecclesia Legitimus Episcopus a sua sectione Sæculari temere e Sede sua ejiciatur, & alius inique subrogetur. Edicite, num placeat vobis sensus iste! quod si vero a vobis non acceptaretur, nos tamen in hac Synodo tanquam supra montem elevaremus vocem nostram, qua vobis Acta Patrum nostrorum promulgaremus. Hanc sententiam perlectam, Legatis, quid Concilium sentiret, exquirentibus, omnes approbarunt.

Photius contumax.

Legati Romani iterum Photium hortari, ut cervices flecteret coram Concilio & Ignatio, quo ad Communionem laicam reciperetur. Et Bahanes Patricius: *Loquere, Domine Photi, loquere, quæcunque causæ tuæ prodesse possunt. Totus Mundus in hoc loco collectus est. Secus timendum, ne Sancta Synodus misericordiæ suæ viscera claudat. Quo namque confugies? Romam? ecce, Romani hic.*

In

In Orientem? ecce, Orientales adsunt. Claudetur janua, quam, si isti clauserint, nemo aperiet. Dic, vir Dei, quid habes pro causa tua? Photius respondit: *Justificatio mea non est in hoc mundo. Si in hoc mundo esset, videretis eam.* Bahanes reposuit: *Credimus, quod pudore & metu turbatus desipias, nesciens, quid loquaris. Hinc Sancta & universalis Synodus concedit tibi spatium, quo consulas saluti tuæ. Vade, dum redire jubearis.* Photius: *Spatium temporis nullum peto; me autem dimittere in vestra potestate est.* Tandem Bahanes eum rursus monuit, ut salutem suam curaret, & perpenderet, post Legatorum abitum, quidquid dicturus vel facturus esset, nihil firmum fore vel validum. Sed frustra omnia; ipse enim vocem obstinate pressit. Tandem Concilium: *Vadat, & penset, quid sibi profuturum sit.* Exivit Photius, & soluta est Sessio. Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXXIV.

Sessio sexta. Imperator in Concilio.

Sessioni sextæ vigesima quinta Octobris celebratæ ipse Imperator Basilius primo loco sedens interfuit. Cum Metrophanes Smirnensis brevem sermonem in laudem Concilii & Imperatoris pronunciasset, Patres luci Cœli, & fluminibus terræ comparans, jussit Imperator legi

Sæculum IX. A. C. 869. legi libellum a Legatis Papæ allatum, in quo tota cauſa in compendium contrahebatur, & dicebatur in fine; quia jam tota Eccleſia in damnando Photio conſentiret, non amplius expedire, ut Photii fautores audirentur. Nihilominus 25. *Octobr.* jubente Imperatore introducti ſunt Epiſcopi Photio adhærentes, & ipſis præſentibus lectæ ſunt litteræ Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem & ad Photium deferente Leone a ſecretis datæ. *p.* 1048. 1313. Tum Elias Syncellus Jeroſolymitanus ſermonem habuit ad Synodum, & poſtquam in exordio Gratias egiſſet Imperatori, quod tanto zelo Eccleſiæ pacem curaret, & omnia acta breviſſima narratione fuiſſet complexus, omnibus viribus affirmavit, libellum abdicationis ab Ignatio in ſuo exilio datum, nullius eſſe valoris, utpote vi extortum; ſi tamen revera talis libellus exiſteret. Et ſubjunxit: *Si Photii Fautores dicant, omnes Metropolitas & Epiſcopos congregatos Photium ordinaſſe, ideoque, ſi ipſe recipi non poſſet, multo minus eum Ordinantes; eis objicimus, quod in Concilio ſecundo ſub Theodoſio Imperatore in hac Civitate Conſtantinopolitana celebrato actum eſt, ubi rejecto Maximo Cynico, & omnibus ab ipſo ordinatis, illi tamen, qui ipſum ordinaverant, damnati non ſunt. Hinc etiam Epiſcopos, qui, cum ordinaretur Photius,* inter-

Sup. lib. XVIII. §. 1. Concil. Conſtant. c. 4.

interfuerunt, non rejicimus, quia ab Imperatore ad id faciendum fuerunt compulsi. Solum Gregorium Syracusanum, jam prius depositum, atque ab Ignatio Patriarcha & Ecclesia Romana anathematizatum damnamus. Sæculum IX. A. C. 869.

Elia hæc elocuto complures Episcopi ex Fautoribus Photii, Concilio se subjicientes, veniam obtinuerunt. (*) Ceteri promissa sua & jusjurandum obtenderunt. Sed omnes Legati dixerunt: *Hæc omnia vobis dissolvimus per gratiam JEsu Christi, qui nobis ligandi & solvendi potestatem dedit; quoniam ad ea facienda compulsi fuistis. Quod Judicium nostrum vobis coram Imperatore & Concilio manifestamus.* Tunc Imperator ad Episcopos Photianos: *Audivistis jam sententiam Patriarcharum Romani, Jerosolymitani & Antiocheni. Quid vobis videtur?* Illi: *respondemus ad hæc.* Et aliquis ex eorum numero Euthymius Cæsa- *Gr. p. 1313.* *p. 1094.*

(*) Non accurate hæc narrat Fleurius. Non enim hic aliqui iterum Episcopi Photiani conversi, sed Elias sermonem suum prosecutus dicit: *Hæc enim plurimi eorum, qui Photii factionis erant, scientes, confugerunt salubriter, ac reverenter atque sensate ad Sanctam Synodum, & convenientem veniam meruerunt.* Tom. V. Act. Conc. Edit. Paris. sermo igitur est de iis, qui ab initio recepti fuerant.

Sæculum IX. A. C. 869.

Cæsarienſis in Cappadocia, a Photio ordinatus, dixit: *Domine Imperator! novimus te optimum Principem, & Juſtitiæ amantem. Da nobis in litteris publicis fidem tuam, quod cauſam noſtram libere propugnare poſſimus, & ſperamus, nos demonſtraturos, omnia, quæ nobis opponuntur, nullius eſſe roboris.*

Imperator repoſuit: *Vos, vos potius, loquimini talia, quæ nullius ponderis eſſe queunt, cum ea reſpuitis, quæ a Cathedris Patriarchalibus decernuntur. Conciliabula veſtra a vobis ſolis & ſolius Principis auctoritate, ſine Patriarcharum conſenſu celebrata, Sancta appellare auſi eſtis, & hanc Synodum contemnere non erubeſcitis. Minime ignoratis vos, & quotquot ſunt ſub ſole homines, quod per Dei auxilium quinque Cathedræ Patriarchales in fide errare non poſſint. Ergo eorum judicia cuncta recipere tenemini. Sed apparet, vos non credere, ea quæ modo ſtatuuntur, revera Cathedrarum omnium auctoritate fieri. Ideo quæro; creditis omnium Patriarcharum conſenſu hæc fieri, vel non creditis?* Epiſcopi Photiani reſponderunt: *De hoc non dubitamus. Si creditis*, inquit Imperator, *eorum ſententiam recipite. Si non creditis, ego itineris veſtri expenſas ſuppeditabo. Ite ad Patriarchas, & in rei veritatem*

tatem inquirite. Episcopi Photii: *Hic inquirendum est.* Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXXV.

Objecta Photio faventia.

Zacharias Episcopus Calcedonensis a Photio ordinatus, dixit: *Canones supra Papam Nicolaum & omnes Patriarchas sunt. Si faciant illi, quod contra Canones pugnat, iis non subjicimur. Julius Papa Marcellum Ancyranum recepit, eumque Concilium Sardicense trecentorum Episcoporum innocentem declaravit, & nihilominus inter Hæreticos hodie anathematizatus est. Infelix ille Apiarius, ab Episcopis Romanis defensus, rejectus est ab Africæ Concilio, quod Papæ scripsit, melius facturum, si propria curaret, & extra fines suos non excederet. Et alia ejusmodi paradigmata decies mille habemus. Si dicatur, Photium non debuisse ex Laico ordinari Archiepiscopum, sequitur quidem, oportere ex hac admonitione Ordinantes imposterum cautos reddi, sed ideo damnari non potest. Ceterum consuetudo hanc regulam superavit. Ita ordinati fuere Tarasius, Nicephorus, Nectarius. Cæsareæ, Talassius & Eusebius. Mediolani Ambrosius, & alii innumeri. Item si dicatur, quod a depositis fuerit ordinatus; primum non opinamur hoc verum esse. Neque etiam ob crimina depositi*

Sæculum IX. A. C. 869.

siti fuerunt, sed quod Ecclesiæ obedire noluerint, cui vero postea se submiserunt. Verumtamen etiamsi Gregorius depositus fuisset; num ideo Photius ejus manibus consecratus esset noxius, vel alii, qui ejus Ordinationi interfuerunt? Flavianus p. 1051. *Sup. lib. XXVII. §. 29. §. 41. XXVIII. n. 1. Sup. lib. XXIX. §. 49. Sup. lib. XXX. §. 16.* *deposuit Eutychem, & suscepit eum Anatolius. Nihilominus Episcopi quartæ Synodi non sunt damnati, quod cum isto communicaverint. Petrus Mongus a Proterio depositus fuit, quod esset Hæreticus, & post Timotheum Sedem Patriarchalem tenuit, quin tamen quisquam eorum, quos ordinaverat, damnatus fuerit. Acacius Constantinopolitanus condemnatus fuit a Papa Romano. Ille quidem hanc damnationem insuper habuit, & ipsius Successores, qui eum receperant, Fravitta, Euthymius, & Macedonius in Ecclesia recipiuntur. Hoc itaque statuimus; si quis Canon nos deponat, acquiescimus, secus non paremus.* (*) *Etenim Flavianum Antiochiæ Patriarcham Romani non receperunt; quem vero nullus Canon condemnavit.*

Basilius Imperator dixit: *Omnes illi,* p. 1051. 1320. *quos memoratis, diversis temporibus lapsis, ab aliis Patriarchis erecti fuerunt; vobis vero ejusmodi auxilium defuit. Omnes Patriar-*

(*) Hæc omnia infra fuse & solide refutantur.

Patriarchæ vos damnant. Nunc autem Salus vestra nobis curæ est, & hortamur, ut veniam vobis a Concilio oblatam amplectamini. Omnes novimus, quod Laici sitis; nec vos huc accersivimus, ut incondite latretis, quippe quæcunque profertis mendacia sunt ad seducendos alios contexta. Episcopi Photiani dixerunt: *Hoc nec Diabolus ausus est dicere.* Et Imperator sermonem prosecutus, *possetis dicere,* inquit, *eodem tempore quo Deus permisit, vos Episcopali ministerio fungi, etiam permisisse majora mala, quæ oculis vestris conspicitis. Habemus Episcopos, quorum aliqui sunt Patricii, alii Spatharii, alii Stabularii. Possum coram vobis probare, quod Theophilus Protospatharius, Pallio more Patriarcharum ornatus Photio incensum tradiderit.* Tum Imperator conversus ad Eulampium, addidit: *An non ipse vidisti?* Cui Eulampius respondit: *Si eum vidi, deleat me servum suum Dominus Deus de libro vitæ. Attamen, Domine, Ignatius munus abdicavit.* Imperator: *Ubi tunc erat, quando abdicavit?* Eulampius: *Foris erat in Insula sua, & forte propter senectutem suam, vel etiam propter languorem abdicavit.* Basilius: *Miserit quemquam ad Imperatorem, qui diceret, velle se Dignitatem relinquere, & peteret mitti sibi virum, per quem abdicationem transmitteret.*

Sæculum IX. A.C. 869.

Sæculum IX. A. C. 869.

Marinus Legatus Romanus dixit: *Quis est iste, qui in conspectu Majestatis tuæ adstat & loquitur?* Imperator: *Est Eulampius.* Tres Legati dixerunt: *Is depositus est & anathematizatus ab Ecclesia Romana, & quomodo coram te, Domine, talia ausus est proferre? nos cum deposito & anathematizato non loquimur, nec pati possumus, ut tu loquaris. Volumus autem, ut prælegatur illis Libellus Ecclesiæ Romanæ, & sic ad communionem laicam, si sincera ducantur pœnitentia, admittantur. Si vero in malo proposito persistant & occludant aures suas, judicium ab Ecclesia Romana, Indictione undecima, nempe anno octingentesimo sexagesimo tertio contra Photium & Fautores ejus pronunciatum retractare nequimus. Non habemus, quod eis respondeamus, nisi a nobis esse anathematizatos & ab omnium Christianorum sorte separatos.* His subjunxerunt Romani: *Quinam ex vobis a Sanctissimo Patriarcha Ignatio ordinati sunt?* Cum prodirent tres Episcopi, Legati Romani quæsiverunt, an Concilii judicio se subjicerent, & Libello Romano subscribere vellent. Illi responderunt: *Absit! Deus non vult. Sed, si jusserit Imperator noster, omnia, quæ acta sunt, dicemus.* Reponentibus Romanis: *Si vocem Concilii audire non vultis, ite ad patres vestros, illi ad alterum latus se contulerunt.*

Sup. lib. L. §. 26.

§. XXXVI.

Sæculum IX. A.C. 869.

§. XXXVI.

Responsa ad ea, quæ Photius objiciebat.

Metrophanes Metropolita Smyrnensis ad Zachariam Calcedonensem dixit: *Ad ea, quæ dixisti, respondemus tibi. Leges tam Ecclesiasticæ quam Civiles sanciunt, ut qui Judicem elegerit, illius sententiæ se simpliciter subjiciat. Cum vos igitur Beatissimum Papam Nicolaum Judicem petieritis, quis jam vos ferat de ejus sententia querentes, & dicentes, quod legibus canonicis adversetur? si istud liceat, nullum unquam judicium erit firmum; nemo enim sententiam laudat, qua condemnatur.*

Cum vero exempla Nectarii, Ambrosii, & Nicephori iterum recoquas & dissimules audivisse argumenta, quibus ea Nicolaus Papa refutavit, iterum tuo bono explicabimus, quantum inter se distent illa exempla & ordinatio Photii. Nectarius electus & ordinatus est Archiepiscopus Constantinopolitanus in Concilio universali præsentibus pluribus Patriarchis, cum eos Imperator ad eum eligendum nullo modo cogeret, & nullus Archiepiscopus luce fruens propter Nectarium e Sede Constantinopolitana innocens pelleretur. Ambrosius ordinatus est Episcopus Mediolanensis, mortuo Auxentio Ariano, in Concilio

Sup. lib. XVIII. §. 5.

Sup. lib. XVIII. §. 21.

Sæculum IX. A. C. 869.

cilio Episcoporum Catholicorum, nullo secundum Principe eos ad hoc faciendum impellente. Tarasius testimonio Pauli, Antecessoris sui, & omnium Catholicorum suffultus, nemine vim inferente, electus est. Pari modo, Tarasio fatis functo, Nicephorus ab Episcopis congregatis liberrime electus & consecratus est. Nihil omnino tale invenitur in Photio, vivente Episcopo legitimo intruso, ab Episcopis auctoritate Cæsarea oppressis ordinato, & a nulla Cathedra Patriarchali recepto. Denique aliqua exempla peculiaria Regulam universalem non subvertunt. (*)

Sup. lib. XLIV. §. 24.

Sup. lib. XLV. §. 33.

Dixisti, multos, quos Ecclesia Romana absolvit, damnatos, & multos, quos damnavit, absolutos haberi. Falsum est hoc, & procul a veritate. Julius Papa & Synodus Sardicensis Marcellum omnes Hæreses, & præcipue illam, quam tenere dicebatur, ana-

Sup. l. XII. §. 25. 35.

(*) Hæc refutare oportuisset Caveum, qui in Articulis de Ignatio & Photio, omnia quæ Photio favere videntur memorat, quæ adversantur, premit silentio. In Ignatio, dicit: *Sententiam suam* (nempe contra Gregorium Syracusanum) *a Leone & Benedicto Romanis Pontificibus confirmari frustra postulavit.* Eundem vero Gregorium a Nicolao Papa & Hadriano damnatum & anathematizatum reticet. Fleurius econtra, quæcunque Photiani ad defendendam malam causam attulerunt, sincere refert.

Sæculum IX. A. C. 869.

Photiani refutantur.

anathematizantem juste & canonice receperunt. Magnus Athanasius & Confessor Paulus, illa celeberrima Ecclesiæ fulcra, pariter Marcellum receperunt, & cum eo communicarunt. Sed tandem ad proprium vomitum reversum & Hæreticum depressum Silvanus & Liberius Julii Successor anathematizarunt. Apiarium Presbyterum ab Urbano Episcopo suo excommunicatum, & deinde in Concilio depositum, Zosimus Papa, ad quem appellavit, innocentem pronunciavit, & ad Concilium Africæ remisit restituendum. Concilium vero de iis, quæ in causa Apiarii acta fuerant, rationem reddidit Bonifacio Papæ Zosimi Successori, qui Apiarii Interdictum ad solam Ecclesiam Synicensem, in qua scandali occasionem posuerat, restrinxit. Itaque Concilium Africæ Decreto Zosimi Papæ paruit, non vero, quod tu confingis, obstitit.

Sup. lib. XXIV. §. 6. 11.

to. 2. Conc. p. 1671.

Flavianum Patriarcham Antiochenum Ecclesia Romana ad tempus repulit volens favere Eustathio, & Paulinum Eustathianorum Principem in illa Sede stabilire. Sed Romani in illa sententia non perstiterunt, & intercedente Theodosio Imperatore tandem Flavianum, Patriarcham Antiochenum, receperunt. Dicere, quod Mongus Alexandrinus, & Acacius Constantinopolitanus depositi fuerint, nequaquam vero illi, qui ab utroque manuum

Sup. lib. XVIII. §. 3. XIX. §. 27. 50.

Sæculum IX. A. C. 869.

impositionem acceperunt, nihil confert ad causam vestram. Nam aliud decernunt Canones de Hæreticis conversis, & aliud de illis, qui ab Usurpatoribus ordinati fuerunt. Quippe jubent, recipi illos, qui Hæresim abjiciunt. Ita etiam Concilium Orientis, & Felix Papa Simplicii Successor Petrum Mongum damnatum, simpliciter deposuerunt, & Felix deposuit Acacium, sed illos, quos Petrus & Acacius ordinarunt, non damnarunt. Econtra Canones nullatenus illos recipiunt, qui ita sicut Photius tuus, & tu ipse ordinati estis, atque hoc ipsum Synodus secunda Oecumenica de Maximo Cynico, & omnibus illis, quibus ipse manus imposuerat, decrevit. Gregorius autem Syracusanus, qui Photium ordinavit, non modo tanquam Schismaticus, sed etiam multorum criminum convictus, depositus fuit. Bene affirmasti, ceteros Episcopos, cum ipso manus imponentes, tanti criminis non esse reos, quia vim passi sunt. At Photius jam prius fuit Schismaticus, & a Gregorio ordinari voluit libere, nemine cogente, quibusdam Episcopis præsentibus frustra reclamantibus.

Cum Zacharias vellet quidquam reponere, Legati Pontificis ad Imperatorem, nihil omnino profuturum, dixerunt, si ulterius de re judicata pugnantes audirentur. Tuncque Constantinus a Se-

a Secretis ambonem conscendens prolixum & nomine Imperatoris concinnatum sermonem legit, quo Schismatici ad concordiam invitabantur. Summa orationis fuit hujusmodi: *Scrutamini intima conscientiæ vestræ, & invenietis male ab Ecclesia vos esse disjunctos. Novissima hora est, fratres mei, & prope est Judex. Absit, ut ab ejus Ecclesia separati a morte occupemur! nullatenus turpe ducamus, vulnus nostrum ostendere, atque remedium quærere. Si autem hæc fateri vos pudeat, ego, Imperator, humilitatis forma vobis efficiar. Ego qui imperitus & insipiens sum, sanam vobis doctrinam tradam, viris doctis & in virtutis palæstra exercitatis. Primus me super pavimentum projicio, purpuram & diadema parvi pendens. Ascendite super scapulas meas, calcate verticem & oculos. Nihil horreo, patiar omnia, si modo pacem Ecclesiæ videam, & salvem animam meam. Quid est, quod facere potui, & non feci? vos de cetero videbitis; ego innocens sum a perditione vestra. Deponite igitur contentionem, Fratres, spiritum concordiæ & charitatis induite, in viam magis securam redite, & capiti conjungimini. Nihil ob sæcularia sitis soliciti; nam consolabimur vos, & quæ opportuna sunt faciemus. Tota auctoritate nostra apud Patriarchas vestros intercedemus, ut*

Sæculum IX. A. C. 869.

p. 1059.
p. 1057.

Oratio Cæsaris.

Sæculum IX. A. C. 869.

indulgentiam concedant, & benigne habeamini. Tantum non obstinate in præcipitium vos ipsos conjicite, sed favente occasione utimini. Nolite aliud tempus & vicissitudines expectare, quæ etsi contigerint, nihil vobis conferent. (*)

Legati Pontificis, & Orientis, approbatis omnibus, quæ Imperatoris nomine pronunciata erant, lenitatem ipsius, comparatam crudelitati, qua Photius adversarios suos fuerat prosecutus, dilaudarunt. Tum iterum Imperator ad Schismati-

(*) Ex hac Oratione Eminentissimus Baronius etiam verba sequentia excerpsit: *At si & thronum aliquando Constantinopolitanum illi, qui cuncta violat, vobis commiserit &c.* Edit. Colon. ad ann. 869. Et addit: *Hic velim, antequam ulterius progrediamur, Lector, observes & memoriæ mandes, quod ait Imperator non nisi per eum qui cuncta violat, prævum intelligens Dæmonem, accidere posse, ut Photius iterum Constantinopolitanum thronum accipiat, ut cum id factum suo loco cognoveris, operatorem intelligas.* Et infra: *Hæc ab Imperatore futura nesciente prophetice esse dicta declararunt eventa.* In Actis autem Conc. Edit. Paris. ita legitur: *At etsi Thronum aliquando Constantinopolitanum cuncta destruens tempus vobis commiserit .... quis vos sequetur?* Nunc, quidquid de lectionum varietate sit, opportunissime profecto Cardinalis hanc reflexionem inseruit.

maticos; ſeptem dierum ſpatium ad deliberandum ſe ipſis concedere, quibus præterlapſis niſi ſe ſubjicerent, Patres Concilii ſententiam pronunciaturos. His, inter ſolitas acclamationes diſceſſum. Sæculum IX. A. C. 869.

§. XXXVII.

Photius & Gregorius in Concilio. Seſſio Septima.

Seſſio ſeptima elapſo quatriduo, nempe vigeſima nono Octobris celebrata, Imperatore præſente. Quo etiam jubente, Bahanes Patricius ad Legatos Romanos dixit: *Induciis Photio datis jam completis, duximus eum iterum ad Sanctam & univerſalem Synodum. Si ita jubetis, introducetur.* Nempe dies decem a quinta Seſſione, ubi fuerat introductus, numerabantur. Legati dixerunt: *introducatur.* Intrat Photius ſcipione innixus, comitante Gregorio Syracuſano. Marinus Legatus Pontificis dixit: *Auferte de manu ejus ſcipionem, Dignitatis Paſtoralis ſignum! non habeat in manibus baculum, quia lupus eſt, non paſtor.* Aufertur itaque ei baculus; Legati autem Romani dixerunt: *Interrogate illum, an deliberaverit, & libellum ſcribere velit.* Tum Bahane interrogante reſpondit Photius: *Rogamus Deum Gregorius & ego, ut per multos annos conſervet vitam Im-* 29. *Octobr.* *p.* 1061.

Sæculum IX. A. C. 869.

peratoris, cui de omnibus, non vero Legatis, rationem reddemus. Bahanes dixit: *Nihil aliud affertis?* Photius: *Si isti morem gessissent dictis nostris, quæ nuper attulimus, hodie non ita interrogarent. Si vero eos judicii sui jam pœnitentia subiit, eam operibus ostendant.* Bahanes: *Quam tu pœnitentiam?* Gregorius: *Agant ipsi pœnitentiam de peccato, quod admiserunt.* (*)

Cum Bahanes hunc sermonem Legatis retulisset, illi per interpretem, nam græcæ linguæ ignari erant, *nos non convenimus, ut accipiamus ab ipsis vel increpationem vel pœnitentiam, sed ipsi a nobis hanc debent accipere. Talia non sine Ecclesiæ ludibrio loquuntur. Nihil aliud interrogamus, nisi an velint libello Romano subscribere. Scimus, quod a pedibus usque ad caput vulnerati sint propriis iniquitatibus. Nolumus aliud respondere.* Eadem ferme responderunt Legati Orientis, & Photius iterum a Bahane interrogatus dixit; nihil se habere, quod ad calumnias responderet.

§. XXXVIII.

Alii Schismatici coram Concilio.

Episcopis deinde Photianæ factionis introductis Legati Papæ dixerunt: *In præ-*

(*) Summa certe fuit illa ætate Disciplinæ Eccle-

præcedenti Actione admonuimus eos ut scriberent Libellum satisfactionis, quo eos in communionem tanquam sæculares reciperemus. Singulos interrogate, an scribere velint. Aliud ab ipsis audire nolumus. Tum, Bahane interrogante, *an facit aliquis vestrum libellum?* Episcopi Photiani responderunt; *absit!* Amphilochus & Zacharias, duo Photiani dixerunt: *Qualem libellum facere jubemur? fidei nostræ?* Bahanes ad Legatos: *Qualem libellum expetitis ab eis?* Qui dixerunt: *Quem Roma attulimus, ut Photium rejiciant, & acta ejus, ut Gregorium Syracusanum anathematizent & Ignatio subjiciantur, tandem, ut quæ Ecclesia Romana decrevit, omnia impleant.* Joannes Episcopus Heracleensis respondit: *Qui hunc Episcopum* (simul Photium extensa manu monstrabat) *anathematizat, anathema sit!* Zacharias Calcedonensis addidit: *Nos iis, quæ sanæ rationi adversantur, parere nec possumus nec volumus. Novimus, quomodo res se habuerit.* Euschemo Cæsariensis olim in Cappadocia dixit: *Ego iis, quæ contra rationem & Canones pugnant, non consentio. Roma aliquis aut Jerosolyma, aut Angelus de Cœlo veniat, non obsequor.* Sæculum IX. A. C. 869.

Tum

Ecclesiasticæ lenitas, & Imperatoris in hoc Concilio præsentis patientia.

Sæculum IX. A. C. 869.

Tum Bahanes, consentientibus Legatis, ad Photium & Photianos Episcopos nomine Imperatoris locutus est in hunc modum: *Dicite, amici, unde estis? de Cælo, de abysso, aut de terra, in qua degimus? ostendite nobis hac hora, quotiescunque Hæresis nata est, vel Schisma emersit, quemquam Christianorum sententia quatuor Patriarcharum refragantem, aliquando salvum fuisse? Hodie vero quatuor Sedes Patriarchales, imo quinque damnant vos; quid vobis ad hæc videtur? estne aliquis, qui adjuvet vos? edicite.* Episcopi Photii dixerunt: *Habemus Canones Apostolorum & Conciliorum.* Bahanes: *Ubi vero posuit Dominus Canones? nonne in Ecclesiis suis? ubi Ecclesiæ istæ sunt? ubi Evangelium prædicatur?* (*) *nonne in illis locis, unde hi Legati advenerunt? an dantur aliæ? edicite.* Episcopi Photii, conversi ad Imperatorem, sibi per os Bahanis loquentem, dixerunt: *Deus custodiat sanctissimum Imperium tuum! petivimus promissum impunitatis, quo*

(*) Id ipsum, quod in hoc loco Basilius Imperator Græculis quibusdam Schismaticis objicit, contra quoscunque adversus Romanam Ecclesiam Protestantes argumentum est indissolubile. Edicant enim, qua auctoritate Lutherus, postquam a Romana Ecclesia defecit, Evangelium explicaverit, publica vel privata? si publica, nominent illam

quo causam nostram libere exponeremus, & non accepimus; quomodo ergo loqui possumus? Sæculum IX. A. C. 869.

Bahanes dixit: *Imperator non prohibet, sed consentit & vult, ut loquamini. Sed Judices audire vos nolunt, quia nihil affertis nisi convicia.* Photiani: *Nos eos Judices nostros non agnoscimus.* Bahanes: *An Canones rejiciunt Patriarcharum Legatos? an eorum judicia rationi adversantur?* Amphilochus: *Adversantur maxime.* Bahanes: *An contra Canones & mentem Patriarcharum suorum judicant?* Photiani: *Ita est.* Bahanes: *Ite ergo ad Patriarchas, ut de hac re certiores efficiamini.* Addidit ipse Imperator: *Quotquot dicitis, hos Legatos a Patriarchis fuisse missos, eorumque litteras commendatitias habuisse, & de hac re non ambigitis, recipite eos, ipsorumque judicia, quotquot autem de hac re dubitatis eosque habebitis suspectos, ite ad Patriarchas, interrogate, & alios Legatos adducite.* Photiani: *Hic examinetur causa.*

Postea

illam Ecclesiam, a qua auctoritatem Romanæ Doctrinæ contraria docendi acceperit, si privata, majore auctoritate quam Arius, vel quicunque alius superiorum sæculorum hæreticus non gaudebat. Hinc etiam Græculi nostri ad hoc Bahanis argumentum in Concilio Oecumenico nihil, quod ad rem esset, respondere potuerunt.

Sæculum IX. A. C. 869.

Sup. lib. L. §. 53.

Sup. 6. 19. 26.

Sup. §. 19. p. 1096.

Postea jubentibus Papæ Legatis lecta est ampla epistola Nicolai Papæ ad Orientales anno octingentesimo sexagesimo sexto data, continens Decreta Concilii Romæ anno octingentesimo sexagesimo tertio celebrati. Item prima epistola Hadriani Papæ ad Basilium Imperatorem prima Aug. anno octingentesimo sexagesimo octavo data, atque etiam illa, quam eodem tempore ad Ignatium Patriarcham dederat. Præterea lectæ sunt secundæ epistolæ Hadriani ad Basilium & Ignatium decima Junii anno octingentesimo sexagesimo nono datæ, jam prius in Concilio recitatæ. Tum nomine Legatorum lecta est ultima admonitio ad Photium & ejus Fautores directa, qua ad obediendum sub pœna anathematis excitabantur. Nomine Ignatii quoque lectus est sermo, in quo pro sua restitutione & Ecclesiæ pace gratias dicebat. His peractis complures anathematismi in Photium pronunciati. Usurpator, Schismaticus, Falsarius appellabatur. Gregorio quoque Syracusano, Eulampio, & ceteris omnibus Photii Sectatoribus anathema dictum. Quibus egressis solito ritu acclamando finis Sessioni impositus. (*)

§. XXXIX.

(*) In Actis Conc. leguntur: Versus Jambici apud Græcos pro acclamatione Concilii, Pho-

§. XXXIX.

Sæculum IX. A. C. 869.

Sessio VIII. Libelli combusti.

Sessio octava die quinta Novembris habita. Bahanes nomine Imperatoris etiamnum præsentis dixit: *Quorumdam versutia & malitia effectum, ut novissimis annis Episcopi, Senatus, & tota civitas malæ causæ subscriberent inviti, & mendaciis decepti. Hodie vero volumus, ut hi libelli manibus vestris igni tradantur, speramusque in Dei misericordia & vestris precibus, hujus delicti veniam impetraturos, qui decipi se sustinuerunt.* Legati & tota Synodus, quod præcipiente Imperatore proponebatur, maximus gratias agentes approbarunt. Tunc Imperatore jubente in medio Synodi vas æneum igne plenum ponitur, & Theophylactus Diaconus ac Referendarius Pa- 5. *Novemb.*

Photius qui pridem insuperabilem petram
Fraudibus malignis conturbavit insipienter,
Pellitur nunc ut atrocissima fera
A thalamo casto & venerabilibus templis,
Satanæ pessimo, miserrimisque tenebris
Bene præmissus, & passus digne
A Judicibus recte sentientibus atque Sanctis,
Beatissimo videlicet Nicolao,
Hadrianoque Divino Papa Romano,
Et Ignatio Martyrium passo,
Et tribus reliquis Sedibus Orientis
Orthodoxis & sapientibus valde.

Sæculum IX. A. C. 869.

Patriarchæ Constantinopolitani affert omnes subscriptos libellos, quos Photius ab omni Clericorum ordine tam majoris Ecclesiæ quam ceterarum, ab hominibus laicis omnis conditionis, tam illustribus quam ignobilibus, a pellariis, a vendentibus pisces, lignariis, & acus facientibus, extorserat. Libri quoque contra beatissimum Nicolaum Papam maligne procusi, & Acta Conciliorum contra Ignatium inferuntur. Hos omnes Georgius Orphanotrophus accipiens, tradidit Legatorum servulis, qui cunctos in ignem conjecerunt, ubi consumpti sunt.

Inde Imperator ad Legatos Romanos: *Jussimus adduci falsos Vicarios, quos Photius contra Nicolaum Papam protulit; quid fieri vultis?* Legati dixerunt: *Ingrediantur Sanctam Synodum.* Et intrantibus illis Bahanes Patricius interrogavit aliquem ex iis Monachum nomine Petrum: *Quis es, unde te habemus, quid egisti? an Concilio a Photio contra Nicolaum Papam habito interfuisti?* Respondit Petrus: *Non interfui, & libellum non novi. Etenim nunquid præter me nemo unquam Roma Constantinopolim venit? sexcenti alii Petri nomen gerunt. Sed legatur hic libellus meus, &, quæ ad me pertinent, discetis.* Lectus est; atque summa hæc erat: *Quoniam non nulli ex vobis opinati sunt, me contra Ecclesiam Roma-*

Romanam Libellum obtuliſſe, quia in lit- Sæculum IX.
teris publice editis de me mentio facta eſt, A. C. 869.
iterum profiteor, ſicut jam ante profeſſus ſum, nullum a me libellum fuiſſe oblatum, nec me Imperatoris aures fatigaſſe, nec etiam Concilio, ſi quod congregatum eſt, interfuiſſe. Toties quoties interrogatus fuero, id reſponſi dabo. Sed rogo, ut liceat mihi ad veſtigia Sanctorum Apoſtolorum redire, ubi animæ meæ ſaluti invigilem.

Tum Bahanes quemdam nomine Baſilium interrogans, *nomen tuum*, inquit, *in falſis Actis legitur, edic an dederis libellum contra Eccleſiam Romanam?* Baſilius: *abſit!* Bahanes: *Ergo anathema* Falſi Legati.
dic illi, qui libellum tradidit, & illi quoque, qui ſcripſit. Baſilius: *Is qui dedit libellum contra Romanam Eccleſiam anathema ſit!* Bahani poſtea interroganti, *unde eſſet*, Baſilius reſpondit: *veni ex civitate Sancta* (nempe Jeroſolyma) Bahanes interrogat Eliam, Patriarchæ Jeroſolymitani Legatum, an eum cognoſceret. *Ita eſt*, reſpondit Elias, *cognoſco ipſum.* Bahanes iterum ad Baſilium converſus interrogat: *Cur ingreſſus eſt Conſtantinopolim? quis te huc miſit?* Baſilius: *Tripoli profectus Romam ivi, orandi cauſa. Ægrotavi in itinere, Venetias me contuli, ut tranſirem, veni huc ſub Papa Benedicto, & verſatus hic menſibus vigin-*

Sæculum IX. A.C. 869.

ti pecunia egere cæpi. Illo anno, quo Ignatius de throno suo pulsus est, Romam redii sedente Nicolao Papa, & per annos octo ibi commoratus in hanc civitatem secundo veni. Rursus interrogatus an libellum tradidisset, respondit: *Absit! numquid enim miserabilis ego Nicolai Papæ familiaris fui?*

Rursus, jubente Imperatore, Bahanes interrogavit Leontium, falsum Vicarium Alexandrinum, in hunc modum: *Quomodo inventus es Legatus Alexandrinus in libro a Photio contra Nicolaum Papam ficte compositio?* Leontius: *Episcopus meus dedit mihi litteras ad Imperatorem; sed Legatus non sum, nec aliquid de rebus istis ad me pertinet.* Bahanes ad Concilium: *Quid vobis videtur de hominibus istis? ultimus sicut primus quid actum fuerit ignorare se profitetur. Sunt mercatores, non autem Patriarcharum Legati; sed Photius & sermones & personas finxit, ut lubuit.* Legati Romani ad falsos Vicarios: *Scribite Libellos & anathematizate illos, qui falsos libellos cuderunt. Sic ad Communionem recipiemini.* Leontius dixit: *Neque scripsi in libro hoc neque cognosco eum.* Concilium dixit: *anathematizate, qui fecit eum & conscripsit eum.* Falsi Legati: *Anathema sit, qui cooperatus est libro isti.* Senatus dixit: *Quoniam non vultis anathematizare, apparet*

paret, quod partem in eo habeatis. Et ipsi anathematizabimini, vel legibus subjiciemini. Legati Papæ dixerunt: *Tradantur nobis viri isti, & nobiscum Romam veniant.* Tum Leontius: *Anathema libro, & viro, qui scripsit eum!* Basilius: *Anathema illi, qui contra Nicolaum Papam libellum obtulit!* Sæculum IX. A. C. 869.

Bahanes nomine Imperatoris dixit: *Ecce, quomodo veritas appareat, & lux in tenebris luceat. Patent mendacia & fraudes. Nemo causas prætexat, cur non ad Ecclesiæ sinum non redeat. Crastina die nulla amplius vobis erit excusatio.* Metropolitæ quoque interrogati, quorum nomina subscripta in illo libro visebantur, an ipsi manu quisque sua subscripsissent, cuncti responderunt: *absit!* ergo Legati Romani Imperatorem rogant, ut legi juberet Decretum Martini Papæ contra falsos Vicarios, nempe vigesimum & ultimum Canonem Concilii Lateranensis anno sexcentesimo quadragesimo nono celebrati. Quo perlecto, surgens Metrophanes Smyrnensis in laudem veritatis & Imperatoris, qui Veritati præsidium parasset, brevem orationem habuit. *Sup. lib. XXXVIII. §. 53. to. 6. Conc. p. 359.*

§. XL.

Iconoclastæ.

Cum deinde Imperator ad Legatos Ro-

Sæculum IX. A. C. 869.

p. 1105.

manos dixisset, quod Theodorum Crithinum tunc Iconoclastarum principem ad Concilium adduci jussisset, Legati eum rogarunt, ut Senatores mitteret, qui Theodorum ad offerendum conversionis suæ Libellum exhortarentur. Bahanes, aliusque Patritius nomine Leo missi hanc admonitionem scriptam ad eum deferunt, qui audita lectione nihil respondit. Tunc Bahanes, proferens Numisma cum imagine Imperatoris Basilii, *Imperator quæri ex te jubet*, inquit, *an hanc imaginem recipias?* Theodorus respondit: *Quamvis ego indignus sim, suscipio eam, super omnes thesauros mundi.* Bahanes addidit: *Quærit Imperator, an eam honores, vel spernas?* Theodorus: *Honoro.* Bahanes: *Hæc dicit tibi Imperator: si honoras imaginem Principis mortalis, qualis ego sum, quare non etiam honoras Imaginem Domini nostri JEsu Christi, Sanctæ Matris ejus & omnium Sanctorum?* Theodorus: *Omnes quidem homines Christianos subdi oportet tuo imperio, plus autem omnibus me indignum, quia me ex captivitate & ex morte liberasti. Sed & omnes capilli capitis mei & barbæ, si fuerint ora, & pro imperio tuo oraverint, non sufficient. Numisma mihi misisti & suscepi illud; vis ut etiam Imaginem JEsu Christi recipiam. Dentur mihi induciæ, & postea si ostem-*

stensum fuerit, quod hoc sit Christi præ- Sæculum IX.
ceptum, faciam, quod jusseris. Bahanes: A. C. 869.
Imperator vos accersivit congregato Concilio non ad disputandum, sed ad vos docendum. Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Cathedris Patriarchalibus, quæ nunquam cadent. Et si duæ caderent, ad tres reliquas esset recurrendum. Si ceciderint tres, confugiendum ad duas stantes, & si ceciderint quatuor, una quæ permanet totum corpus Ecclesiæ revocaret. (*) *Nunc autem toto terrarum orbe concordante non est tibi excusationis locus.*

(*) Quod hic dicitur fieri posse, posterioribus sæculis factus est. Jacent hodie inscrutabili Dei judicio ceteræ Cathedræ Patriarchales, nisi quod etiamnum Episcopi in partibus Infidelium Titulo Sedis Alexandrinæ aliarumque Ecclesiarum Patriarchalium ordinentur. Eminet vero adhuc hodie, non sine singulari Dei providentia, Ecclesia Romana, Lucerna illa Fidei fulgidissima, quam illi videre non possunt, quorum oculis præjudicia opacam caliginem inducunt.

Quamvis vero hodie Patriarchæ in ipsis Sedibus Orientalibus non existant, innumeri tamen per universum Orientem degunt Christiani Fidem & Communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentes. Præ ceteris memoratu digni sunt Maronitæ montis Libani incolæ, a quodam Marone e Secta Georgianorum Hæreticorum sic dicti, sed a Reverendissimo Custode S. Sepulchri superiore

Sæculo

Sæculum IX. A. C. 869.

Duobus Patriciis in Concilium reversis lectum est Theodori responsum. Tum Legati Decretum Nicolai Papæ de Imaginibus legi jubent, nempe Canonem ultimum Concilii anno octingentesimo sexagesimo tertio celebrati. Quo recitato Imperator ad Legatos: *Sunt & quidam alii, qui Theodori Critbini errorem tenent. Si Concilio videtur, ingrediantur, & interrogentur, an Fidem Orthodoxam amplecti velint.* Elias Jerosolymitanus dixit: *Difficulter ab errore revocantur, qui diu in eo perseverarunt, quod in Theodoro Critbino vidisti. Sed intrent nihilominus, quia jubes.* Mox Nicetæ, Clerico, Theophilo & Theophani Laicis ingredientibus Legati Pontificis dicunt: *An vos Hæresim Iconoclastarum anathematizatis, & Fidem Catholicam prof-*

Sup. lib. L. §. 26.

Sæculo conversi, & Ecclesiæ Romanæ ejusque Capiti visibili Summo Pontifici subjecti. Habent Patriarcham, quem Archiepiscopi & Episcopi Maronitarum eligunt, & singulis triennii a Custode Jerosolymitano nomine Sacræ Sedis visitantur. Solis inter omnes Christianos Sultano Turcarum subditos proprium Principem habere licet. Dicit P. Boucher Ord. FF. Min. S. Franc. in suo itin. Si contingeret, ut olim, Regem Christianissimum exercitum per Syriam in Palæstinam ducere, Maronitas commeatu & copiis non modicum auxilium præbituros.

profitemini? Respondent omnes tres: *Decepti antea nequissimis sermonibus impiorum hominum, in errore fuimus. Nunc autem videntes S. Synodi universalis concordiam, abjicimus Hæresim Iconoclastarum, & anathematizamus omnem hominem, quicunque Sanctas imagines non adorat.* Et ascendens quilibet eorum in suggestum, Iconoclastarum Hæresim & primores hujus Sectæ, atque etiam inter ceteros Theodorum Crithinum anathematizavit. Imperator, singulos ad se vocatos osculatus, gratulatus est, quod nunc demum ad Ecclesiæ gremium regressis prodesset Christus. Legati econtra gratias egerunt Imperatori, quod maxima pietate hos viros ad confessionem veritatis reduxisset. Lectus deinde nomine totius Synodi Anathematismus contra Iconoclastas ipsorum pseudo Concilium & Duces eorum. Photius iterum anathematizatus, & consueta acclamatione soluta est Sessio. Sæculum IX. A. C. 870. p. 1108.

§. XLI.

Sessio IX. Legatus Alexandrinus.

Sessio sequens tribus integris mensibus, scilicet reliquo hujus anni tempore, & mense Januario anni sequentis dilata est. Tandem duodecima Februarii anno octingentesimo septuagesimo Patres multo quam in superioribus Sessionibus

Sæculum IX. A. C 870.

frequentiores conveniunt. Non aderat Imperator, sed primum tunc interfuit Josephus Archidiaconus Alexandrinus, Michaelis Patriarchæ Legatus. Bahanes Patricius Actioni huic initium dedit, Legatos Romanos sic affatus: *Advenit Legatus Patriarchæ Alexandrini, quod procul dubio Dei voluntate factum. Quid ergo Sanctitati vestræ videtur?* Legati Pontificis dixerunt: *Vidimus virum, collocuti sumus, nobisque consentit. Verumtamen juxta Canonica præcepta legantur in Concilio literæ ejus commendatitiæ, & ita nobis Cathedrarum Patriarchalium Legatis connumeretur.* Ergo Notarius Imperatoris Epistolam Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Basilium Imperatorem datam recitavit, cujus hæc erat Summa:

Jam diu ad Majestatem tuam literas dare exoptabamus, sed metus Infidelium scribere volentes prohibuit. Nunc vero, Deo immortali sint infinitæ gratiæ, etiam scribendi mandatum accepimus. Quippe, qui in Palæstina, Tiberiade, & Tyri imperat, misit ad nos literas, significans, se accepisse a te epistolam, qua rogaretur, quemquam de Sede Alexandrina cum epistolis nostris mittere, & sententiam nostram de lite duorum Patriarcharum Sedis Constantinopolitanæ aperire.

Hic

Hic Palæstinæ præfectus erat, quod superius diximus, Achmet Turca, *Tuloun* filius, qui etiam Syriam & Ægyptum moderabatur. Patriarcha Michael prosequitur: *Ergo accersivimus virum venerabilem nomine Josephum, a puero in rigore vitæ monasticæ exercitatum, qui olim familiaribus nostris adscriptus ab aliquot annis iterum ad solitudinem redierat; hunc, inquam, ad te mittimus cum epistola, quæ quidem tuo obtutu indigna est. Quod spectat ad quæstionem duorum Patriarcharum; facile capis, impossibile nobis esse sententiam proferre procul distantibus, tam facti hujus adjuncta quam quæ partes adversæ pro causæ suæ tutela afferant, ignorantibus. Sed scimus, non deesse tibi Episcopos, Abbates, Clericos Monachosque doctissimos, qui Sedi Constantinopolitanæ propiores & prudentia tua adjuti, ad hanc litem dirimendam magis idonei sunt.* Postquam deinde historiam de duobus Episcopis Jerosolymitanis Narcisso & Alexandro retulisset, subjungit: *Supplices tibi accidimus, ut viris ad te missis, & omnibus Christianis, qui ad redimendos captivos eos comitantur, faveas, quo eos, nosque, qui ipsos misimus, a suspicione Infidelium liberes. Ceterum Deus optimus per intercessionem S. Mariæ Virginis, Sancti Marci, & omnium Sanctorum suis beneficiis te cumulet.* Hic rursus ob-

Sæculum IX. A. C. 870.

Sup. §. 3.

Epistola Michaelis Alexandrini.

Sup. t. I. §. 38.

Sæculum IX. A. C. 870.

servandum, prætextum mittendi Legatos Christianos, Musulmannis subditos, fuisse redemptionem captivorum. (*)

Hac epistola recitata, Legati Romani, tum etiam Orientales edixerunt; eam pergratam sibi fuisse, & Josephum satis se Legitimum Cathedræ Alexandrinæ Legatum demonstrasse. Tunc Sena-

p. 1113. tores ad Josephum: *Pater venerande, antequam advenisses, octo Actiones fuere celebratæ, in quibus de confirmatione Ignatii Patriarchæ, de depositione Photii usurpatoris & quibusdam aliis articulis varia fuere statuta. An hæc in colloquiis percepisti, an satis tibi nota sunt?* Josephus Archidiaconus & Legatus Alexandrinus respondit: *Perquisivi omnia diligentissime, & nihil eorum, quæ acta sunt, me latet.* Senatores: *An tibi probantur ea, quæ Legati Romani & Orientis egerunt?* Josephus: *Maxime mihi probantur, & ecce, sententiam meam scriptam in manu teneo, quam legi jubebitis, si videbitur. Ceterum adjuvante me Dei Gratia nihil dicam*

(*) Non solus fuit hic prætextus, sed etiam alia causa, cum paulo superius dictum sit, Turcarum Præfectum Patriarchæ Alexandrino mandasse, ut quemquam de Sede Alexandrina cum epistolis suis mitteret, & sententiam suam de lite duorum Patriarcharum Sedis Constantinopolitanæ aperiret.

dicam faciamve, nisi quod æquitati & justitiæ consentaneum credidero. Legatis Romanis postulantibus, ut ipsius sententia legeretur, surgens eam super crucem & super Evangelium posuit, quam accipiens Thomas Diaconus & Notarius in medio Concilii legit. Nihil autem aliud in ea continebatur, quam Laus Imperatoris, & omnium eorum, quæ de Schismate Constantinopolitano, & de Imaginibus in Concilio statuta fuerant, confirmatio. Sæculum IX. A.C. 870.

§. XLII.

Falsi testes contra Ignatium.

Cum Patres edixissent, placere sibi hanc Josephi Sententiam, Senatores ex Legatis quæsiverunt, quid potissimum agendum modo ipsis videretur. Et Legati Romani dixerunt: *Cognovimus, aliquos contra Ignatium Patriarcham falsa testimonia edidisse. Si forsan aliqui ex iis adsunt, volumus, ut ingrediantur.* Tum sententia aliorum Legatorum & totius Concilii explorata, testes, qui contra Ignatium coram Legatis Rodoaldo & Zacharia steterant, introducuntur, & quia convenerat, singulos interrogari, Legati ad primum testem dixerunt: *Quod est nomen tuum?* Ille respondit: *Theodorus.* Legati: *Quod est officium tuum, quæ dignitas?* Theodorus: *Sum Protospatha-* 12. *Febr.*

Sæculum IX. A. C. 870.

spatharius. Legati: *An sponte tua vel compulsus ad Concilium venisti?* Theodorus: *Sponte mea veni.* Legati: *Quæ tibi veniendi causa fuit?* Theodorus: *Propter juramentum, quod in Ecclesia Sanctorum Apostolorum edidimus.* Legatos: *De quo juraſtis?* Theodorus: *De Ignatio Patriarcha.* Legati: *An libera voluntate, vel compulsus juraſti?* Theodorus: *Invitus juravi. Cum Imperator ad me dixisset: tu illa die, qua Ignatius Patriarcha creatus est, vice tua in Palatio obsequium præstabas, & ejus electionem non vidisti. Intra, & jura. Intravi & juravi, nam electionem ejus non vidi.* Legati: *Sciebas vero, eum ab annis duodecim Patriarchali Dignitate fulgere, & cum eo tanto tempore communicabas.* Theodorus: *Sciebam, sed Imperator dicebat: tu nec Metropolita, nec Episcopus es* (volebat dicere, quod ideo posset sine hæsitatione jurare) Legati: *Quid juratus affirmasti?* Theodorus: *Affirmavi, me ipsius electionem non vidisse.* Legati: *Sciebas utique te ita jurando peccare?* Theodorus: *Sciebam. Sed, quid facerem?* Legati: *An istud peccatum cuiquam confessus es, & accepisti pœnitentiam de peccato illo?* Theodorus: *Confessus sum, sed, a quo accepi epitimium, defunctus est.* Legati: *Quomodo vocabatur?* Theodorus: *Nescio. Id solum scio, quod fuerit Char-*

Chartularius, & deinde in Monachum at- Sæculum IX.
tonsus, per annos quadraginta in columna A. C. 870.
degerit. Legati: *Fuitne Sacerdos?* (*) Theodorus: *Nescio. Abbas fuit. Ego vero in hoc viro fiduciam posueram.* Legati: *An custodisti epitimia?* Theodorus: *Custodivi, Deo sint laudes! nam Christianus sum.* Legati: *An credis, Dominum Ignatium in Sedem suam juste fuisse revocatum?* Theodorus: *Credo; & ideo ei Deus longam vitam dedit.* Legati: *Ergo hanc Synodum & omnia in ea statuta recipis?* Theodorus: *Hanc Imperator & omnes Christiani recipiunt. Quomodo ego non recipiam? certissime recipio, nam Othodoxus sum.*

Deinde Legati interrogarunt Leonem Scribam in hunc modum? *Cur in hanc San-*

(*) Hic aliqua notanda occurrunt. Inprimis, necdum omnes Abbates fuisse Sacerdotes. Tum ex hoc loco videri, Christianos non nunquam peccata suaAbbatibus aut viris Sanctitate conspicuis humilitatis studio aperuisse, & pœnitentiam ex consilio sibi injunctam implesse, at Fideles propriam reconciliationem non nisi a Sacerdotibus potuisse accipere; secus enim non fuisset ratio, cur Legati Romani quærerent, an ille, cui Theodorus confessum se dicebat; fuerit Sacerdos. Tandem illa ætate adhucdum aliquos reperire fuisse, qui Stilitarum exemplum sectarentur.

Sæculum IX. A. C. 870.

Sanctam Synodum ingressus es? Leo: *Nunciatum est nobis: intrate, & accipietis indulgentiam.* Legati: *De quo peccato?* Leo: *De eo, quod juravi ad SS. Apostolos.* Legati: *Quid te impulit, ut illo ires?* Leo: *Imperator illius temporis & Cæsar.* Legati: *An volens vel invitus juraſti?* Leo: *Interrogarunt, an vidissem electionem Ignatii Patriarchæ. Respondi, quod non, tunc voluerunt, ut jurarem.* Legati: *Quot anni elapsi sunt, ex quo Ignatius Patriarcha consecratus est?* Leo: *Puto, sunt anni viginti quatuor.* Legati: *Antequam juraſti, communicabas, cum Patriarcha Ignatio?* Leo: *Etiam communicabam.* Legati: *Quomodo ergo, Frater, contra eum deinde stetisti, & juraſti? scis quod peccatum commiseris? an pœnitentiam egisti, & accepisti epitimia?* Leo: *Non accepi.* Legati: *An communicaſti post hæc, an non?* Leo: *Non communicavi.* Legati: *Recipis Ignatium Patriarcham modo?* Leo: *Quod totus mundus recipit & vos, etiam ego recipio.* Legati: *Vis accipere epitimia?* Leo: *Si mihi dederitis, accipio.* Legati: *Hanc Synodum recipis?* Leo: *Recipio.* Legati: *Anathematizas Photium, & omnes, quos Synodus anathematizat?* Leo: *Quis sum ego, ut anathematizem? anathematismus in causa fidei fit.* *Photius ortho-*

Leo confitens.

doxus

doxus (*) *est*, *cur eum anathematizem*? Legati: *Opera ejus pejora sunt omni hæresi.* Leo: *Cum vos judicetis, pronuntiari anathema etiam extra hæresim, anathematizo omnes, quos Sancta Synodus anathematizavit.* Sæculum IX. A. C. 870.

Duorum istorum finito examine, de undecim aliis, quorum plerique in Palatio Imperatoris Præfecti fuerant, quæstio habita. Hi confessi sunt, omnes se ad jurandum contra Ignatium invitos comminatione exilii, & jacturæ bonorum fuisse compulsos. Non nulli peccatum suum statim confessi pœnitentiam acceperant, alii eam acceperunt a Sacra Synodo, cui omnes se subjecerunt, & omnia a Synodo anathematizata damnarunt. Tum Senatores Bahane interprete, ad Legatos Papæ dixerunt: *Non omnes, qui contra Patriarcham juravunt, adsunt. Aliqui mortui sunt, alii morbi vel alterius rei causa absunt. An sententiam in aliquos & non in omnes feretis*? Legati: *Præ-* *p.* 1118.

(*) Si mota fuisset quæstio de Processione Spiritus Sancti, apparuisset, an Photius non simul etiam fuerit Hæreticus. At operæ pretium duxit Clariss. Pagi ad annum 868. inquirere an Photius fuerit Evnuchus*, & putat non fuisse sectum & eviratum, sed dicit: *Verum Joannes Sacellarius cum a Photio offensus fuisset, satyrice in eum invectus est, passim metaphorice locutus.* *Fleur. l. L. §. 3.

Sæculum IX. A. C. 870.

Præstolabimur absentes. Senatores: *Propter ipsos aliud Concilium celebrari non potest. Sed absentibus indicabitur modus pœnitentiæ, quam eis jam daturi estis. Si veniant, & pedibus vestris accidant, accipiant eam. Si autem obstinati in peccato perseverent, iis gravior pœnitentia, prout vobis videbitur, injungatur.* Ignatius Patriarcha dixit: *Necessarium est, ut sigillatim examinentur; multi enim eorum sunt fabri, stabularii, equorum medici.* Senatores: *Si ita jubetis, in conspectum vestrum & omnium Metropolitarum venient.* Consentiente Patriarcha, Pœnitentia a Sacra Synodo falsis testibus injuncta, & recitata est in hunc ferme modum: *Annis duobus extra Ecclesiam sint prostrati, deinde duobus annis auditores sint inter Catechumenos, & non communicent. His quatuor annis a carnibus & vino, exceptis Dominicis & Domini Nostri Festis abstineant. Tribus annis sequentibus stent inter Fideles, & in Festis Domini Nostri solummodo communicent, a carnibus autem & vino tribus per hebdomadam diebus Lunæ Mercurii & Sabbati abstineant. Omnes, qui hodie ad Sacram Synodum ultro non venerunt, excommunicati sint, usque dum pœnitentiæ collum submittant.* Tunc monentibus Senatoribus, longum admodum pœnitentiæ tempus fuisse statutum, & petentibus, ut

ut Ignatio Patriarchæ aliquid detrahere liceret, id Synodus conceſſit, & poteſtatem Ignatio tribuit, qua ſecundum gravitatem delicti vel pœnitentium fervorem pœnitentiæ rigorem augeret vel relaxaret. Sæculum IX. A. C. 870.

§. XLIII.

Sanctæ Cæremoniæ Ludibrio habitæ.

Bahanes ad Legatos Romanos: *Habetis aliud quidquam, quod tractetis? nam hora præteriit.* Legati Papæ dixerunt: *Poſtquam in hanc civitatem advenimus, viri fide digni novum omnino impietatis genus ad nos detulerunt. Nimirum Laicos Pallium Pontificale geſtaſſe, & ea, quæ ſunt Sacerdotum ludicre exhibuiſſe.* Senatores dixerunt: *Facite, quod videtur vobis; nam cognoſcimus, æquum eſſe, quod petitis.* Ergo ingredi jubentur, tantæ impietatis rei, Marinus, Baſilius & Georgius Spatharii. Legatis Romanis quærentibus, cur in ſanctam Synodum ingreſſi eſſent, & quid haberent, quod indicarent, Marinus & duo alii reſponderunt: *Ludum faciebat Michael Imperator, imponens nobis Stolam Pontificalem, & non ſolum nobis, ſed & aliis pluribus Spathariis.* Legati: *An vos inſanienti morem gerebatis?* Marinus: *Faciebamus, quod jubebamur.* Le-

p. 1120.

Sup. Lib. XLIX. §. 17.

Sæculum IX. A. C. 870

gati: *An posuerunt super capita vestra sancta Evangelia?* Marinus: *Omnino posuerunt.* Legati: *An aliquis super vos Orationem pronunciabat?* Marinus: *Hoc etiam.* Legati: *Quis pronunciabat?* Marinus: *Theophilus Protospatharius.* Legati: *Vivit, an mortuus est?* Marinus: *Mortuus est.* Legati: *Sciebatis utique, vos malum facere?* Marinus: *Sed quid poteramus adversus Imperatorem dicere nos Laici uxoribus & liberis onerati?* Legati: *Quid, si vobis præcepisset Idolum adorare? An Imperatori obsecuti fuissetis?* Marinus: *Absit!* Legati: *Quis vos a prima ætate ad Ecclesiam adduxit? quis vos baptizavit, Presbyter an sæcularis?* Marinus: *Presbyter.* Legati: *Cur ergo terribilia Mysteria depravastis, res sacras profanastis, & ridiculum fecistis Sacerdotium?* Marinus: *Diximus jam; nempe illis diebus, quidquid jubebat Imperator, faciebamus. Repugnare enim idem fuisset, ac in mortem ruere. Quidam ex nobis reluctantes, cæsi sunt.* Legati: *Plus vobis profuisset omnia pati, quam veritatem prodere.* Marinus: *Homines sumus infirma carne, nec mortem tolerassemus. Verumtamen confitentes sanctissimo Domino Patriarchæ Ignatio Epitimium accepimus. Interrogetur.* Legati: *An custoditis epitimia?* Marinus: *Custodimus. Quod Deus scit.* Legati:

gati: *Quando ludicre procedebatis, Sacerdotium impie ludificantes, an vos Photius conſpiciebat?* Marinus: *Neſcimus, an noſtra ſpectaverit ludibria, ſed, teſtis ſit nobis Deus! neminem hæc latuiſſe.* Legati: *Quot eratis?* Marinus: *Multi eramus. Scimus*, repoſuerunt Legati: *hinc omnes tam præſentes quam abſentes pœnitentiam vobis a S. Synodo injunctam recipietis, qua factorum impiorum veniam conſequamini.* Tum lectum eſt Decretum, quo injungenda eis pœnitentia in alium conventum differebatur, cum illam uniuscujusque culpæ congruam eſſe oporteret, quia fragilitate, & metu hominum impulſi ceciderant. Sæculum IX. A. C. 870.

§. XLIV.

Quæſtio de falſis Legatis ex Oriente.

Hoc negotio terminato Legati Romani dixerunt: *Volumus, ut falſi Legati, a Photio contra Nicolaum Papam producti, ingrediantur, quo etiam Frater Noſter Legatus Alexandrinus Photii verſutiam & fraudes cognoſcat.* Tum intrare jubentur Leo, qui in Seſſione octava adfuerat, & duo alii Gregorius & Sergius. His ingreſſis, Bahanes dixit: *Quis ex vobis ille eſt, quem Photius confinxit Vicarium Alexandrinum* Leo: p. 1121.

Sæculum IX. A. C. 870.

accedens dixit: *Ego sum.* Josephus Vicarius Alexandrinus dixit: *Unde, & quis es tu?* Leo: *Græcus sum genere, & captivus perrexi Alexandriam.* Josephus: *A quo emptus es?* Leo: *A Michaele Patriarcha.* Josephus: *Ubi est Domus Patriarchæ?* Leo: *Intus ad Ecclesiam S. Dei Genetricis in illa parte, quæ Eulogii est.* Josephus: *Quomodo huc Constantinopolim venisti?* Leo: *Captivus eram. Ipse me liberum fecit, & veni huc ad colligendas eleemosynas.* Josephus: *Misit te Patriarcha tanquam suum Vicarium?* Leo: *Dixi, non ipse me misit, sed ego huc usque ad accipiendam benedictionem veni. Photius autem misit me Romam cum mandatis; quidquid dicerent Metropolitæ, quos illuc mittebat, facerem. Ego vero, Deus novit, sicut pecus, nihil sciens, obsecutus sum.* Concilium dixit: *Hic peccatum suum confitetur; unde non egemus testibus.* Sæpius postea interrogatus Leo nihil aliud protulit, quam quod prius in Sessione octava responderat. Unde etiam Senatores edixerunt, ideo tantum secundo fuisse accersitum, ut eum legitimus Legatus Sedis Alexandrinæ videret, & impostorem cognosceret.

Exinde Legati Romani dixerunt: *Qui sunt hi duo in conspectu nostro stantes?* Senatores: *Sunt falsi Legati.* Legati

gati Romani: *Eos nunquam antea vidimus. Accedant, & interrogentur.* Mox, quærentibus Legatis, qui essent, & cur veniissent, Georgius dixit: *Ego literas mihi commissas huc attuli, nullum præterea officium, nulla Dignitas mihi fuit.* Legati: *Unde attulisti literas?* Georgius: *A Constantino Ecclesiæ Antiochenæ œconomo. Is me ad Photium & Imperatorem Michaelem misit, ut eleemosynas colligerem.* Legati: *An subscripsisti Libello a Photio contra Nicolaum Papam fabricato?* Georgius: *Absit!* Legati: *Quid ergo tibi causæ fuit Romam proficiscendi?* Georgius: *Candide fateor, nescio cur Romam iverim.* Legati: *Quam Fidem tenetis?* Georgius & ceteri: *Credimus, quod credit Ecclesia, & Christiani.* Legati: *An recipitis hanc Synodum?* Georgius: *Sicut omnes Christiani recipiunt, recipimus & nos.* Legati: *Nunc de vobis solis sermo sit. Quomodo eam recipitis?* Georgius: *Diximus, quod eam recipiamus.* Legati: *An illos anathematizatis, quos Sancta Synodus anathematizat?* Georgius: *Qui sumus nos, ut anathematizemus?* Legati: *Quare Romam profecti estis cum libro nefandi Concilii?* Georgius, & qui cum ipso erant: *Ivimus inviti & coacti. Photius enim nobis dixit: Sunt Romæ, qui Nicolaum Papam oblatis variis articulis*

Sæculum IX. A. C. 870.

Falsus Legatus Antiochenus.

Sæculum IX. A. C. 870.

accusarunt; ite & inquirite, an ea, quæ contra ipsum afferuntur, vera sint. Nos vero diximus ei: Homines rustici sumus. Si pervenerimus Romam, quam dabimus rationem? & ille dixit nobis: Episcopi vos docebunt, quid dicere debeatis. Legati: *Vos homines peregrinos & Epistolarum gerulos oportebat responsorias accipere & ad propria reverti. Verumtamen, anathematizatis Concilium, quod Romam ferebatis?* Georgius: *Anathema ei, qui istud Concilium fecit, & qui consensit, & qui defendit.* Legati: *An Nicolaum Papam & Ignatium Patriarcham recipitis?* Georgius: *Recipimus, sicut eos Sancta hæc Synodus recipit. Qui enim sumus nos, ut refragemur Sanctæ Universali Synodo, cui omnes Patriarchæ per Vicarios suos intersunt?*

Legati Romani dixerunt ad Legatum Alexandrinum: *Ecce, Carissime Frater noster, jam ipse cognovisti Photii nequitiam & versutiam. Homines vero istos, cum pauperes sint & peregrini, venia dignos judicamus propter vim, quam tulisse se confitentur. Sed Gratias agamus JEsu Christo dicenti:* Matth. 10. *Nihil est opertum, quod non revelabitur.* Elias Legatus Jerosolymitanus dixit: *Magnas JEsu Christo gratias debemus, quia post tot tempora omnes Patriarchas ad gloriam suam & salutem Ecclesiæ suæ in u-*

num

num collegit. Tum, multos annos Imperatoribus & Patriarchis acclamando, Sessio soluta. Sæculum IX. A. C. 870.

§. XLV.

Sessio decima. Canones.

Sessio decima & postrema die Martis, vigesima octava & ultima ejusdem mensis Febr. celebrata. Cui Basilius Imperator cum Constantino filio & viginti viris Patricia Dignitate conspicuis interfuit. Tum nominantur tres Legati Ludovici Imperatoris Italorum & Francorum, videlicet, Anastasius Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, alius ab illo, qui damnatus fuerat, (*) Suppopsimus Imperatricis Ingelbergæ Consobrinus & Domui Cæsareæ præfectus, & Evrardus mensæ Imperatoris præfectus. Ceterum Legationis adornatæ, duæ fuere causæ, primo enim in mandatis habebant Legati, ut a Basilio Imperatore contra Saracenos Italiam infestantes auxilium peterent, tum etiam, ut nuptias inter Ludovici Imperatoris filiam, & Basilii filium conciliarent. Hæc Summo Pontifice conscio & consentiente agebantur. Post Legatos Francorum in Concilii Actis visuntur nomina Legatorum Bulgariæ Principis, & deinde Episcoporum, qui erant numero centum.

Sup. n. 10. vid. Hadr. p. 891. Anast. præf. to. p. 868.

(*) Id extra omne dubium non est.

Sæculum IX. A.C. 870.

Bahane Patricio a Legatis quærente, quid illa die agendum esset, dixerunt, legendos inprimis esse Canones, a Concilio postea confirmandos. Eos igitur Stephanus Diaconus in superiore parte Concilii, & Thomas Diaconus in parte inferiore legere cœperunt.

Sunt vero Canones numero viginti septem, plerique ad causam Photii pertinentes. c. 2. Decreta Nicolai Papæ & Hadriani Papæ Ignatio faventia & Photium damnantia confirmantur. Declaratur, quod Photius nunquam fuerit Episcopus, omnes Ordinationes ab ipso collatæ sint c. 4. nullæ, & Ecclesiæ seu Altaria ab ipso consecrata iterum consecranda sint. Photius anathematizatur, quod commentitios Legatos Orientis subornaverit, & ejusmodi fallaciæ, confirmato Martini Papæ Decreto, deinceps prohibentur. c. 9. Omnia promissa exacta ab illis, quibus Photius scientias tradebat, aut quorum animos sibi devincire studebat, nulla pronuntiantur, & prohibetur, ne imposterum Patriarcha Constantinopolitanus c. 8. ad propriam stabilitatem a Clericis Chi- 28. *Febr.* rographa aut quamcunque subscriptionem exigat, sola professione Fidei, quam Episcopi in sua Ordinatione dent, excepta. c. 25. Episcopi & Clerici a Methodio & Ignatio ordinati, qui Photio adhærent, & Concilio se non subjiciunt, præcisa omni

mni reſtitutionis ſpe deponuntur. Omnibus a Sancta Synodo anathematizatis prohibetur, ne venerabiles Imagines pingant, aut ſcientiarum diſciplinas aliis tradant. Prima pars hujus Canonis Gregorium Syracuſanum, qui pictor erat, & altera Photium reſpicit. Anathematizantur omnes opinantes, hominem habere duas animas. Sæculum IX. A. C. 870. c. 7. Canones Synodi VIII.

Photio tribuebatur hic error, quem in eo reprehendit Conſtantinus Philoſophus, ille ipſe, ut credunt, qui Sclavis Fidem prædicavit. Confirmantur Canones prohibentes, ne Neophyti ordinentur, id eſt, ne quis ex Laicorum numero ſubito ad Epiſcopatum promoveatur, etiamſi per omnes Clericorum gradus duceretur, & niſi omnibus conſtaret, eum ſolo pietatis amore, nulla ambitione, aut proprii commodi deſiderio impulſum Clericalem ordinem ſuſcepiſſe. Quod ſi ita ſit, prius tamen requiritur, ut eligendus in Epiſcopum uno anno tanquam Lector, duobus annis tanquam Subdiaconus, tribus annis Diaconus, & quatuor annis Presbyter miniſtraverit. Unde eum annis decem in Clericalibus ordinibus miniſtraſſe oportebat, qui Epiſcopus eligi poſſet. Epiſcopi ex auctoritate & imperio Principis non ordinentur, ſub pœna Depoſitionis, & Laici potentes electioni Epis- *Anaſt. in præf. p.* 965. c. 5. c. 12.

Sæculum IX. A. C. 870.

coporum non interſint, niſi ab Eccleſia invitati. Si ſe Canonicæ Electioni opponant, anathematizentur. Hi Canones eo magis notatu digni ſunt, quod Imperatore & Senatu præſentibus fuerint promulgati. Clerici majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ a gradu inferiore ad gradum ſuperiorem, in miniſterii ſui præmium, aſcendant. Qui Domui aut prædio Optimatis præfuerit, his Clericis adſcribi non poſſit.

c. 22.

c. 13.

Nemo ab Epiſcopi ſui Communione abſtineat, niſi ille Canonice fuerit condemnatus. Ita etiam Epiſcopus a ſuo Metropolita vel Patriarcha non diſcedat. Qui in orbe terrarum rerum potiuntur, quinque Patriarchas venerentur, eos ſedibus ſuis dejicere non moliantur, ſed honorem, qui eos decet, exhibeant. Nemo contra Papam ſcribat, quamcumque accuſationem obtendens, quod modo Photius, & olim Dioſcorus auſi ſunt. Si aliqua contra Eccleſiam Romanam in Concilio Oecumenico afferantur, ea ſervato primæ Sedi congruo honore examinentur. Epiſcopi Dignitatem ſuam non ita vilipendant, ut advenientibus Strategis aut quibusve Principibus aliis procul ab Eccleſia obviam occurrant, de equo vel mulo ſe præcipitent, & coram ſæcularibus proſternantur. Sed Epiſcopis ſua conſtet auctoritas, qua Principes

c. 10.

c. 21.

c. 14.

cipes sæculares, ubi opus fuerit, corri- Sæculum IX.
piant & increpent. Patriarchæ pote- A. C. 870.
ſtatem habeant, Metropolitas ad Syno- c. 17.
dum convocandi, ubi expedire credide-
rint, nec iſtorum excuſatio valeat, quod
a Principibus prohibeantur. Patriar-
charum etiam eſt, Metropolitas errantes corrigere. Rudes quosdam dicere non erubeſcentes, haud poſſe celebrari Concilia Principe non præſente, non ſine horrore rejicimus. Archiepiſcopi ſpecie viſitandi Eccleſias, apud Suffraganeos ſuos, ſi neceſſitas non urgeat, non diverſentur, & reditus Eccleſiarum ſibi ſubjectarum non conſumant. c. 19. Metropolitæ non accerſant ad ſe Suffraganeos, quibus Divina Officia peragenda committant, dum ipſi negotiis ſæcularibus vacant, ſed ſacro miniſterio ipſi fungantur. Secus deponantur. c. 24. Hic diſpicimus, unde Suffraganei vocentur illi Epiſcopi, qui in ſacro miniſterio Ordinis Epiſcopalis aliorum officio funguntur.

Multis lacrymis & lamentis dignum facimus ad noſtram pervenit notitiam, ſubjungit Sacra Synodus, *ſub eo, qui nuper regnavit Imperatore, quosdam Laicos de ordine Senatorio, comam formaſſe more Clericorum, & veſtes Sacerdotales induiſſe, habentes Ducem, qui Patriarcham fingebat, ita ſacras cæremonias & Ritus Electionis, Ordinationis Epiſcoporum*

Sæculum IX. A. C. 870.

rum, Judicii Ecclesiastici, & Depositionis mimice fuisse imitatos, impietate etiam inter Infideles inaudita. Itaque Sacra Synodus prohibet, ne imposterum, quicunque nomen Christiani gerit, ejusmodi nefandis ludibriis Religionem vilipendere præsumat, aut alios talia facientes silentio tegat. Si Imperator aut Optimatum aliquis ea insania laboret, illum Patriarcha & Episcopi coerceant, Sacramentis privent, pœnitentiam injungant, &, si repugnet, anathemate feriatur. Si Patriarcha Constantinopolitanus ejusque Suffraganei existente casu suis partibus desint, deponantur. Illis vero, qui tempore præterito operam sacrilego mimo dederunt, hanc injungimus pœnitentiam. Annis tribus a Communione sint separati. Anno primo sint extra Ecclesiam flentes, secundo stent inter Catechumenos, tertio inter Fideles. Quæ in hoc Canone ad Photium pertinent facile dispiciuntur.

§. XLVI.

Concilii finis.

Postquam Canones fuissent recitati, ipsa Concilii Definitio promulgata; quam duo Metropolitæ, Metrophanes Smyrnensis & Cyprianus Claudiopolitanus unus in superiore & alter in inferiore parte Conventus legerunt. Est vero hæc

hæc Definitio sermo admodum prolixus, qui in prima parte continet amplam Fidei Confessionem, addito contra Hæreticos præsertim Monothelitas, non omisso Honorii nomine, & contra Iconoclastas Anathematismo. Septem Concilia generalia approbantur, quibus istud octavum jungitur, & sententia in Photium a Nicolao & Hadriano Pontificibus pronunciata confirmatur. Tum Basilio Imperatore interrogante, an omnes Episcopi huic Definitioni consentirent, cuncti acclamando consensum suum professi sunt, laudes Imperatoris, duorum Pontificum & Patriarcharum addentes, atque Photio, Gregorio, & Eulampio anathema dicentes. Tandem lecta est oratio Imperatoris, in cujus exordio gratias agit Episcopis, quod tantum laborem subierint, & subjungit: *Si quis habet, quod contra hanc Sacram Synodum Canones aut Definitionem proponat, is in medium prodeat, & dicat, sive Episcopus sit, sive Clericus, sive Laicus. Etsi enim Laicis non competat de rebus Ecclesiæ disputare, modo tamen hanc eis licentiam damus, ut postea nullius conditionis homines contra hæc Decreta mutire audeant. Non ignoratis, quantæ molis fuerit, Legatos Romanos & Ecclesiarum Orientalium congregare; quod ante id tempus complures frustra tentaverant.*

Sæculum IX. A.C. 870.

p. 1153.

Sæculum IX. A. C. 870.

rant. Si ergo quisquam rem gravis momenti indicare cupit, loquatur Concilio adhucdum congregato. Quippe, eo soluto, non amplius erit loquendi tempus, nec nos cuiquam cujuscunque Dignitatis sit, si Concilio obedire detrectet, veniam concedemus. Vos vero Episcopi, Amici Dei, docete oves vestras, eis qualibet die Dominica Doctrinam Cælestem annunciate, & errantes ad ovile reducite. Etenim sciatis velim, si hæresis in cujusquam vestrum Diœcesi detecta fuerit. Episcopum a suo Patriarcha esse damnandum. Custodite pacem inter vos, & concordiam, quam in hoc Concilio stabilivistis. Clericos quoque ad amorem pacis exhortor. Vobis autem, qui Laici estis, sive in Dignitate constitutis sive privatis, non licet de quæstionibus Religionis disserere, sed hoc Episcoporum est officium. Etsi scientia & virtute emineat Laicus, de numero ovium non eximitur. Episcopus econtra, etsi minime ad perfectionem vitæ pertigerit, nihilominus Pastor est, quamdiu veritatem docet. Subditi ergo estote Præpositis vestris, & Judices vestros nolite judicare.

p. 1155. Peractis omnibus, cum Legati Romani Imperatores ad subscribendum primo loco invitarent, Basilius, *ego quidem*, inquit, *post omnes Episcopos secundum exempla Antecessorum meorum, Constan-*

ſtantini Magni, Theodoſii, Marciani, aliorumque ſubſcribere cuperem, ſed, quandoquidem ita vultis, poſt omnes Legatos ſubſcribam. Tunc Donatus Epiſcopus Oſtienſis ſubſcripſit quinque Exemplaribus, quæ quinque Patriarchis traderentur, & poſtea ceteri duo Pontificis Legati addita ſemper clauſula: (*) *usque ad voluntatem Papæ.* Nempe ſi ipſe conſentiat, &, quod factum, ratum habeat. Poſtea ſubſcripſerunt Ignatius Patriarcha, Joſephus Legatus Alexandrinus, Thomas vices gerens Sedis Antiochenæ, & Elias Legatus Jeroſolymitanus. Tum Imperatores quoque ſubſcripſerunt in hunc modum; Baſilius ſolummodo Crucem formavit in ſingulis quinque exemplaribus, Conſtantinus vero pro ſe & fratre ſuo Leone Cruces formans adſcripſit trium Imperatorum nomina, & reliqua Chriſtophorus Notariorum Præfectus ſcripſit. Tandem Baſilius Archiepiſco-

Sæculum IX. A. C. 870.

Concilii Oecumenici exitus.

Not. Anaſt. p. 1157.

(*) Ipſa verba ſunt: *Ego Donatus gratia Dei Epiſcopus Sanctæ Oſtienſis Eccleſiæ, locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis & univerſalis Papæ, omnia quæ ſuperius leguntur, huic Sanctæ & Univerſali Synodo præſidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præſulis promulgavi & manu propria ſubſcripſi.* Act. Conc. Tom. V. Edit. Paris. 1714. Baſilius & filii, perpetui Auguſti & Romanorum Imperatores dicuntur.

Sæculum IX. A. C. 870.

episcopus Ephesinus & ceteri omnes Episcopi, numero centum & duo subscripserunt. Pauci profecto, si multitudo Episcoporum illa ætate imperio Constantinopolitano subjectorum spectetur; sed nempe Photius tyrannidem exercens pæne omnes & decessoribus suis Sacratos deposuerat, & in Sedes eorum suos Fautores promoverat, quorum nullus in hoc Concilio est receptus. Isti igitur soli ex priorum Patriarcharum consecratione superstites inventi fuerunt.

p. 1231. Nicetas, illius ævi Scriptor, in vita Ignatii Patriarchæ, ubi ei de subscriptione hujus Concilii sermo est, dicit: *Non atramento vulgari subscripserunt, sed, (horresco referens) calamum, quo scribebant, Sanguine Salvatoris imbuentes; quod affirmari a scientibus audivi.*

Theoph. p. 275. *Sup. Lib. XXXVIII. §.* 46. Acta de hoc facto (*) silent. At rei hujus exemplum suppetit; nam Theophanes Historiæ Scriptor de Theodoro Papa refert, eum JEsu Christi Sanguine atramento, cum in Pirrhum Depositionis sententiam scriberet, miscuisse.

vit. Hadr. p. 891. Legati Romani, antequam subscriberent, cum Græculorum Fidem suspectam haberent, Acta Concilii Anastasio Bibliothecario utriusque linguæ Græcæ & Latinæ

(*) Nec Cardinalis Baronius tantæ rei meminit.

tinæ optime gnaro examinanda tradiderant. Is notavit, in altera Epistolarum Hadriani Papæ omnia, quæ ad laudes Ludovici Imperatoris pertinebant, a Græcis fuisse omissa. Legatis ergo Romanis acriter conquerentibus, responderunt Græci, in Concilio Ecclesiastico non oportere alterius quam solius Dei laudes inseri. Potuisset forsan utcunque recipi hæc excusatio, nisi in hoc ipso Concilio Basilii Græcorum Imperatoris laudes utramque paginam implessent. Tandem convenit, ut Papæ Legati, addita illa clausula, de qua supra, *usque ad voluntatem Papæ*, subscriberent. Sæculum IX. A. C. 870.

Totius deinde Concilii nomine duæ Epistolæ Synodicæ scriptæ. Prima erat encyclica, in qua omnia, sicut acta fuerant, referuntur, & omnes Ecclesiæ Filii, cujuscunque Dignitatis & conditionis sint, Judicium Concilii recipere seseque subjicere jubentur. Altera ad Hadrianum Papam data est, in eaque Legati Romani & Nicolaus Papa, cujus judicio tota Synodus inhæsisset, laudantur. Præterea excitatur Hadrianus, ut recipiat Concilium confirmetque, illudque promulgari atque in omnibus Ecclesiis recipi jubeat. Data quoque fuit Epistola encyclica nomine Imperatoris Basilii duorumque filiorum ipsius, qua omnes Episcopi de Definitione Concilii certio- *p.* 1162. *Gr.* 1380.

Sæculum IX. A. C. 870.

res fiunt, & cui appoſita eſt Indictio tertia, ſeu annus hic octingenteſimus ſeptuageſimus. (*)

§. XLVII.

(*) Nulla in Concilio octavo de proceſſione Spiritus Sancti mentio facta, quia Romani depoſito Photio erroris Auctore Hæreſim quoque extinctam credere poterant.

Ceterum de eodem Photio Jacobus Basnagius, Huguenota, qui Lectiones antiquas Henrici Caniſii S. J. iterum edidit & additis Obſervationibus corrupit, in Obſervatione ad Epiſtolam Photii ad Michaelem Bulgariæ Regem datam Tom. II. dicit: *De Photio Litteratis omnibus notiſſimo nihil foret dicendum niſi vapularet Baronio Lambecio ceterisque. Hunc Seductorem, quo nullus deterior potuit inveniri, criminibus manifeſtiſſimis iisque plurimis involutum aſſerit Annaliſta.* ✠

✠ *Nicetas in vit. Ign.*

Deinde ex Niceta eundem ab eruditione laudat, & ſuis poſtea verbis a patientia in arumnis, *nam, ubi vidit*, inquit, *amicos in vinculis male tractari, verberibus dilacerari, linguis excindi, temperare non potuit a lacrymis &c.* Hæc Basnagius ſine teſte affert, at vero, quod Photius crudelem in modum perſecutus ſit Ignatium Patriarcham, quod Papam & Latinos calumniatus ſit, quod eos Hæreſis accuſaverit, ipſe hac peſte infectus, quod tam Græcos quam Latinos confictis Legationibus, Conciliis, Subſcriptionibus deceperit verſutiſſimus Sycophanta, & denique omnes dolos, fallacias, mendacia, quæ ſuperius Lector obſervare

Sæculum IX.
A. C. 870.

§. XLVII.

Libelli surrepti, & redditi.

At Græcorum aliqui Ignatium Patriarcham & Basilium Imperatorem secreto adeunt, & queruntur, traditione *vit. Hadr. Not. Anast. p. 990.*

vare potuit, dissimulat sicut Caveus & alii Protestantes. Quid demum sit cœcum esse, si hoc non est? Tum Photium cum S. Ambrosio etiam e Laico in Episcopum ordinato conferre Basnagium non pudet. Tandem addit: Ajunt (nempe Catholici) Photium Sedem Ignatii Imperatoris jussu depositi invasisse: *Quasi illud juris ab initio fere non habuissent Imperatores, quoslibet Patriarchas deponendi, aliosque in Sedem expulsorum promovendi. Id Theodora fecit, quæ ipsi Baronio tanto erat in pretio. &c.*

Talia Protestantium asserta, sicut sine ullo argumento temere affirmantur, ita etiam præfracte negantur. Quoriescunque Patriarchæ Constantinopolitani depositi fuerunt, vel id in Conciliis legitime congregatis & ex justa causa factum, vel ubi Imperatores pro suo lubitu Præsules ejecerunt, id semper contra constantem & antiquissimam Ecclesiæ Disciplinam per nefas attentarunt. Exemplum ejecti Joannis Leconomantæ & electi Patriarchæ Methodii, favente Theodora Augusta, cum Photii causa nullam habent affinitatem. Theodora convocavit Episcoporum Concilium, † Methodius libere & canonice electus est, & pulsus Joannes, manifestus

† *Fleurius L. XLVIII §. 6.*

Sæculum IX. A. C. 870.

Libellorum, quibus Legati secundum formulam Roma allatam subscribi petiissent, Ecclesiam Constantinopolitanam in Romanorum potestatem fuisse redactam, nec alia via libertatem amissam recuperari posse, quam si hi Libelli sibi restituerentur. Addunt, clausulam subscriptioni Legatorum insertam, occultam fraudem esse, qua Judicium Concilii rursus possent subvertere, & pristinas turbas reducere. Imperator, his suggestionibus commotus, jubet præfectos suos, quibus Legatorum Romanorum cura demandata fuerat, explorare tempus, quo illi in aliquam forte Ecclesiam cum suis digrederentur, tuncque eorum domum intrare, & hos libellos clam auferre. Ergo Legatis ad colloquendum Patriarchæ in ædes ejus se conferentibus, præfecti, ut imperatum erat, plurimorum libellorum partem nemine vidente surripiunt. Sed omnes reperire non potuerunt, quoniam Legati, illud ipsum, quod evenit, subodorati præcipuorum Episcoporum Libellos solertissime occultaverant.

Legati

festus Hæreticus, & dudum a Communione Ecclesiæ Catholicæ exclusus; cum econtra adversus Ignatium ne quidem hostes quidquam, nisi Michaelis Imperatoris, cui Religioni illudere volupe erat, voluntatem nullo jure subnixam, aut abdicationem Ignatii commentitiam, asserant.

Legati domum reversi furtum notant, quo vehementer afflicti, adscitis etiam Ludovici Imperatoris Oratoribus Suppoprimo & Anastasio, Basilium Imperatorem adeunt, cui Romani: *Nunquam redire Romam audebimus sine libellis; tibi vero laborum omnium, quos pro pace Ecclesiæ tulisti, fructus perit.* His Ludovici Oratores subjiciunt: *Indignum sane est tanto Imperatore, opus suum destruere. Cum illi libelli te consentiente dati fuerint, si te pœnitentia subiit, id palam profitere. Si autem bene factum, quomodo salva auctoritate servulorum furtum dissimulas? si dicas, te inscio fraudem esse factam, tunc demum fidem adstrues, si libellos ab illis, quibus Legatorum curam, obsequii causa, commisisti, & quorum proinde est, rerum amissarum rationem reddere, restitui jusseris.* Tandem postquam diu multumque eandem rem rogassent, ægre obtinuerunt, ut restituerentur. Redditi tamen sunt libelli omnes, nec unicus defuit, quos illi Legatis Ludovici Imperatoris tuto in Italiam deferendos tradiderunt. Sæculum IX. A C. 870.

§. XLVIII.

Colloquium de Bulgaris.

Soluto Concilio, quæstio de Bulgaris in conventu privato tractari cœpta.

Sæculum IX. A. C. 870.

Formoſus & Paulus Epiſcopi, a Nicolao Papa in Bulgariam miſſi, Romam reverſi retulerant, novellam Eccleſiam Romanæ Sedi omnino eſſe ſubditam, & ad Papam deduxerant Petrum, Regis Bulgarorum Oratorem, qui dona Regis ſui reddidit epiſtolasque. In iis Pontificem inſtantiſſime rogabat Rex, ut Marinum Diaconum, cujus merita ipſi eſſent perſpecta, Archiepiſcopum ordinaret, & ſibi mitteret, aut alium ex Cardinalibus Eccleſiæ ſuæ, illo gradu dignum, qui ſi Bulgaris probaretur & eligeretur, ad Papam rediret Ordinationem accepturus.

vid. Hadr. ſub. fin. Sup. Lib. L. §. 54.

Cum Marinus illo tempore Conſtantinopoli Oratoris munere fungeretur, miſit ad Bulgaros Pontifex alium, nomine Silveſtrum, quem Archiepiſcopum eligerent. Aſt eum confeſtim cum Leopardo Epiſcopo Anconitano & Dominico Tarviſino remiſerunt, poſtulantes, ut ſibi Archiepiſcopus, vel Formoſus Epiſcopus Portuenſis mitteretur. Reſpondit Papa, daturum ſe ipſis Archiepiſcopum, quem Rex expetiiſſet. Sed Princeps ille tantæ moræ impatiens, eundem Petrum, qui prius Romæ fuerat, nata alia occaſione, Conſtantinopolim miſſum, quærere jubet, cui Sedi Eccleſiam Bulgarorum ſubjectam eſſe oporteret. Hæc ergo Collationis inter Romanos & Græcos fuit materia.

Triduo

Triduo postquam Acta Concilii fuissent descripta, & in Ecclesia S. Sophiæ depositа, convocante Imperatore Legati Papæ cum Legatis Alexandrinis, Antiochenis & Jerosolymitanis & Patriarcha Ignatius ad audiendum Regis Bulgarorum Legatos conveniunt, ubi Petrus Legatorum præcipuus profatus est in hunc modum: *Michael Bulgarorum Princeps, cum sciat, vos, ut Ecclesiæ utilitati serviretis, hic fuisse congregatos, inde maximo afficitur gaudio, & vobis Sacræ Sedis Legatis gratias agit, quod per Bulgariam iter facientes, eum redditis literis salutaveritis.* Legati Papæ responderunt: *Cum vos Ecclesiæ Romanæ filios esse sciremus, charitas postulabat, ut vos in transitu salutaremus.* Mox iterum Bulgari: *Quia haud multo abhinc tempore Christiana Sacra suscepimus, soliciti sumus, ne in re quapiam fallamur; unde ex vobis, qui Patriarcharum vices geritis, quærimus, cui Ecclesiæ nos subditos esse oporteat.* Legati Papæ: *Sine dubio Ecclesiæ Romanæ, cui se Dominus vester per os vestrum cum toto populo suo submisit. A Nicolao Papa accepit Regulas morum, Episcopos, Presbyterosque, quos apud vos habetis, & convenienti cultu honoratis. Fatemur*, dixerunt Bulgari, *quod ab Ecclesia Romana Presbyteros expetierimus, quos etiamnum retinemus,*

Sæculum IX. A. C. 870. *vid. Hadr. p.* 892.

Bulgari a Romanis conversi.

Sæculum IX. A. C. 870.

mus, iisdemque obedire in cunctis volumus. Sed rogamus vos, ut cum his Legatis Patriarcharum præsentibus definiatis, an magis rationi conveniat, nos Ecclesiæ Romanæ vel Constantinopolitanæ subesse. Legati Romani: *Ad finem perducta sunt negotia, quæ cum Patriarchis Orientalibus pertractare nobis a Sacra Sede fuerat præceptum. Nulla nobis sunt mandata, quæ ad vos spectent, nec nobis quidquam Romanæ Sedis prærogativis adversum definire licet. Sed econtra cum Regio vestra Presbyteris nostris impleta sit, definimus, quantum possumus, vos nulli alteri quam Ecclesiæ Romanæ subditos esse debere.*

Tum Legati Orientis ex Bulgaris quærere: *Cum armis subegistis hanc provinciam, cujus erat, & quinam ibi Presbyteri, Latini vel Græci?* Bulgari: *Græcos devicimus, & invenimus ibi Presbyteros Græcos non Latinos. Ergo liquido constat,* dixerunt Legati Orientis, *hanc provinciam sub Jurisdictione Civitatis Constantinopolitanæ extitisse.* Legati Romani: *Diversitate linguarum Ecclesiastica Jurisdictio non perturbatur. Sacra Sedes, quæ Latina est, in compluribus locis pro diversitate regionum Episcopos Græcos constituit. Saltem,* repoſuerunt Legati Orientis, *negare non potestis, hanc Provinciam ad Imperium Græ-*

Græcorum pertinere. Legati Romani: *non negamus. Sed hic de jure Cathedrarum Patriarchalium, non vero de divisione Regnorum agitur.* Sæculum IX. A. C. 870.

Legati Orientis dixerunt: *Audire cupimus, quo argumento dicatis, Bulgariam ad vos pertinere?* Legati Papæ: *Ex Epistolis Paparum Decretalibus discere potestis, sub Sacræ Sedis Regimine omnino extitisse Epirum veterem & novam, totam Thessaliam & Dardaniam, quæ hodie Bulgaria dicitur. Itaque Sacra Sedes hanc jurisdictionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ non detraxit, ut præsumitis, sed irruptione Bulgarorum amissam, modo, cum Christiani facti sunt, postliminio, iisdem volentibus recepit. Deinde Bulgari, in illa regione victores, quam tot jam annis tenent, sponte se Sacræ Sedis tutelæ, præsidio & regimini subjecerunt. Tandem constat, Nicolaum Papam illuc misisse ex nobis quosdam, qui hic præsentes sumus, Episcopos Paulum, Dominicum, Leopardum, Formosum, & Grimoaldum, etiamnum ibi commorantem, cum compluribus Presbyteris nostris, quod Bulgari, ut modo audivistis, fatentur. In illa provincia consecravimus Ecclesias, ordinavimus Presbyteros, non sine ingenti labore Fideles erudivimus. Igitur Ecclesia Romana jure possessionis,* Sup. Lib. XXIV. §. 31. Sup. Lib. XXVI. §. 39.

Sæculum IX. A. C. 870.

quo ab annis tribus gaudet, inscio Papa spolianda non est.

Legati Orientis: *Quo jure, veteri, an novo, modo actionem movetis!* Legati Papæ: *Non vos elegit Judices Sacra Sedes in hac causa, vos, inquam, se inferiores, cui soli competit in tota Ecclesia judicium ferre. Unde hanc causam, quam curare nos non jussit, Sacræ Sedi reservamus. Sententiam vero vestram, quam levissimo ingenio pronunciatis, illa facillime contemnit.* Legati Orientis: *Non decet, vos qui abjecto Græcorum Principatu cum Francis (*) fœdera iniistis, quacunque Jurisdictione in Imperio Domini nostri gaudere. Itaque Bulgarorum patriam, quam sub Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse cognovimus, Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus.*

Legati

(*) Ecce, hic arcanum & putidum ulcus aperiunt Græculi. Nempe manebat alta mente repostum, translatum ad Francos Occidentis Imperium. Sed propria culpa hæc acciderant. Ex his etiam observandum, Christianos tribus Ecclesiis Patriarchalibus subjectos Imperatorem Græcorum palam Dominum & Principem suum fuisse professos. Unde non mirum, quod Saracenis victoribus suspecti esse mererentur.

Legati Romani reclamantes dixe- Sæculum IX.
runt: *Sententiam, quam non electi neque* A.C. 870.
admissi, sive timore sive gratia, vel quid-
quid illud est, modo præcipitastis potius
quam protulistis, auctoritate Spiritus
Sancti usque ad definitionem Sanctæ Se-
dis Apostolicæ rescindimus. Teque Pa- Quæstio de
triarcham Ignatium obtestamur, secun- Jurisdictione
dum hanc Epistolam Hadriani Papæ, quam in Bulgaros.
tibi reddimus, ut ab omni Ordinatione in
Bulgaria abstineas, & neminem tuorum
illo mittas, ne Sancta Sedes Apostolica,
quæ tibi tua restituit, te Auctore sua a-
mittere videatur. Quin potius, si justam
te habere querimoniam existimas, banc
Romanæ Ecclesiæ, cujus beneficio Patriar-
cha es, ritu Judiciali suggerere non omit-
tas. IgnatiusPatriarcha, PapæEpistolam quidem recepit, sed eam legere, licet Legati Romani vehementer instarent, in aliud tempus distulit, respondens: *Ab-*
sit a me, ut his præsumptionibus contra
decorem Romanæ Sedis implicer; qui nec
juveniliter ago, ut facile falli me patiar,
nec ita seniliter deliro, ut ipse committam,
quod in aliis reprehendere debeo. Hic fuit illius Collationis exitus.

Ipse Basilius Imperator interfuit, nec *Anast. præf.*
ulli alii admissi, quam quos Imperator 8. *Conc.*
& Ignatius Patriarcha voluit. Nec Le- *p.* 971.
gati Orientis, nec Oratores Bulgarorum intelligebant, quid Romani loquerentur;

Romani

Sæculum IX. A. C. 870.

Romani vero, nec Bulgari, quid Orientales dicerent, percipiebant. Sed unicus aderat Imperatoris Interpres, qui nec Romanorum, nec Orientalium voces aliter audebat reddere, quam jubebat Dominus ſuus, ut, quod volebat, Bulgaris perſuaderet. His etiam data eſt pagina, in qua Græce ſcriptum, Legatos Orientis, inter Papam & Ignatium Patriarcham arbitros, ſententiam pronunciaſſe, Bulgariam Jurisdictioni Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ oportere eſſe ſubjectam.

§. XLIX.

Legatorum Romanorum reditus.

vit. Hadr. p. 894.

Legatorum Romanorum conſtantia Baſilium Imperatorem iisdem jam prius, quod ipſum ad reddendos libellos compuliſſent, ſubiratum acrius commovit. Nihilominus dolorem diſſimulans, eos menſæ adhibuit, tumque magnis donis cumulatos dimiſit comitante Theodoſio Spathario, qui diſcedentes Dyrrachium deduxit. Sed nullum abeuntibus præſidium paraverat Baſilius; unde cum poſt lapſum paucorum dierum Dyrrachio ſolviſſent, inciderunt in Piratas Sclavos, qui rebus omnibus ſpoliatis etiam authenticum Actorum Concilii, in quo ſubſcriptiones erant, abſtulerunt. Quin captos & vita ipſa privaſſent, niſi aliquos, qui

qui effugerant, ſociorum mortem haud dubie ulturos, pertimuiſſent. Sæculum IX. A.C. 870.

Tandem poſtquam Papa & Imperator datis literis effeciſſent, ut libertati reſtituerentur, Romam pervenerunt vigeſima ſecunda Decembris eodem anno octingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione quarta. Libelli quoque abjurationis, quos adhucdum Conſtantinopoli exiſtentes Suppoprimo & Anaſtaſio Ludovici Imperatoris Legatis commiſerant, feliciter Romam delati ſunt cum exemplari deſcripto Actorum Concilii, quod, factum provide, Anaſtaſii ſolertiæ debemus.

§. L.

Verſio Concilii Anaſtaſio Auctore.

Pontifex Acta Concilii deſcripta, non ſine magno lætitiæ ſenſu accepta, Anaſtaſium in latinum vertere jubet. Qui ſubiit imperium, vertitque de verbo ad verbum, quantum diverſitas linguarum permittebat; quin ſæpe plus juſto phraſes græcas retinuit, a genio latii divertentes. Addidit in margine adnotationes, in quibus mores Græcorum exponit, vel quædam facta, Romæ vel Conſtantinopoli ſibi comperta, refert. In fronte Verſionis conſpicitur Præfatio in forma Epiſtolæ ad Hadrianum Papam directæ, in qua hiſtoriam Schiſmatis Photiani *to. 8. Conc. p. 961.*

Sæculum IX. A. C. 870.

tiani, celebrati Concilii modum, & demandatæ sibi Versionis occasionem refert. Et subjungit: *Si forsan posteriore tempore in Concilii hujus Exemplaribus Græcis aliqua addita vel mutata fuerint, omnes noverint, nihil aliud fuisse definitum, præter illa, quæ in Exemplari Græco in Tabulis Ecclesiæ Romanæ conservato, & optima fide in latinum sermonem translato, leguntur.*

Hujus admonitionis deinde rationem reddens, narrat historiam Conversionis Bulgarorum, Colloquium eorum causa habitum, & dicit; suspicandi locum esse, Græcos aliquid Concilii Actis adjecturos, quo ignaris persuadeant, fuisse in ipsa Synodo definitum, ut Bulgari Sedi Constantinopolitanæ essent subjecti: *Quippe ejusmodi molimina*, inquit, *Græcis sunt familiaria. Ita in Concilio secundo contra Canones Concilii Niceni Sedi Constantinopolitanæ privilegia contulerunt. Concilio tertio aliquos Canones tribuunt, qui in vetustissimis exemplaribus latinis non leguntur. Adjecerunt alios Concilio quarto de privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quos ut reciperet S. Leo Papa nunquam adduci potuit. Præterea non paucos Canones ostendunt, plerosque antiquæ Traditioni adversantes, quos falso sextæ Synodo adscribunt. Tandem in Synodo septima*

ptima de Hadriani † Papæ Epiſtola illa, quæ ad Ordinationem Taraſii, & generatim ad Neophytos ſpectant, expungunt. (*)

Sæculum IX. A. C. 870.

† nomine primi

Nullibi alias niſi in hac verſione latina Anaſtaſii octavæ Synodi Acta integra habemus; nam Acta græce typis edita compendium ſolummodo exhibent, cum judicii laude digeſtum, ſed in quo multa, in Authentico contenta, deſiderantur.

§. LI.

Photii Epiſtolæ adverſus Concilium.

Inter hæc Photius non modo non reſipiſcebat, ſed datis ad amicos literis Concilium palam contemnebat. In Epiſtola ſcripta Monacho, cui nomen Theodoſius, loquitur in hunc modum: *Cur adeo mireris, homines profanos cœtui illuſtriſſimorum Præſulum præeſſe? damnatos eo usque inſoleſcere, ut in alios judicium ferre præſumant? innocuos in conſpectum impiorum adduci, circumſtantibus armatis, ne os ad defenſionem innocentiæ aperire audeant? nam exempla utique antiqua & nova ſuppetunt. Annas,*

Ep. 117.

(*) His addere potuiſſet Anaſtaſius, quod in Concilio VIII. ex Epiſtola Hadriani Papæ omnia ad laudem Ludovici Imperatoris pertinentia græca fide deleviſſent. Sup. N. XLVI.

Sæculum IX. A. C. 870.

nas, Caiphas, Pilatus Judices esse sustinuerunt; JEsus (*) *vero, Magister meus, & Deus meus, nostrum omnium Judex introducebatur, & interrogabatur.* Addit deinde exempla S. Stephani, S. Jacobi Jerosolymitani, & S. Pauli. Tum prosequitur: *Omnium persecutorum Tyrannis, tempore SS. Martyrum, nobis ejusmodi facta exhibet. Malam crucem meriti sedebant ut Judices, vultu ad severitatem composito, dum viri sancti, quorum dignus non erat mundus, in eorum conspectum adducebantur, & ad mortem damnabantur. Igitur hominum audacia te non perterreat, & noli credere, Dei mirabilem patientiam in argumentum trahi posse, quod res humanas non curet. Nam omnia ad nostram salutem impenetrabili sapientia disponit.*

Ep. 118. Item, Photius ad eundem: *Quamquam in hanc usque diem res exemplo caruerit, quod missa ab impiis Ismaelitis* (**) *mancipia Episcopis exæquarentur, Patriarchatum privilegia servis concederentur, & Conciliabulo præessent, noli mira-*

(*) Etsi innocens esset Photius, tantæ impudentiæ comparatio tolerari non posset.

(**) Nempe Saracenis Ismaelis posteris, quibus tunc Patriarchæ Orientales subjiciebantur.

mirari; nam istud a ceteris eorum faci- Sæculum IX. A.C. 870.
noribus non abhorret. Noverant, se o-
mnes æqualiter Sacerdotii gratia priva-
tos; unde oportebat, tali Synodo homines
a JEsu Christi hostibus missos præfici. Et
quis alius eorum societati misceri vo-
luisset, eorumque furori servire, ad op-
primendos tot Dei Sacerdotes? nisi ini-
micorum veri Numinis ministri & inter
Infideles educati? Concilium eorum nihil
aliud est, quam barbarorum latrocinium.
Nulli producti testes, nulli actores, nul-
lus libellus accusationis. Martyres (id est
Photium & complices ejus) *circumsta-*
bant cohortes militum nudatis ensibus
mortem minitantes, si vel hiscere auderent.
Adstare cogebantur per horas sex vel
novem integras, ut mirandi locus esset,
quomodo adversarii insultando fatigati
non fuerint. Tota Actio non erat absi-
milis exhibitioni scenicæ; quippe varia
portenta intuentium oculis objiciebantur, Photius ad Monachum.
legebanturque pulcherrimo ordine E-
pistolæ barbaræ (nempe latinæ) *blasphe-*
miis respersæ. Tandem non actus ra-
tioni consentaneus, non sermo congruus,
sed insani clamores, quales Bacchanalia
celebrantes edere solent, Sessioni finem im-
ponebant. Clamabant barbari: Non ve-
nimus ad judicandum vos; pridem vos
damnavimus. Latæ sententiæ obedien-
dum est. Quamvis autem, charissime, i-

Sæculum IX. A. C. 870.

storum scelus, impium, impudens, inauditum, omnia Judæorum crimina superet, quamvis huic flagitio simile nec unquam sol conspexerit, nec luna umbris suis occultaverit, nec unquam paganorum insolentia aut barbarorum furor, aut stupida vecordia admiserit, non expavescat, nec vel uno momento indignam Dei sapientia & providentia cogitationem in mentem tibi venire patiaris.

ep. 113. In Epistola data ad Diaconum, cui nomen Gregorius, hæc leguntur: *Dudum Iconoclastarum Concilium nos anathematizavit, non solum autem nos, sed etiam patrem nostrum, & avunculum nostrum* (nempe Tarasium) *JEsu Christi Confessores, Episcoporum gloriam. Sed nobis anathema dicentes etiam invitos ad Cathedram Episcopalem evexerunt. Ergo ab iis quoque modo nos anathematizari sinamus, qui contemnentes mandata Domini, sicut Iconoclastæ, ad omnem impietatem viam sternunt, ut ipsis adjuvantibus, licet in via salutis desides simus, ex hac terra in Regnum Cælorum evehamur.*

ep. 115. Tum etiam scribens Ignatio Metropolitæ Claudiopolitano, insanit in hunc modum: *Olim excommunicatio cum Anathemate devitanda erat & pertimescenda, quando eam contra impios pronunciabant Ecclesiæ Præsules, qui veram Religionem*

gionem prædicabant. Ex quo autem sce- Sæculum IX.
leratorum hominum stolida impudentia A. C. 870.
veræ fidei Defensores contra leges Divinas & humanas atque sanam rationem anathematizat, & speciem legis Ecclesiasticæ furori barbaro obtendit, hæc pœna, alioqui terribilis & omnium maxima, fabula fit, & puerorum lusus; quin imo viris piis & probis exoptabilis. Non enim audacia illorum, qui veritati adversantur, pœnas, præsertim Ecclesiasticas, graves & horrendas efficit, sed mala eas sustinentium conscientia. Innocentia anathematismorum strepitus videt, iisque, qui ab improbis premuntur, coronas confert & gloriam immortalem. Itaque probi omnes mille injurias pati, & anathematizari ab illis, qui in JEsu Christo partem non habent, potius cupiunt, quam eorum malorum operum participes fieri, & ore hominum laudari. Hæc fuit Photii pervicacia! sed quis Schismaticus non ea ipsa, quæ Photius, ad defendendam causam perditissimam afferre potest? (*)

§. LII.

Theodorus Abucara.

Inter Episcopos in Synodo VIII. præsen- *Bibl. L. P. to.*
tes 1. *G. L. p.*
396.

(*) Istud Fleurius solerter observat. Vera quidem affert hic Photius, sed nemini minus, quam ipsi & ipsius causæ convenientia.

Sæculum IX. A. C. 870.

tes memoratu dignus est Theodorus Metropolita Cariæ, qui antea Photii partes sectatus, ad Ignatium & Ecclesiam Catholicam bona fide rediit. Habemus ab eo quædam Scripta, quæ præferunt nomen Theodori *Abucaræ* id est Arabica lingua, Patris Cariæ. Pleraque sunt Dialogi, in quibus cum Infidelibus & Hæreticis, præsertim cum Nestorianis & Eutychianis disputat. Præ ceteris vero mihi placent Disceptationes cum Musulmannis, quarum exempla hic afferam.

c. 19. Theodorus refert, Saracenis in more positum esse, Christianum sibi occurrentem in via non salutare, sed statim dicere: *Christiane! testimonium redde veritati, quod unus detur Deus, æqualem non habens, & quod Mahomet Servus atque Legatus ipsius sit.* Cum ergo quadam die Saracenus Abucaram in hunc modum fuisset affatus, ipse respondit: *Non satis tibi est, falsum affirmare, sed etiam alios ad mentiendum excitas?* Musulmannus: *Non sum falsus testis.* Abucara: *Ergo noli dicere, quod Deus Mahometem miserit:* Musulmannus: *Eandem fidem profiteor, quam Pater meus.* Abucara: *Si istud sufficiat, Samaritani, Judæi, Scythæ, Christiani & Gentiles omnes veram fidem tenent. Omnes enim traditionem patrum suorum sequuntur.* Musulmannus: *An non tu quoque traditionem*

tionem patris tui sequeris? Sequor, inquit Abucara, *sed Pater meus docuit me confiteri a Deo Legatum, quem, antequam veniret, Vaticinia Prophetarum annunciarunt, & qui, postquam advenisset, editis miraculis fidem fecit. Mahometi vestro nec prius nec posterius testimonium suffragatur.* Musulmannus: *JEsus Christus in Evangelio dixit: Mitto vobis Prophetam, cui nomen Mahomet.* Abucara: *Nulla hujus rei mentio in Evangelio fit.* Musulmannus: *Legebatur istud; sed vos delevistis.* Abucara: *Si quis in Judicio petat, debitam pecuniam sibi restitui, & nullum exhibeat chirographum, quid ille a Judice obtinebit?* Musulmannus: *Nihil. Sed etiamsi argumentum nullum mihi suppeteret ex Evangelio; probo, Prophetam nostrum ex editis miraculis fide dignum esse.* Abucara: *Quod vero miraculum edidit?* Tunc Musulmannus fabulas congerere cœpit, & tandem obmutescere coactus est. Sæculum IX. A.C. 870.

Cum aliquando Musulmannus, qui doctissimus inter suos habebatur, cum Theodoro de veritate Religionis disceptare cœpisset, quæsivit iste: *Ponamus tria genera hominum, alte, & mediocriter sapientium, & stupidorum, an credis ab uno ex his tribus ordinibus recipi posse Deum Crucifixum?* Mahometanus c. 21.

Sæculum IX. A. C. 870.

Veritas Religionis Christianæ.

respondit: *Non credo.* Christianus: *Ergo, te judice, Christiani ne quidem homines erunt; attamen, puto, Christiani saltem totius generis humani quartam partem constituunt.* Mahometanus: *Sed quomodo affirmare potes, hæc tria hominum genera Deum crucifixum recepisse?* Christianus: *Ponamus, decem in orbe vos existere protoparentes totidem Nationum Infidelium, Græcorum, Romanorum, Francorum, & sic de reliquis; subito autem advenire peregrinum, pauperem ex habitu neutiquam spectabilem, qui ad vos virili oris constantia diceret: quare aberratis? & impietatem veræ Religioni præponitis? Diceretis utique: quæ est ista vera Religio? Et ille: Deum Crucifixum adorare debetis. Vos illico, quasi rabie occupati in ignotum irruitis, animam loquentis elidere vultis, & enecare non potestis. Tunc iterum interrogatis, & dicitis: expone nobis aperte doctrinam ab omni ratione usque adeo abhorrentem. Ille exponit in hunc modum: Deus de Cælo descendit, incarnatus est in sinu mulieris, & homo factus, nutritus etiam sicut ceteri infantes. Persequentibus ipsum inimicis suis fugit in Ægyptum. Inde reversus capitur, alapis tunditur, sputis fœdatur, spinis coronatur, crucifigitur, expirat, sepelitur, tertia die resurgit, ut ostenderet, se Discipulis*

suis

Sæculum IX. A.C. 870.

ſuis non impoſuiſſe, cum res maximas promitteret. His auditis, dicitis: Amice, usque adeo deliras, ut nemo unquam magis. Attamen, qui tanta paſſus eſt, quid præcipit in ſe credentibus? Ille reſpondet: præcipit, aſperam vitam ducere, a voluptatibus alienam, plures uxores habere vetat, vult, ut percutientibus nos in una maxilla præbeamus & alteram, auferentibus pallium, demus etiam tunicam. Jubet nos inimicos noſtros diligere, benedicere bis, qui nobis maledicunt, & pro illis orare. Iterum interrogatis: quam vero mercedem promittit? Reſpondet peregrinus: In hoc mundo nullam, ſed poſtquam in extrema die reſurrexeritis, Bona æterna in infinitum poſſidebitis. Reſpondetis: Amice, illius, quem prædicas, infirmitas, & inſuperabilis difficultas præcepta ejus obſervandi evidenter patent, merces autem remotiſſima & admodum incerta eſt. Quis hanc Religionem amplectatur? Ille reſpondet: edicite, an Creatura cuiquam alteri obedit, quam Creatori? Reſpondetis: Non obedit. Ille: Adducite ad me cœcum; dico tibi, in nomine JEſu Chriſti Nazareni, ex Maria in BETHLEHEM nati, a Judæis capti, crucifixi, ſepulti, reſuſcitati, aperi oculos tuos. Cœcus viſum protinus recipit. Et idem peregri-

Sæculum IX. A.C. 870.

grinus, invocato JEsu nomine, lepra infectos sanat, omnisque generis edit miracula. Omnes vero, qui hæc vident, tam alte, quam mediocriter, aut nihil sapientes evidenter cognoscunt, Nazarenum esse Deum & Dei Filium, qui omnia illa libera voluntate propter causam nobis ignotam sustinuit. Ita Theodorus ex humilitate apparente JEsu Christi veritatem Religionis demonstrabat, atque in ista parabola modum, quo Fides fuerat propagata, indicabat.

c. 24. Alia die, quærenti Musulmanno, *Episcope! cur credis, magis licere, unam habere uxorem, quam plures? ubi enim totum malum est, etiam mala est pars quælibet.* Theodorus respondit: *Hæc pars non continetur in toto, sicut hic homo in tota natura humana, sed opponitur tanquam moderatio excessui, & tanquam bonum malo.* Mahometanus: *Demonstra istud mihi, non ex Isaia, aut ex Matthæo, quibus fidem non habeo, sed ex argumentis, quæ ex principiis utrinque concessis, sequuntur.* Theodorus: *Faciam, quod vis. Uxorem accipimus, vel voluptatis causa, vel ad generandam prolem. Nunc vero, an novisti hominem a mundi exordio usque ad præsens tempus, cui Deus majores delicias dederit, quam Adamo?* Mahometanus: *Non novi.* Theodorus: *Quot autem pro eo mulie-*

res

res condidit? Mahometanus: *Unicam.* Theodorus: *Ergo majorem felicitatem in una muliere vir possidet; quam in pluribus.* Mahometanus: *Bene infers. Sed plures liberi ex pluribus uxoribus sperari posse videntur.* Theodorus: *An excogitari potest tempus, in quo multitudo prolis magis necessaria fuerit, quam in mundi primordiis?* Mahometanus: *Non puto.* Theodorus: *Ergo, contra Dei præceptum polygamiam licitam feciſtis, ut carni vestræ blandiremini,* (*) *postquam genus humanum in toto orbe terrarum*

Sæculum IX. A. C. 870.

(*) Auctor Libelli: L' Esprit des Loix, seu *Spiritus Legum*, quem R. P. Desing anno 1752. refutavit, putat, causam hujus rei, quod populi ad Orientem positi plures uxores accipiant, tum in principiis mere politicis, tum in Astrorum influxu esse quærendam. At non reperimus, Polygamiam ante adventum Mahometis magis in Oriente, quam in Occidente inter Gentes fuisse frequentem; deinde, Religione JEsu Christi, quæ in primis sæculis multo latius in Oriente, quam in Occidente prolata est, in toto orbe promulgata, omnes Fideles huic Legi promptissime se submiserunt, nec ullus Summorum Pontificum, aut Regum Christianorum in hoc præcepto dispensasse legitur, nisi solus Lutherus cum paucis Collegis suis, cum cuidam magno in Germania Principi præter unam etiam alteram uxorem, dato Decreto, permisit, quod in alio loco memoravimus.

Sæculum IX. A.C 870.

rarum satis esset propagatum, & Mundi hujus Creator illo tempore, quo paucissimi erant homines, virum una uxore contentum esse præcepisset. Musulmano aliud argumentum expetente Episcopus dixit: *Ponamus duo mancipia unius Domini, quo jubente, simul in exteras regiones iter suscipiunt. Uni tribuit licentiam corpus suum muniendi vestimentis, prout lubuerit, alteri prohibet, ne pluribus quam una utatur tunica, & ambobus unam legem promulgat; illud quod frigore vexaretur octoginta plagis vapulaturum. An hujus Domini lex justa tibi videtur? præsertim si partem debiliorem unica tunica contentam esse jusserit?* Mahometanus: *Non est justa.* Tunc Episcopus: *Ergo justum esse negas Deum, cum dicis, quod mulierem, utique fragiliorem, uno viro, id est quarta parte, contentam esse præceperit, & viro, haud dubie fortiori, quatuor mulieres, id est totum, ut de concubinarum grege nihil dicam, concesserit, comminatus octoginta plagarum supplicium, si vir vel mulier lapsa fuerit.* Episcopus in hac argumentatione opportune admodum similitudinem a vestimentis petiit, hac ipsa enim Mahometes in Alcorano suo sæpissime utitur, cum dicit: *Tam necessariæ vobis sunt uxores vestræ, quam vestimenta vestra.*

Novum

Novum argumentum. Theodorus: *An Deus pacis vel belli amator est?* Mahometanus: *Sine dubio pacem amat.* Theodorus: *An vero putas virum plures uxores habentem potius pace frui posse, quam alium, qui unam fœminam alit? possuntne hæ fœminæ sincero amore se amplecti?* Mahometanus: *Non possunt.* Theodorus: *Quoties marito & invisis tori consortibus veneficiis insidiantur? An non familias odio perpetuo perturbant? Cum econtra viri unius & unius fœminæ conjugium antea divisas reconciliare soleat? Ergo honestas & lex naturæ Monogamiam damnata Polygamia commendant.* Sæculum IX. A. C. 870.

Alia die Musulmannorum aliquis ad Episcopum: *Cur vos Sacerdotes Christianis nimium quantum illuditis? Ex eadem farina duos panes coquitis, unum ut alimentum vulgare servatis, alterum populo porrigitis, divisum in buccellas, quas JEsu Christi corpus appellatis, & dicitis, quod remissionem peccatorum possit tribuere. Edicite, an vos ipsi fallimini, vel alios fallitis?* Theodorus: *Neutrum. Nec fallimur, nec fallimus.* Mahometanus: *Istud mihi demonstres velim, non ex Scripturis, sed ex argumentis a sana ratione petitis.* Episcopus: *An mater tua ista, qua incedis, statura corporis te in lucem edidit?* Mahome- c. 22. Transsubstantiatio in Eucharistia.

Sæculum IX. A. C. 870.

hometanus: *Neutiquam. Sed tunc parvus eram.* Episcopus: *Quomodo ergo in hanc molem excrevisti?* Mahometanus: *Per alimentum & Dei voluntatem.* Episcopus: *Ergo panis mutatus est in corpus tuum?* Mahometanus: *Ita est.* Episcopus: *Quomodo hoc factum?* Mahometanus: *Modum nescio.* Episcopus: *Nempe cibus, ore acceptus, descendit in stomachum, & calore jecoris, stomacho proxime adjacentis, mutatur in chylum, qui sanguini mixtus per venas in omnes corporis partes diffunditur. Concipe, Mysterium nostrum eadem ratione peragi. Sacerdos supra Sacram mensam panem & vinum ponit, orat, ad hanc invocationem Spiritus Sanctus descendit in oblata, & igne Divinitatis suæ panem & vinum in corpus & sanguinem JEsu Christi mutat.* (*) *Vel, an negas Spiritum Sanctum id posse efficere, quod præstat calor jecoris tui?* Mahometanus cum gemitu respondit: *Non nego*, & conticuit. Quidquid de eo sit, an hæc argumentatio a simili in regulas Dialecticæ pec-

(*) Nihil habent Protestantes, quo ejusmodi testimonia clarissima de Transsubstantiatione eludant. Hinc ridendi sunt Cave, & qui Fleurium in linguam vernaculam vertere cœpit Protestans, cum hanc doctrinam novam esse frivole affirmant.

peccet nec ne; illud tamen luculenter videmus, quam fidem de Evchariſtia Theodorus tenuerit. Sæculum IX. A. C. 870.

Inter opera Theodori Abucaræ refertur ampla Epiſtola Dogmatica, a Thoma Patriarcha Jeroſolymitano ad Hæreticos Armeniæ miſſa. Hanc Theodorus Arabice dictavit, & Michael Presbyter Syncellus in Græcum tranſtulit. Continet vero Doctrinam de Incarnatione, atque Concilium Chalcedonenſe defendit. Ceterum ſi hæc Epiſtola opus eſt illius Theodori, qui Synodo VIII. interfuit, ad ultimam usque ſenectutem pervenerit neceſſe eſt, nam Thomas Patriarcha Jeroſolymitanus annis prope quinquaginta, priusquam octava Synodus celebraretur, fatis functus eſt. *c. 4.* *Sup. Lib. XLV. §. 56*

§. LIII.

Normanni in Anglia.

Inter hæc Normanni, ſeu Dani, Angliam barbare depopulabantur. Hi quidem jam regnante Rege Ethelulfo in illa Inſula graſſari cœperant, ſuccedentibus vero tribus ejus filiis Ethelbaldo, Ethelberto, & Ethelredo, cum regnum pæne ſine cuſtode eſſet, anno octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Angliam Orientalem appulſi, inde in Nordhumbriam penetrarunt, & capto Eboraco *Wil. Malmesb. p. 42.* *Ingulf. p. 863*

Sæculum IX. A. C. 870.

raco totam illam vastarunt provinciam. Præter alia Monasterium Bardenejense, omnibus Monachis in Ecclesia interfectis, subverterunt. Anno octingentesimo septuagesimo, cum iterum pluribus quam antea copiis, ducentibus aliquot Principibus, quorum præcipui *Unguar* & *Hubba* fuere, irrupissent, totamque regionem sui nominis terrore implessent, Ebba Monasterii Collinghamensis Abbatissa, collectis in Capitulo suis Monialibus, *Sorores dilectissimæ*, inquit, *si mihi obsequi vultis, ostendam modum, qui vos a Barbarorum petulantia tutas præstabit.* Cunctis obedientiam pollicitantibus, Abbatissa arrepta novacula nares & labrum superius, ita ut dentes conspicerentur, sibi ipsi præcidit. Matris exemplum secutæ sunt Sorores omnes, & altera die irruentes Normanni, cum horridos fœminarum vultus non ferrent, libidine in rabiem versa Monasterium unacum inclusis Sororibus concremarunt.

Math. West. an. 870.

In eadem expeditione Normanni alia quoque celebrata illius oræ monasteria destruxerunt, nempe Lindisfarnense, in quo erat Sedes Episcopalis, ut superius retulimus, Tynemutense, Jarovense, & Virmutense, quæ Beda reddiderat celeberrima. Item Monasteria fœmi-

Sup. lib. XXXVIII. §. 19.

fœminarum Streneshalense & Ælienſe, occiſis omnibus Sororibus, vaſtarunt. Tandem Edmundus Rex Angliæ Orientalis a Barbaris captus, arbori alligatur, ſagittis trajicitur, & capite truncatur die vigeſima Novembris, qua eum Eccleſia Martyrem veneratur. Sæculum IX. A. C. 870. *Mart. Rom.* 20. *Nov.*

§. XLIV.

Monaſterii Crulandenſis everſio.

Theodorus Abbas ab annis ſexaginta duobus Monaſterium Crulandenſe in regione Merciorum regens, cum funeſtæ ſtragis nuncium fuiſſet allatum, fuſas eſſe copias, quæ Normannos a patria arcere debuiſſent, retentis ſecum ſenibus & infantibus, quippe imbellem eorum ætatem tutam credebat a paganorum crudelitate, robuſtiores dimiſit, juſſitque, ut Reliquias, videlicet corpus S. Guthlaci, ejus flagellum & pſalterium, cimelia & chartas Monaſterii auferrent, ſeque ipſos in proxima ſilva occultarent, ubi expectarent belli eventum. Igitur triginta numero Monachi, quorum decem erant Presbyteri, cum res memoratas rati impoſuiſſent, fugerunt. Vaſa ſacra in fontem Clauſtri conjecta, & tabula majoris Altaris aureis laminis contecta, Regis Vitlafii donum, defoſſa eſt. Ceterum fugitivi quatri- *Ingulf. p.* 868.

Sæculum IX. A. C. 870.

quatriduo in illis latibulis commorati sunt.

Interim Theodorus Abbas ceterique in Monasterio relicti, sacris induti vestibus horas Divini Officii in Choro & deinde totum psalterium persolvunt. Tum Abbas majorem Missam celebrat, & cum ipse omnesque ei ad Altare ministrantes communicassent, in Ecclesiam irrumpunt Pagani, Osketulo Ducum unus super Altare sua manu Abbatem obtruncat, ministri omnes ab aliis capite plectuntur. Senes ac pueri, hac illacque diffugientes, capti tormentis excruciantur, ut absconsos thesauros proderent. Tugarus decem annorum adolescens, cum Monasterii Subpriorem in refectorio jugulari videret, rogabat carnifices, ut se carissimo patri jungerent. Hunc vero Normannus Comes nomine Sidrocus pueri, nam formosissimus erat, misertus, detracto cucullo, humeros pallio Danico operire, seque ad castra sequi jussit. Is solus ex illa cæde superstes fuit. Pagani, occisis monachis, cum thesauros nequaquam reperissent, sepulchra marmorea Sanctorum, qui utrinque circum S. Guthlaci tumulum jacebant, confringunt. Tum, ubi nihil præter ossa inveniunt, furore insanientes, omnia in unum acervum congerunt, & in favillas redigunt.

gunt. Libros quoque Sacros, Ecclesiam & omnia Monasterii ædificia igne subjecto consumunt. Id factum vigesima sexta Augusti anno octingentesimo septuagesimo, tertio quam eo advenerant die. Sæculum IX. A. C. 870.

Postridie Barbari ad cœnobium Medeshamstedense contenderunt, ubi portas clausas & viros, qui locum tuerentur, habuerunt. Ergo admovent muris machinas, cumque secundo assultu Comitis Hubbæ frater conjecto saxo ab obsessis graviter ictus fuisset, Hubba ira exæstuans obvios quosque ejus loci monachos interfecit. Omnes vero ad unum Monachi numero octoginta quatuor cæsi. Altaria omnia eversa, sepulchra confracta, Bibliotheca locupletissima combusta, dilacerata monumenta, Reliquiæ pedibus conculcatæ, muri, diruti, ipsaque Ecclesia cum cunctis officinis flammis consumta. Ante quindecim dierum lapsum ignis extingui non potuit.

Tugarus puer, clam aufugiens, Crulandam rediit, ubi triginta Monachos a fuga reversos invenit, omnibus viribus ignem extinguere conantes in ruderibus monasterii serpentem. Is tristem rei seriem, quomodo Abbas, & ceteri necati fuissent cum omnibus nefandæ cladis adjunctis narravit. Monachi,

Sæculum IX. A. C. 870. continuato per octiduum labore, tandem prope Altare Theodori Abbatis corpus ſine capite, omni velamento ſpoliatum, fœde uſtulatum, tignorum ruina contritum, & terræ infixum inveniunt. Ita etiam corpora ceterorum diverſis temporibus & ſæpe remota a locis, in quibus occiſi fuerant, reperta ſunt. Duorum Monachorum, qui ætatis annos centum & ultra numerabant, corpora recepta ſunt in Locutorio. Erat hic locus, in quo tempore, a Regula ſtatuto, colloqui licebat. Ex iſto exemplo judicare Lector poteſt, quid in aliis Monaſteriis, quocunque Barbari pervenerunt, Monachi paſſi fuerint.

§. LV.

Sanctus Neotus.

Act. SS. Be. to. 6. p. 324. In alia Angliæ parte, paganorum incurſibus minus obnoxia, nempe in regno Angliæ Occidentalis, illa tempeſtate degebat Neotus Abbas ſumma virtute conſpicuus. Qui Regum ſanguine ortus, in literis & pietate poſtmodum ita profecit, ut cum ad ætatem perveniſſet, qua juvenes militiæ nomen dare ſolebant, relicta ſæculi pompa vitam monaſticam in Glaſtonienſi cænobio amplecti mallet. Ibi complures annos nemini extra monaſterium notus exegit; quin

quin imo latendi ſtudio, ut etiam fratres falleret, mutato ſæpe habitu in Eccleſia orans pernoctabat, & rediens veſtem, cui adſueverat, reſumebat. Cum viri merita cognoviſſet Epiſcopus accerſitum Ordine Diaconatus inſignivit. Poſtea rogantibus Monachis & Clericis Presbyter, quamvis magnopere reluctaretur, ordinatus, quia exiguus corpore erat, cum celebraret Miſſam, inſiſtebat ſcabello ferreo, quod inter ſacras reliquias deinde aſſervatum. Monita ſalutaria compluribus dabat, & clarebat miraculis; ſed ut famæ celebritatem effugeret, comitante unico fideli diſcipulo Barrio, qui eum deinde nec in vita nec in morte deſeruit, Glaſtonia exceſſit. Sæculum IX. A. C. 870.

Relicto igitur monaſterio in Cornubiam commeavit, ubi poſtquam aliquamdiu per ſilvas & montes erraſſet, in loco, qui de ejus nomine *Neoteſtow* vulgo dictus, ſubſtitit, cumque ibi novo fervore ſeptem annorum ſpatio Deo ſerviiſſet, Romam ſe contulit, atque Pontificis Benedictionem & prædicandi mandatum accepit. Reverſus in patriam, quo pluribus prodeſſet, noluit ſolus vitam degere & Monaſterium conſtruere cœpit in loco, quo ſe primo receperat. Eo itaque duce Inſtitutum

Sæculum IX. A. C. 870. Monasticum in illa regione collapsum refloruit; nam Viri sancti fama magnam Discipulorum multitudinem adduxit, complures nobiles sponte se ipsius disciplinæ subjecerunt, multi filios suos obtulerunt. Ipse vero de rigore vitæ nihil relaxans, & sæpe hyberno tempore in fonte existens totum psalterium recitabat. Complura ab eo edita narrantur miracula; dies autem obitus trigesima prima Julii anno octingentesimo septuagesimo septimo fuisse creditur.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LII.

HADRIANUS II. PAPA.
LUDOVICUS II. IMPERATOR OCC.
BASILIUS IMP. ORIENT.

§. I.

Epistolæ Hadriani ad Carolum Regem.

Hadrianus Papa, cum comperisset, Regem Carolum, mandatis suis insuper habitis, possessionem regni Lotharii adiisse, vehementer commotus alios misit Legatos cum Epistolis sex, quin-

Sæculum IX. A.C. 870.

Sup. L. LI. §. 25.

Sæculum IX. A. C. 870.

to Cal. Julii, Indictione decima tertia, nempe 27. Junii anno octingenteſimo ſeptuageſimo datis. Prima ſcripta eſt adipſum Carolum, cui exprobrat, quod Legatos ſuos ſpreviſſet, eisque illum honorem, quem Reges exhibere adſueviſſent, non exhibuiſſet. Legati, de quibus hic ſermo, erant Paulus & Leo, anno ſuperiore miſſi. Rurſus objicit, quod fidem fregiſſet, quam juraſſet promittens, ſe regna fratrum ſuorum non uſurpaturum, nempe Lotharii Imperatoris ditiones omnes, ad quas Lotharii junioris regnum, tanquam pars, utique pertineret. Tandem, quod illud eripiat Ludovico Imperatori, fratris ſui defuncti hæredi legitimo, & illo tempore eripiat, quo Ludovicus contra Saracenos, Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimos, pugnaret. In fine dicit: *Præcipimus tibi, affectu paterno, ut tertia hac admonitione accepta Imperatoris regnum detinere ceſſes. Niſi obtemperaveris, nos ipſi illo proficiſcemur, & quod muneris noſtri eſt, faciemus.* Tandem Legatos ſuos ei commendat, videlicet Joannem & Petrum Epiſcopos, & Petrum Cardinalem, quibus ea ore referenda commiſerat, quæ literis mandare noluerat. Alii quoque Epiſcopi hos Legatos comitabantur Wibodus & Joannes a Ludovico Imperatore miſſi.

Hadr. ep. 23.

ep. 27. Eadem Papa Epiſcopis in regno Caroli &

& sigillatim Hincmaro, tanquam primam Dignitatem obtinenti scripsit. Queritur, quod Hincmarus Epistolis suis per Legatos priores transmissis non respondisset, quam rem sine exemplo esse dicit, eumque, cum Regem a consilio invadendi regnum nepotis sui revocare noluisset, non conscium modo, sed etiam injuriæ auctorem haberi posse. Jubet deinde Hincmarum ceterosque Episcopos Regem Carolum, si obedire detrectet, a sua Communione & omni commercio excludere, si ipsi Papæ Communione digni esse vellent. Scripsit quoque Papa Epistolam ad Regni Caroli Proceres, illi quam ad Episcopos dederat, per omnia similem.

Sæculum IX. A. C. 870.

ep. 24. 25.

ep. 26.

Tandem datis ad Ludovicum Regem Germaniæ, ejusque regni Episcopos literis, laudat Regis moderationem, quod pacem & concordiam cum Ludovico Imperatore conservasset, & ab injusta cupiditate alienus regnum Lotharii non expetiisset. Unde patet nesciviſſe Pontificem Ludovici Regis consilia, quod paulo post videbimus. Queritur vero, quod Rex Episcopum Colonienſem, Sacra Sede inconsulta, ordinari permiserit. *Cum enim*, inquit, *Guntharius nostro Judicio depositus fuerit, ei Successor nobis insciis dari non debuit. Quare Ordinationem istam non confirmamus, do-*

ep. 27. 28.

Sæculum IX. A. C. 870. *nec ille, qui ordinatus fuit, ad nos venerit & in Concilio judicatus fuerit.*

§. II.

Archiepiscopi Trevirensis & Coloniensis.

Ecclesiæ Trevirensis & Colonienſis jam annis sex vacabant, nempe ex quo Nicolaus Papa Theutgaudum & Guntharium anno octingentesimo sexagesimo quarto depoſuerat. Theutgaudus vero Archiepiscopus Trevirensis Romæ vita excesserat, quo se cum Gunthario anno octingentesimo sexagesimo septimo contulerat, invitatus ab Arsenio Episcopo versuti ingenii viro & lucri cupido, qui ambos restitutionis spe lactaverat, ut magna dona eliceret; at Rex Carolus, Regno Lotharii occupato, Proceribus ad consilium adhibitis, Archiepiscopatum Trevirensem Bertulfo Adventii Episcopi Metensis nepoti contulit, ad Colonienſem Ecclesiam promoturus Hilduinum Abbatem, Guntharii fratrem, cui olim Lotharius junior Episcopatum Cameracensem destinaverat. Hunc in finem eundem Aquisgrani Presbyterum juſſit ordinari a Francone Episcopo Tungrensi, qui ei Titulum S. Petri in civitate Colonienſi dedit.

Ludo-

Ludovicus Rex Germaniæ ægrotabat in Bavaria, dum frater ejus Carolus possessionem capiebat Lotharingiæ, (hoc nomen do Lotharii regno, cujus pars exigua erat provincia hodie sic dicta) quo nuncio accepto Ludovicus admodum commotus misit, qui fratrem suum rogarent, ut expectaret, donec ejus valetudo confirmaretur, tunc enim melius inter ambos de illo regno convenire posse. Interim Liutbertum Archiepiscopum Moguntinum clam Coloniam mittit cum mandatis; Hilduini Ordinationem quacunque demum ratione anteverteret, & Episcopum Colonienſem ex Clericis ejusdem civitatis, in quem populus consensisset, consecraret. Liutbertus acceptis viæ sociis aliquot Episcopis Diuzam, hodie Duyzium, oppidum civitati Colonienſi ultra Rhenum directe adversum, celeriter se contulit, non ausus fluvium trajicere, ne in manus exploratorum Regis Caroli incideret. Ibi vero Clericorum & populi Colonienſis præcipuis ad se accersitis, quid Rex sibi præcepisset, exposuit. Responderunt illi, suam Ecclesiam Archiepiscopalem jam Hilduino esse collatam, ejusdem Ecclesiæ Presbytero ordinato, plerosque se futuro Episcopo submisisse, denique nullo modo fieri posse, ut alium eligerent. Quibus Liutbertus: *Si Epis-*

Sæculum IX. A. C. 870.

Sæculum IX. A. C. 870.

copum eligendi licentia, quam Rex offert, uti non vultis, in poteſtate ejus eſt, quemcunque alium, quam ipſe voluerit, vobis invitis dare. Illico mutatis animis Guillebertum unanimi conſenſu eligunt, virum venerabilem, quem licet reluctantem Liutbertus Archiepiſcopus, ſuperato Rheno, ceteris Epiſcopis, Clericis, populoque comitantibus, ordinavit, atque ſolemni ritu in Sedem Colonienſem invexit. His peractis Liutbertus ſine mora revertitur.

Rex Carolus, Aquisgrani tunc commorans, hac Ordinatione comperta, haud modice offenſus, protinus Coloniam contendit, cum vero Guillebertus, cunctique, quibus in illa Ordinatione pars aliqua fuerat, trans Rhenum delati, ejus indignationem effugiſſent, non habens in quos iram effunderet, redire Aquisgranum cogitur. Hæc itaque fuit Ordinatio Archiepiſcopi Colonienſis, de qua Pontifex conquerebatur. Verum nec in iſta, nec in cauſa regni Lotharingici impetrare potuit, ut Reges morem gererent. Guillebertus Sedem ſuam retinuit, & coacto Concilio Coloniæ vigeſima ſexta Septembris anno octingenteſimo ſeptuageſimo cum duobus aliis Metropolitis Liutberto Moguntino & Bertulfo Trevirenſi præfuit. Epiſcopis Saxoniæ quoque præſentibus

Dedi-

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Colonienſis Sancto Petro Sacræ celebrata. Ceterum Ludovico Rege Germaniæ & Carolo Rege vigeſima octava Julii eodem anno octingenteſimo ſeptuageſimo Lotharii regnum inter ſe partientibus Civitates Colonienſis & Trevirenſis Regi Ludovico obtigerunt. Sæculum IX. A. C. 870. *Ann. Bert.* 870.

§. III.

Carlomannus Attiniaci condemnatur.

ibid. & to. 8. *Conc. p.* 1537 *p.* 1841.

Menſe Majo ejusdem anni Carolus Attiniaci Concilium triginta circiter Epiſcoporum ex decem provinciis convocaverat, cui Archiepiſcopi ſex, Hincmarus Remenſis, Remigius Lugdunenſis, Harduicus Veſtuntinus, Wulfadus Bituricenſis, Frotarius Burdegalenſis & Bertulfus Trevirenſis, Epiſcopi ex ſola Provincia Remenſi decem interfuere. In eo Concilio jubente patre lata eſt ſententia in filium Carlomannum, cui necdum pueritiam egreſſo Clericalem Tonſuram conferri voluerat, & exinde ſe præſente ab Epiſcopo Meldenſi Hildegario Diaconum ordinari coegerat. Non nunquam etiam Diaconi officio inter Miſſæ ſolemnia Evangelium recitans functus fuerat, & complures Abbatias a Rege patre acceperat. At ille rejecta veſte Eccleſiaſtica, quam invitus ſuſceperat, copias in agros deducere cœpit, ſpo-

Ann. Met. 870. *Hincm. Opuſc.* 32.

Sæculum IX. A. C. 870.

spoliare Ecclesias, & facinora antehac inaudita patrare. Tandem sæpius monitum Rex parens comprehendi, & in hoc Concilio tanquam Clericum judicari jussit, cumque præterea læsæ fidei atque seditionis in patrem & Regem reus deprehenderetur, Rex Abbatiis privatum Silvanecti carceri mancipavit.

§. IV.

Hincmarus Laudunensis submittitur.

In eodem Concilio Attiniacensi Hincmarus Episcopus Laudunensis iterum tanquam Regi & Archiepiscopo suo Hincmaro Remensi refractarius accusatus est. Cum duos libellos intra breve temporis spatium ad Regem misisset, in quos congesserat multos Canones ad defendendam causam & appellationem suam, vituperandum vero Archiepiscopum suum, Hincmarus Remensis respondit, edita quinquaginta quinque capitulorum apologia, quam in Concilio Attiniacensi legendum obtulit. Tandem indulsit Rex, ut Episcopus Laudunensis secundum rigorem Judicii Ecclesiastici non haberetur, edixitque, satis fore, si dato chirographo Regi & Archiepiscopo obedientiam promitteret.

Sup. Lib. LI. §. 26. 22. Conc. Duz. 2. c. 13. Narrat. to. 8 Conc. p. 1837 Hincm. ep. 35 to. 2. p. 603.

Episcopo Laudunensi id recusante, accedens ad eum Frotarius Archiepiscopus Burdegalensis, cum a Sessione Concilii

cilii reverteretur, quæsivit, cur nollet subscribere, quandoquidem nullum subiret periculum? Ille respondit: *Non subscribam, nisi cognatus meus datis literis promiserit, se jura Ecclesiæ meæ nunquam læsurum.* Reposuit Frotarius: *Hoc tibi ille non denegabit.* Mox Frotarius cum Ænea Parisiensi, lateri admotus Hincmari Remensis, in loco Sessionis adhucdum Odoni Episcopo Bellovacensi apud fenestram colloquentis, dixit: *Frater noster Hincmarus vult Libello subscribere,* (*) *quo facto, pacem habebitis, prout patrem & filium, Archiepiscopum & Suffraganeum habere decet.* Hincmaro Remensi his auditis ingens gaudium profitente, adducitur ipsius nepos, qui apud aliam fenestram cum quibusdam Episcopis substiterat. Is cum dixisset, cupere se solum soli colloqui, ait: *Non te suspectum habeo, sed Successorem tuum.* Tum avunculo ad nepotem dicente; dictaret ipse libellum, qualem vellet, hic rogavit, ut potius eum avunculus præscriberet.

Sæculum IX, A. C. 870.

Conc. Duz.

Mox

(*) Observandum, quod Frotarius presserit silentio conditionem ab Episcopo Laudunensi adjectam, videlicet, si Remensis datis literis promitteret, se prærogativas Ecclesiæ Laudunensis non læsurum.

Sæculum IX. A. C. 870.

Mox redeunt ad feneſtram, ubi Æneas & Odo ſtabant, dicitque Hincmarus Remenſis ad Odonem; codicillos ſuos expromeret, & exararet literas, quibus Hincmarus Laudunenſis ſubſcriberet. Scripſit Odo, & poſtquam ambo Hincmari deinde, quæ videbantur, mutaſſent, Hincmarus Remenſis dixit ad Odonem; hunc libellum nitide deſcriptum poſtridie afferret, cui Hincmarus Laudunenſis in Concilio ſubſcriberet. Sed Hincmaro Laudunenſi reſpondente, ſe febre vexari, & cupere hac die ab iſto negotio liberari, poſtridie ad reparandam valetudinem in lacerto venam ſolvi curaturus, Hincmarus Remenſis ad Odonem; Regis Cancellarium adiret, pergamenum & atramentum peteret, atque illico ſcriberet. Ad Æneam tamen converſus, Hincmari Laudunenſis in paucis amicum, ait, melius utique ſe facturos, ſi rem in alteram diem differrent, Æneas Laudunenſi perſuaſit, ut expectaret.

Cauſa Hincmari Laudunenſis.

Altera luce, feria ſexta decima ſexta Junii anno octingenteſimo ſeptuageſimo Hincmarus Laudunenſis, Concilium intrans, ore profeſſus eſt, quod ſcripto continebat libellus in hunc modum: *Ego Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis deinceps fidelis & obediens ero Regi Carolo Domino meo pro Miniſterii mei ratione*

tione prout Vaſallus Domino ſuo & Epiſcopus Regi ſuo ſubditus eſſe debet. Promitto etiam, recepturum me & obſecuturum privilegio Hincmari Metropolitani Remenſis ſecundum Canones & Sacræ Sedis Decreta per Canones approbata. Tum Odone ei calamum porrigente ſubſcripſit coram omnibus, & libellum ſua manu Regi atque deinde avunculo ſuo obtulit; ipſe vero ab utroque oſculum pacis accepit. Die ſequente decima ſeptima Junii, priusquam Hincmarus Remenſis in Concilium ingrederetur, Harduicus Archiepiſcopus Veſuntinus ad eum dixit; Hincmarum Laudunenſem ipſi mittere paginam, rogare etiam, ut ſubſcriberet, & ſibi ſecreto redderet. Remenſis acceptam paginam recondit, eam, ſoluta Seſſione, lecturus; ſed poſtea, nemine eam repoſcente, indecorum fore credidit, ſi Archiepiſcopus libellum manu ſua ſubſcriptum Suffraganeo ſuo dare compelleretur.

Sæculum IX. A. C. 870.

ep. 35. p. 601.

Cum Hincmarus Laudunenſis hoc modo Regi, & Avunculo ſuo ſatisfeciſſet, reſtabat, ut etiam lis cum Normando aliisque privatis, querelas moventibus, componeretur. Promiſit Laudunenſis, ſe arbitrium trium Epiſcoporum, quos ejus Avunculus nominaverat, Actuardi Teruanenſis, Ragenelmi Tornacenſis,

ibid. p. 604.

Sæculum IX. A.C. 870.

censis, & Joannis Cameracensis receptu-
rum. Jamque aliqui Articuli Rege præ-
sente fuerant definiti, inter alios, pagum
Pulliacensem Normando esse restituen-
dum, cum Hincmarus Laudunensis, no-
xia sibi hæc pacta existimans, priusquam
dies ad componendos reliquos articulos
præstituta advenisset, noctu & insciis o-
mnibus Attiniaco re infecta abiit. In-
de secunda die Julii Diaconum ad Avun-
culum suum misit cum Epistola, in qua
dicebat: *Non te latet, me jam secundo ab Hadriano Papa fuisse vocatum, meque anno præterito Vermeriæ licentiam eundi Romam, sicut iterum nuper Attiniaci petiisse. Itaque, obsecro te! fac ut a Rege hanc potestatem impetrem, quo possim voto edito, & Pontificis imperio satisfacere. Secus, scias velim, me contra ejus mandata tibi obsequi non posse.*

Hincmari fuga.

to. 2. p. 351. 604.

p. 605. Conc. Duz. p. 1. c. 5.

Hincmarus Remensis nullas dedit
responsorias, sed Rex datis literis redire
jussit, cui ille per Epistolam respondit,
excusans se, quod febricula laborans so-
lis æstum ferre non posset. Ceterum,
rursus Romam proficiscendi licentiam
postulabat. Rex vero, præsentibus E-
piscopis, ei rescribi jussit, rem esse ad-
miratione omnino dignam, quod ad su-
scipiendam profectionem Romanam sa-
tis valeret, & tamen ad se venire non
posset.

Hic

Hic fuit exitus Concilii Attiniacen- Sæculum IX.
sis, cumque Hincmarus Laudunensis se- A. C. 870.
quente mense Septembri, & exinde sæpius ad Regem se contulisset, nullam amplius de itinere Romam suscipiendo mentionem injecit, sed datis ad Papam literis contra Regem Carolum, & Archiepiscopum Avunculum suum conquestus est, inita societate cum Principe Carlomanno, qui auxilium Papæ contra parentem flagitabat.

§. V.

Prærogativæ Archiepiscoporum.

In Libro quinquaginta quinque Capitulorum ab Hincmaro Remensi edito non nulli articuli sunt notatu digni. Archiepiscopi prærogativas in hunc modum exponit: *Jure Archiepiscopali mihi competit, te* (*) *ad Concilium vocare, & Judicium contra te instituere, si absis sine justa causa; & si habeas, eam in Epistola ab aliquo Fratrum tuorum mihi reddenda, aperias. Meum est in tota mea provincia ad Concilium celebrandum locum deligere. Si quis accusare te velit, coram me actionem moveat. Meum est, tibi Judices dare, aut a te delectos approba-* Cap. 6. p. 407

(*) Sermo ad Hincmarum Laudunensem dirigitur.

Sæculum IX. A. C. 870.

probare. Si quis ordinetur Episcopus in provincia Remensi sine meo consensu, non erit Episcopus. Si tu, aut duo alii Episcopi tecum, communi sententiæ ceterorum Episcoporum refragamini, sententia mea majore numero fulcita standum erit. Meum est in hac provincia Ordinationibus ceterisque Actis Ecclesiasticis auctoritatem legitimam tribuere.

Si Episcopus decesserit, meum est Ecclesiæ vacanti Visitatorem dare, & Ordinationis diem indicere. Si in electione voces in diversos spargantur, meum est digniorem eligere, & ante Ordinationem examinare. Tu mecum, sicut & ceteri, eum ordinabis, & post me in loco tuo literis, quas ab Ordinantibus se accipit, subscribes. Decretis meis aut Expositionibus, ubi jussero, salva materia Fidei, subscribere teneris, sine me vero nulli Decreto subscribes, nisi ad tuam Diœcesim spectet. Si alienanda sunt Bona Ecclesiæ tuæ, consulere me teneris. A judiciis tuis ad me datur appellatio, & si quemquam excommunicaveris, sententiam tuam in Synodo emendare te invito possumus. Mihi totius provinciæ cura incumbit. Omnes, quibus in ea negotium Ecclesiasticum est, ad me convertere se debent. Si tibi causa est cum alio Episcopo, non licet tibi Judicem ex alia provincia expetere, sed si in mea dio-

cesi

sensio extiterit, ex alia provincia Judices advocare possum. Si actionem moveas adversus Episcopum alterius provinciæ, & causa in mea provincia definienda sit, meum est Judices constituere. Meum est cum meis Suffraganeis Quæstiones difficiles decidere, nec quosquam alios, ne quidem Papam adire tibi licet; meum enim erit, Papam consulere, si ad solvendum dubium tuum fuerit necessarium. Si cogaris propter propria negotia longius iter suscipere, licentiam a me petas. Non licet tibi e provincia sine literis meis exire, nec Clericum sine meo consensu ad Regiam mittere. Sæculum IX. A. C. 870.

In iis vero, quæ Canones definierunt, non expectato Synodi tempore te corrigere mihi licet. (*)

§. VI.

Synodus septima in Francia non multum cognita.

In eodem Opere Hincmarus, cum Concilia Generalia enumerat, tantummodo sex affert, & de septimo loquitur in hunc modum: *Falsum Concilium Universale a Græcis septimum dictum agit* C. 20. p. 456.

(*) Quæ hodieque observentur, quæve exoleverint, præsertim in Germania, ubi Episcopi Principatu terreno gaudent, Lector rerum istarum studiosus facile dispiciet.

Sæculum IX. A. C. 870.

de imaginibus, quas alii deſtruendas, alii adorandas eſſe contendebant, tam hi quam illi a veritate aberrantes. Celebratum eſt Conſtantinopoli haud diu ante noſtram ætatem ſine Sacræ Sedis auctoritate, atque Acta Romam, poſtea etiam a Papa in Franciam tranſmiſſa. Hinc, Imperatore Carolo Magno regnante, in Francia, jubente Papa, Concilium Generale habitum, in quo Concilium Græcorum rejectum, & ex Scriptura & Traditione refutatum. Ex argumentis contra illud Concilium pugnantibus ampliſſimum volumen conſcriptum eſt, ab Imperatore per quosdam Epiſcopos Romam miſſum, quod ego cum vix ex pueris exceſſiſſem in Palatio legi. Satis liquet, hic ſermonem eſſe Hincmaro de Libris Carolinis, nec quidquam de illo Concilio niſi ex his libris ad ejus notitiam pervenisſe. At vero obſtupeſcendi locus eſt, iſtud Concilium anno 787. celebratum adhucdum anno 870. ab Epiſcopo, quo nullus in Francia doctior, vix aliquatenus cognitum fuiſſe.

Sup. Lib. XLIV. §. 47.

§. VII.

Hadriani II. Legati in Francia.

Ann. Fuld. 870.

Sup. n. 1.

Legati Hadriani Papæ & Ludovici Imperatoris primum ſe in Germaniam contulerunt ad Regem Ludovicum ejus patruum, qui advenientes Aquisgrani in con-

conſpectum admiſit. A Papa miſſi advenerant Epiſcopi duo Cardinales Joannes & Petrus, atque alius Eccleſiæ Romanæ Presbyter, ab Imperatore autem Wibodus Epiſcopus & Bernardus Comes. Hi nomine Papæ admonebant Ludovicum Regem, ut Regnum Lotharii non invaderet; ſed peractum erat negotium, jamque illius regni partem pactis acquiſitam poſſidebat. Itaque nullam habens rationem eorum, quæ ipſi dicerent, aut Papa ſcripſiſſet, eos minime moratus ad Regem Carolum dimiſit. Sæculum IX. A. C. 870.

Legati Regem Carolum in Monaſterio S. Dionyſii in Francia habuerunt, ubi eos in Feſto ipſius Sancti nona Octobris inter Miſſæ ſolemnia excepit. Lectis Papæ Epiſtolis ad ſe & ad Epiſcopos regni ſui datis, cum terribiles comminationes, quibus regnum Lotharii adire prohibebatur vidiſſet, haud parum offenſus eſt; id tamen Legatorum & quorumdam procerum ſuorum precibus dedit, ut filium ſuum Carlomannum e carcere Silvanectenſi liberatum ad ſe vocaret. Tum Legatos in civitatem Remenſem præmiſſos ipſe ſecutus Conventum Optimatum celebravit, quo ſoluto, Romanos dimiſit. Ipſe poſtea duos Legatos Anſegiſilum Presbyterum & Abbatem ad S. Michaelem, atque Laicum

Sæculum IX. A. C. 870.

dam nomine Lotharium Romam missos dona pretiosa, Altaris velamen ex vestibus Regiis auro intexto confectum, & duas coronas gemmis fulgentibus splendidas deferre jussit.

§. VIII.

Hincmari Epistola vehemens.

Opusc. 41. *to.* 2. *p.* 689.

Conjectura est, his Legatis Hincmarum Remensem amplissimam Epistolam, ad Papam scriptam, deferendam commisisse, nempe responsum ad illam, quam Papa vigesima septima Junii ad ipsum dederat. Dicit Hincmarus, se mandatis Pontificis obtemperasse, quantum potuisset, refertque libellum a se duobus Regibus & trium regnorum Episcopis traditum, in quo reclamasset, postquam Reges Lotharii Regnum partiti fuissent. Hæc autem illius libelli summa: *Hadrianus Papa datis literis, quæ in manibus meis sunt, omnibus & singulis adjecta comminatione anathematis prohibet, ne occupent Lotharii regnum, jure hæreditatis ad Ludovicum Imperatorem devolutum; edicit, si Episcoporum aliquis in hanc rapinam consentiat, eum non pro pastore se, sed pro mercenario habiturum. Mihi sigillatim præcipit, ut Reges ceterosque ab eo consilio revocem. Attamen affertur mihi nuncium, pacta inter Reges, qui se hæredes existimant, inita*

Sup. n. 1.

inita esse ad dividendum hoc Regnum. So- Sæculum IX.
la hæc fœdera obstare, quo minus eorum A C. 870.
subditi ad arma procurrerent, quæ nisi serventur, fore, ut Francia bellis horridis, iisque, quæ defuncto Ludovico Imperatore orta fuissent, gravioribus divexaretur. Ajunt præterea, Episcopos, principesque, irruentibus undique paganis, sine Rege salvos esse non posse, sibique a necessitate legem imponi, libere eligendi eum Dominum, qui eos adversus hostes tueri possit. Cum igitur utrinque me terreat periculum, tum ne Papæ inobsequens audiam, tum ne patriam maximis malis objiciam, non explorata ceterorum Episcoporum sententia nihil statuere audeo, & rem tantam Papæ decidendam relinquo.

Post hoc insertum Hincmarus suam Epistolam ad Papam prosequitur in hunc modum: *Dicis, inter Episcopos Regni Caroli me Dignitate primum esse; sed ego non video, qua ratione supra ceteros Metropolitas positus sim, cum Canones quamlibet provinciam suis contentam esse jubeant. Dicis; Rege Carolo in proposito perseverante, mihi recedendum esse ab ejus communione, si in tua remanere cupiam. Ad istud non sine magni doloris sensu respondeo, quæ mihi suggerunt viri Ecclesiastici & Sæculares, quibus hæc mandata celari non potuerunt. Ajunt;*

Sæculum IX. A. C. 870.

Hincmari Epistola ad Hadrianum II.

nunquam rem hujusmodi Antecessoribus meis fuisse imperatam, quamvis ipsorum ætate bella civilia inter fratres, quin & inter parentem & filios exarsissent, nec modo te ipsum simile præceptum dedisse Episcopis, Fratribus meis, quorum aliqui proprii commodi causa Regem nostrum in regnum Lotharii advocasse dicerentur. Regi Carolo dicunt, qui ipsi a consiliis sunt, Antecessorem tuum nunquam tanto rigore habuisse Lotharium manifesto & publico adulterii crimine notatum; nec unquam Pontifices & sanctitate insignes Episcopos conspectum tyrannorum, aut Principum Hæreticorum & Schismaticorum fugisse, quotiescunque ad eos verba facere opus fuisset, idque temporibus Constantii Ariani, Juliani Apostatæ, & Maximi Tyranni observatum. Dicunt etiam; si solus a communione Regis nostri recederem, ceteros Episcopos, qui cum ipso communicant, a communione mea recessuros, quod inprimis Rex se perjurii & rapinæ reum esse negaret, nec in judicio convictus fuisset; oportere autem etiam minimum hominum privatorum, priusquam damnaretur, vel confessum esse, vel convictum. (*)

Osten-

(*) Quidquid vero dicat Hincmarus, jure naturæ & gentium Ludovicus Imperator Fratris

Ostendunt nobis in historiæ Scriptoribus; Pipinum, Caroli proavum, Regem fuisse consecratum a Stephano Papa, qui

Sæculum IX. A. C. 870.

Sup. Lib. XLIII. §. 14. 18.

tris sui Lotharii hæres legitimus erat, utpote unicus Lotharii Imperatoris superstes filius & primogenitus, haud dubie patruis præferendus; unde Hadrianus Papa pro causa bona stabat. Sed Carolus Calvus Ludovici Pii filius natu minimus ex secundis nuptiis, qui ad excitandas alendasque inter parentem, filios, fratresque rixas natus videbatur, non solum Lotharii defuncti nepotis regno, sed etiam Romano Imperio imminebat. Melius est illud argumentum; Regna sæpissime non tam jure sanguinis, quam belli aut populorum consensu vel dari vel eripi. Ita hodie Electores ex Domo Brunsvvico-Hanoverana progeniti ab omnibus Europæ Principibus, ob totius Anglicæ Nationis consensum, tanquam Legitimi Magnæ Britanniæ Reges habentur, quamvis Stuartos Principes jure sanguinis huic Coronæ propiores esse nemo nesciat. Proximus morti esse Romæ nunciatur, septuagenario major, Jacobus Eduardus Jacobi II. Regis Magnæ Britanniæ, causa Religionis Regno expulsi, filius, postquam a suo filio Henrico Cardinali Eboracensi & Episcopo Corinth. Sacro Viatico fuisset munitus, a Summo Pontifice Clemente XIII. ægrotantem invisente Benedictionem Papalem accepisset, & filium suum natu majorem Carolum Eduardum, de quo multis jam annis, quid agat, aut ubi degat, nescimus, Hæredem scripsisset.

Sæculum IX. A. C. 870.

in Franciam ab eodem auxilia flagitaturus venisset, & deinde Aistulphum Regem non excommunicatione Papæ, sed Pipini armis ad officium fuisse compulsum. Narrant Caroli gesta ævo Hadriani Papæ & Regis Desiderii, qui tunc Dignitatem Patricii, & Leonis tempore Imperatoris nomen accepisset. Tum Imperatorem Caroli parentem † a Stephano Papa Remis coronatum, (*) atque Gregorium Papam, cum a Lothario deceptus in Franciam invito ejus parente venisset, debito alias honore neutiquam exceptum recessisse. Enumerant, quot malis jam nunc Rex noster in regno Lotharii remedium attulerit, & dicunt, Regna hujus mundi bello & victoriis, non vero Papæ vel Episcoporum excommunicatione comparari.

† Ludovicum pium.

Sup. Lib. XLV. §. 21.

Exhortamur viros sæculares, ut oratione ad Deum convertantur. Exponimus, quantam potestatem JEsus Christus Papæ & Episcopis contulerit. Respondent: Ergo vos Sacerdotes regnum & patriam sine armis nostris contra Normannos & alios hostes sola oratione ad Deum defendite, si potestis; si vero armorum

(*) Non video, quid hæc omnia causam Caroli Calvi juvent contra Ludovicum juniorem Imperatorem, utique etiam ex iisdem Progenitoribus, & quidem ex linea seniore ortum.

morum noſtrorum auxilia non reſpuitis, ſicut nos oratione veſtra adjuvari petimus, æquum non eſt, ut nobis terriculamentis veſtris exitium afferatis; ſed potius Papam rogate, ut meminerit, ſe non ſimul poſſe Regem eſſe & Epiſcopum, & Anteceſſores ipſius cauſas Eccleſiaſticas compoſuiſſe, non Reipublicæ, cujus cura ad Reges pertinet. Unde ſequitur, Papæ non eſſe imperare, ut Regem recipiamus a nobis remotum, nos contra inſilientes paganos, a quibus ſubito, & frequentiſſime laceſſimur, defendere non valentem. Rogate Pontificem, ut conſilium nos ſibi ſervos ſubjiciendi abjiciat; nam Franci ſumus. Pontificis Anteceſſores Majoribus noſtris hoc jugum non impoſuerunt, quod nec nos pati poſſumus; ſed didicimus ex Scriptura, pro libertate (*) noſtra & Hæreditate noſtra nobis decertandum eſſe usque ad mortem. Si Epiſcopus contra Canones agens Chriſtianum excommunicet, poteſtate ſua abutitur, & neminem a vita æterna excludere poteſt, niſi eum peccata ſua arceant. Non expedit, ut Epiſcopus quemquam Chriſtiani nomine privet, & Dia-

Sæculum IX. A.C. 870.

De Excommunicatione.

(*) Ab Hincmaro diſcant Proteſtantes, ingenuam libertatem & Communionem cum Eccleſia Romana, extra quam per omnia ſæcula nemo Orthodoxus habitus fuit, ſimul ſtare poſſe.

Sæculum IX. A. C. 870.

Diabolo tradat, nisi omnis emendationis spes absit; nec ut quemquam excommunicet non propter patrata crimina, sed ut alteri regnum terrestre vel det, vel auferat. Si ergo Papæ pacem conservare curæ est, paternum affectum grati agnoscimus; sed nova bella non excitet; nunquam enim persuadebit, nos alia via tutius posse ad Regnum Cæleste pervenire, quam si in terra illum Regem recipiamus, quem nobis Cælum obtulerit.

p. 696. Hincmarus, postquam in eadem Epistola tanquam ore aliorum protulit, quæ, si suo nomine scripsisset, cruda videri potuissent, hæc addit: *Nullatenus fieri posse existimo, ut societatem & præsentiam hujus Regis fugiam, in cujus regno Diœcesis & provincia mea positæ sunt, nisi animam, & Ecclesiam meam periclitari velim.* Tunc affert Textus ex S. Augustino; non prius a communione Peccatorum recedendum esse, quam Ecclesiæ judicio damnati fuerint. Et mox subjungit: *A communione tua excludi non debeo propter aliorum peccatum, cujus ego particeps non sum.* Testes mihi sint Legati tui, *me, ut mandatis tuis obsequerer, fortiter Regi & Proceribus obstitisse, & quidem usque adeo, ut Rex aliquando ad me; si in mea sententia persisterem, futurum esse, ut quidem ad Altare Ecclesiæ meæ cantare mihi liceret;*

Sup. Lib. XX. §. 46.

p. 697.

ceret, sed potestas tam in Bona quam in homines, illi Ecclesiæ subditos, adimeretur. *Plura comminati sunt nobis, quæ etiam, si Deus permittat, facturi sunt. Namque prævideo, nec verba mea, nec cujuscunque hominis efficere posse, quo Rex noster & regni proceres a suo proposito dimoveantur.* Sæculum IX. A. C. 870.

Non occurrit mihi modus, quo præsentiam & communionem Regis & familiæ ejus possem effugere. Sæpe enim non in Diœcesim modo, sed & in civitatem meam venit cum magno procerum & ministrorum numero, moratur, quamdiu lubet, quod viderunt Legati tui. Non possum relicta Ecclesia & grege meo aufugere tanquam mercenarius, nec locum scio, quo me extra regnum reciperem. Ergo Regem apud me cum regia domo diversantem ex reditibus Ecclesiæ alo; quippe dicit, id juris Antecessoribus suis fuisse, nec ipse illo cedere cogitat. Quamobrem, Sancte Pater, noli talia præcipere, quæ, si fierent, Ecclesiam & Rempublicam inter se ita colliderent, ut ægerrime quies & pax revocaretur, & Ecclesia in extremum periculum Bona sua temporalia amittendi adduceretur.

Respondet deinde Hincmarus Remensis ad Epistolam a Pontifice anno superiore octingentesimo sexagesimo nono ad se datam, Hincmaro Laudunensi faven-

Sæculum IX. A. C. 871.

faventem, in qua Normandum excommunicari jubebat. Oſtendit vera hujus facti adjuncta ad Papam non fuiſſe delata, & ſubjungit: *Ubi talia deinceps tibi exponentur, Decretis tuis hæc verba adde: ſi delata veritate nitantur.* Et poſtea: *Quod vero ad mandatum tuum ſpectat, quo vis, ut eundem Hincmarum cum tribus aliis Epiſcopis nomine Epiſcoporum omnium in Regno Caroli exiſtentium Romam ad Concilium mittam; ſcias, non eſſe mihi poteſtatem, qua unum Epiſcopum ex mea provincia Romam aut alio ſine Regis licentia mittam, aut ipſe ego e regno ejus ſine ipſius conſenſu excedam.*

§. IX.

Carlomannus excommunicatur.

Ann. Bert. 870.

Poſtquam Rex Carolus Remis verſatus Legatos Papæ dimiſiſſet, venit Lugdunum, unde filius ejus Carlomannus relicto patre noctu aufugiens in Belgicam rediit, & collectis copiis pagos expilare, in obſiſtentes dire ſævire, vaſtare Eccleſias cœpit. Quamobrem Epiſcopi, in quarum Diœceſibus graſſabatur, cenſuras in rebelles pronunciarunt, ſupereſtque Epiſtola Hincmari Remenſis in hac cauſa ad Remigium Lugdunenſem & ejus Suffraganeos data, in qua dicit; ſe ipſum ter ad Carlomannum & facinorum ſocios verba feciſſe, & exhortatum fuiſſe

Opuſc. 32. to. 2. p. 353. & to. 8. Conc. p. 1575.

fuisse ad resipiscendum, jamque quarto misisse, qui seditiosos sui officii commonerent. Tandem declarat, omnes conscios excommunicatos fore post undecimam Martii anni illius octingentesimi septuagesimi primi, nempe Dominica secunda Quadragesimæ, nisi interea vitam emendaverint. Ipsum Carlomannum non excommunicat, quod ipsum Parens judicio Episcoporum provinciæ Senonensis, in qua Clericus erat, reservaret. Sæculum IX. A. C. 871.

At Papa ignarus, quæ in Francia agerentur, receptis Legatis, epistolisque Carlomanni ad Sacram Sedem appellantis, Regi Carolo scripsit in hunc modum: *Præter alia peccata a te admissa, cum alterius regnum invasisti, illud quoque tibi objiciunt, quod ferocissima bellua crudelior in propria viscera, nempe Carlomannum filium tuum, sævias, quem non solum paterna gratia & beneficiis privasti, sed e regno tuo ejeciſti, atque ut excommunicaretur præcepisti. Huic igitur Bona sua & prærogativas redde, donec Legati nostri ad te perveniant, & quod justum est decernatur.* Ep. 19. Scripsit simul Proceribus, quibus prohibet, arma in Carlomannum arripere, nisi parerent, excommunicationem, anathema, & æternam damnationem comminatus. Ep. 30. Episcopis autem prohibet, eum ex-

Sæculum IX. A. C. 871.

excommunicare, donec ipse hujus causæ cognitionem accepisset. Addit; Deum rixas inter parentem & filium permittere, ut in parente regni alieni rapinam puniret. Tres istæ Epistolæ 13. Julii anno 871. datæ sunt.

ep. 31.

§. X.

Concilium Duziacense.

Hincmarus Laudunensis ab Avunculo suo etiam sexto monitus, ut excommunicationi, in Carlomanni socios latæ, sicut alii Episcopi provinciæ Remensis, subscriberet, varia obtendens recusavit; cujus obstinatione Rex offensus, & memor eorum, quæ anno superiore acta fuissent, in mensem Augustum Concilium Duziaci haud procul Mosomo in Diœcesi Remensi indixit, ubi Hincmarus Laudunensis secundum Canones judicaretur. Illum Archiepiscopus Remensis, sicut & alios Episcopos suæ provinciæ vocavit, data decima quarta Maji Epistola, in qua dicebat: *Certiorem te facio, quod illi, qui anno superiore ad me querelas, contra te in Concilio Attiniacensi motas, detulerant, instent iterum, ut renoventur; quare invito te, ut venias ad respondendum bene paratus, & honorem Sacerdotii salves.* Respondit Hincmarus Laudunensis edito amplissimo commentario, querelis contra Avunculum

Conc. Duz. p. 2. c. 20.

Ann. Bert. 871.

Conc. Duz. p. 2. præf.

culum ſuum pleno, quem accuſabat, quod nepotis ſui proditor effeciſſet, ut cuſtodiæ traderetur, & adhucdum vindictam coqueret, ob Rotadi cauſam, in qua ipſe Avunculo non eſſet ſuffragatus. Tum Hincmarus Remenſis reſpondit in hunc modum: *Hadrianus Papa dedit ad me Epiſtolam de negotiis noſtræ provinciæ pertractandis, quam in Synodo legi oportet; quare nomine Papæ indico, veniendum tibi eſſe ad Synodum proximam, Duziaci quinta Auguſti celebrandam.* Quippe Hincmarus Remenſis nuper acceperat Pontificis Epiſtolam, in qua dicebat; delatum fuiſſe ad ſe, quod multos abuſus in ſua provincia toleraret, atque ad eos in Synodo emendandos excitabat. Sæculum IX. A. C. 871.

Itaque Concilium Duziaci præſtituta die congregatur. Aderant Epiſcopi viginti & unus, adnumeratis octo Archiepiſcopis, quos inter Hincmarus primum locum tenebat. *Analect. to. 4. p. 602.*

In illis occurrit Wulfadus Bituricenſis, cujus Epiſtola una paſtoralis ad Clericos & populum ſuæ Diœceſis data, & optima de vita Chriſtiane inſtituenda documenta continens ad nos usque pervenit. In ea Communionem ter in anno accipiendam, in Natali Domini, in Paſchate, & in Pentecoſte ſuadet. Inter Epiſcopos numerabatur Walterus Aurelianenſis, a quo habemus Articulos *to. 8. Conc. p. 637.*

Sæculum IX. A.C 871.

ad Disciplinam pertinentes, illis quos Hincmarus Remensis, aliique illius ævi ediderunt persimiles. Ingilvinus Episcopus Parisiorum postremus nominatur; quippe plus anno uno effluere non potuerat, ex quo Æneæ successisset. Rex Carolus quoque Concilio Duziacensi interfuit, obtulitque libellum, querelas contra Episcopum Laudunensem, qui necdum advenerat, continentem.

part.4. c.8.

Hincmarum vero Laudunensem accusabat Rex, quod fidem sæpius jurato sibi datam fregisset, quod seditiones contra se regem suum movisset, vi adhibita occupasset Bona, quæ ad Ecclesiam suam pertinere diceret, calumnias contra se ad Papam detulisset, usque adeo tandem Regi suo fuisset inobsequens, ut etiam armis arreptis obstitisset. Præterea de ejus simulata appellatione ad Sedem Romanam dicebat: *Ex quo Episcopus Laudunensis e Concilio Attiniacensi aufugit, ter diversis temporibus ad me venit, quin ullam mentionem faceret, quod Romam ire vellet, aut eo appellasset. Nunc vero quotiescunque lubet, eandem veniam recantat; vocari se a Pontifice, & eundi potestatem a me obtinere non posse.* Episcopi spatium temporis, quo ad Regis querelas responsa pararent, petierunt.

Part. 3. c. 2.

§. XI.

§. XI.

Sæculum IX. A. C. 871.

Querelæ Hincmari Remensis.

c. 1. Hincmarus Remensis deinde suas etiam querelas in Commentario amplissimo, nam longus esse solebat, obtulit, qui tamen ad articulos sequentes contrahi potest: *Cum Hincmarus Laudunensis sine meo consensu Munus in Palatio exercendum suscepisset, & ego præsente Rege id ipsum probibuissem, ille nihilominus potentia sæculari suffultus officium retinuit. Præterea Abbatiam in alia provincia me invito impetravit, & utroque potitus est, usque dum Rex sibi refractario ea abstulit. Ad banc Abbatiam, quotiescunque lubuit, sine mea licentia perrexit, & tanta quanta voluit temporis mora ibidem permansit. Ad ordinandum Joannem Episcopum Cameracensem canonice vocatus non venit, nec Legatos nec Epistolas consensus sui indices misit; unde Ordinatio differenda fuit. Tandem cum bis citatus non responderet, coacti sumus sine ipso Ordinationem peragere.*

c. 2.

c. 3.

Tunc Archiepiscopus refert jurgia, inter Regem & Hincmarum Episcopum exorta, in causa Feudorum, quæ Episcopus quibusdam Vasallis eripuerat, & memorat primam excommunicationis sententiam, in illos latam, qui a Rege

c. 4.

Sæculum IX. A. C. 871.

missi veniebant; multo acrius vero a-
guit sententiam secundam, qua totam
Diœcesim Laudunensem interdixerat,
c. 5 6. 7. 8. Missam celebrare, baptizare infantes,
pœnitentiam & Viaticum morientibus
ministrare, & sepelire mortuos prohi-
c. 9. bens. *Hac re ad me delata*, inquit Hincmarus Rhemensis archiepiscopus, *exhorrui, per literas semel bisque monui, ut tam perniciosam animabus censuram tolleret; sed impetrare non potui, ut obediret, quamvis in sua*
c. 10. *Ordinatione publice dato Chirographo obedientiam mihi promiserit.*

Ex oratione vehementi, qua Hincmarus Remensis hunc excommunicandi modum vituperat, dispicitur, illo adhuc dum ævo Interdicta universalia, postea frequentissima, fuisse ignota; etsi Interdictis particularibus, ut supra notavi, non nunquam locus esset. Tunc Hincmarus de nepote suo loquens prosequitur: *Fidem Regi juravit dato libello, quem subscripsit, suadentibus duobus Episcopis aliarum provinciarum, Venilone Rothomagensi & Ænea Parisiensi, me & Episcopis ceteris nostræ provinciæ inconsultis, sine quibus Canones præcipiebant ei, ne cuicunque libello subscriberet.*

Sup. Lib. XXXIV. §. 53.

c. 11. *Cupiens deinde se Jurisdictioni Metropolitæ sui subtrahere Analecta ex Scriptis Patrum Nicena Synodo antiquioribus collegit, iisque nobis insciis subscri-*

psit,

pſit, & Clericos ſuos ſubſcribere juſſit. Sæculum IX. A. C. 871.
In illa collectione ſæpius admodum abſurdus eſt, ut cum dicit, Epiſcopos nullius hominis judicio ſubjici, quod ſibi ſolus Deus reſervaſſet; item calumniatoribus linguam exſcindendam eſſe, vel caput amputandum, cum tamen in eadem Collectione has ipſas aſſertiones contrariis teſtimoniis deſtruat, cum dicit, Epiſcopos a Fratribus ſuis judicari oportere, & Eccleſiam nunquam ſanguinem humanum fundere. Præterea complura loca Patrum perfide mutavit. Exinde autem cum rurſus alia Collectanea prioribus ſimilia mihi Gundovillæ commoranti miſiſſet, jam tunc edito Scripto reſpondi, & iterum prolixius in quinquaginta quinque Capitulis, quæ in Concilio Attiniacenſi obtuli. Hincmarus Remenſis non objicit nepoti ſuo, quod ſua Analecta falſis Decretalibus repleverit, quia & ipſe veras a falſis non dignoſcebat, & has ſæpe in Scriptis ſuis allegabat.

Sup. lib. XXXIV. §. 53. Hincmarus Remenſis contra Laudunenſem. *c. 12.* *c. 13.*

Tum Hincmarus refert reliqua, quæ in Concilio Attiniacenſi acta ſunt, fugamque Hincmari Laudunenſis, cujus prætextus inanes refutat, atque inprimis ejus appellationem ad Sedem Romanam, qua de re ait: *Quando ob ſua errata corripitur, ad Sacram Sedem appellat, & poteſtatem ſibi fieri poſtulat ad Limina Apoſtolorum proficiſcendi; quando autem* *c. 14.* *c. 17.*

Sæculum IX. A. C. 871. *Regem & Episcopos sibi indulgentes habet, nullam amplius de voto edito Romam eundi mentionem facit.* Novum postea Hincmarus exponit delictum, quod nempe Laudunensis ea, quæ Attiniaci promisisset, Subscriptionibus contrariis subverterit.

Sup. Lib. L. §. 8. to. 8. Conc. p. 703. Hincmarus Laudunensis, ut defenderet, jure factum esse, quod sententiam excommunicationis in reos tulisset, decima octava Julii Avunculo suo misit Excerpta ex Concilio Tusiacensi ante annos abhinc decem celebrato, ubi in primo Canone decernitur, ut Bonorum Ecclesiæ raptores excommunicentur, atque Viatico in morte & sepultura Ecclesiastica priventur. Hincmarus vero Remensis statim contra hæc Excerpta reclamavit, affirmans, hoc Decretum antiquis Canonibus adversum, quamvis & ipse cum suo Nepote illi Concilio interfuisset, nunquam ad suam notitiam perveniisse. Reposuit Laudunensis, se hoc Decretum ab Harduico Archiepiscopo Vesuntino accepisse, cumque Avunculus ejus diceret, aliud Exemplar Concilii Tusiacensis se habere, Episcopus Laudunensis rem explicavit in hunc modum: *Habeo apud me Epistolam, a te compositam, quam in Concilio legi jussisti, & recordor, quod ob ejus prolixitatem illi alteri Decreto breviori subscripserimus.*

ep. 34. to. 2. p. 595.

ibid. p. 616.

Ad

Ad nos usque pervenit illud Decretum, quale Hincmarus Laudunensis citat, cum Subscriptionibus Episcoporum, & Epistola Synodali separata, ab ejus Avunculo concinnata. Nihilominus Hincmarus Remensis etiam in Concilio Duziacensi omnibus viribus contendit, suppositititium esse hoc Decretum, & locus suspicandi foret, an bona fide id affirmasset, nisi ex omnibus Episcopis præsentibus, quorum complures illi priori Concilio interfuerant, nullus reclamasset. Sæculum IX. A.C. 871. *to. 8. Conc. p. 702. 707.* *p. 2. c. 18.*

HincmarusRemensis contextum querelarum contra nepotem suum prosequitur: *Duobus ferme mensibus postquam Attiniaco fugisset, per fraudes mandatum Principis impetravit, quo Sæculares judicium ferrent in iisdem causis, ad quas decidendas ipse antea delegerat Judices Ecclesiasticos, & quas ex parte jam definierant, etsi Canones probibeant a Judicibus delectis appellare, aut Judices sæculares, contemptis Ecclesiasticis adire, aut denique forum Laici sequi, si ille Judicium Ecclesiæ subire consentiat.* *c. 19.* *Sup. Lib. LI. §. 22.*

Conqueritur deinde, quod Hincmarus Laudunensis multoties monitus Excommunicationis Decreto contra socios Carlomanni, quod tamen ceteri Episcopi Provinciæ Remensis feciissent, subscribere noluisset. Tum respondet ad ea, *c. 20. 21. 22.*

Sæculum IX. A. C. 871.

quæ sibi Hincmarus Laudunensis objiciebat, quod ipsum prodidisset, quod auctor fuisset consilii, ut Silvaci Laudunensis captivus detineretur, & ipse Remensis Excommunicationem Papæ contemneret. Ad hunc ultimum articulum respondet Hincmarus Remensis, esse putidam calumniam, & provocat Laudunensem ad contemptum hunc demonstrandum, si posset. Deinde, quid de Auctoritate Papæ credat, profitetur in hunc modum; *Pontifici Romano competere privilegium Primatus super omnes Mundi Ecclesias; quamvis enim omnes Apostoli, &, per ipsos, omnes Episcopi, atque omnes Presbyteri, ligandi & solvendi potestatem accepissent, nihilominus eam S. Petro & Successoribus ejus modo singulari fuisse collatam.* (*)

Papæ Auctoritas.

Rursus

(*) Quid habent Protestantes, quod clarissimo Hincmari Remensis testimonio opponant? an forte non tota Ecclesia sed solus hic Archiepiscopus ista de potestate Romani Pontificis credebat? quin imo credibile non est, nullum Episcoporum, aut Scriptorum illius ætatis tam publicam de Romani Episcopi potestate professionem negaturum & oppugnaturum fuisse, nisi hæc fides totius Ecclesiæ fuisset. Etiam satis hic refutantur Fleurii Adversarii dicentes, nescio qua fide, quod mala fide ejusmodi testimonia pro Auctoritate Summi Pontificis silentio prætereat.

Rursus de suo nepote dicit: *Petere me ausus est per Archiepiscopum Venilonem, ut, nisi pacem in perpetuum abnuerem, igni librum traderem, quem de Excommunicatione ab ipso in suam Diœcesim pronunciata scripsissem. Qua postulatione compellere me vult ad comburendam Scripturam & Canones, quibus librum illum implevi. Dicit, consensum suum, cum Attiniaci subscriberet, vi fuisse extortum, nec illo facto se obligari.* Ad istud refutandum Hincmarus Remensis omnia adjuncta Concilii Attiniacensis accurate refert, & probat, nullam ei vim illatam. Tandem dicit, jam ter vocatum contumaciæ reum esse pronunciandum, & adempta spe appellationis secundum Canones condemnandum.

Sæculum IX. A. C. 871.

c. 30. 31.

c. 32.

c. 33.

Hæ sunt querelæ Hincmari Remensis, in fine dicentis, nullatenus se privatas injurias vindicandi dulcedinem quærere, sed solummodo Dignitatem suam, & Ecclesiæ suæ Metropoliticæ jura salva esse cupere.

§. XII.

Acta in Concilio Duziacensi.

Postquam Episcopi per dies aliquot deliberassent, quid ad Regis querelas esset respondendum, attulerunt articulos, seu potius collectionem Canonum, Legum, & textuum ex viris auctorita-

Pars III. p. 1617.

Sæculum IX. A.C. 871.

te gaudentibus excerptorum, ex quibus docebant, quam pœnam mereatur Episcopus, si criminum, quæ ipsi objiciuntur, perjurii, seditionis, rapinæ, calumniæ, vel etiam, quod Bona Ecclesiæ suæ distraxerit, Regis voluntati obstiterit, ad arma proruperit, societatem cum rebellibus inierit, convictus fuerit. In hoc Scripto verba sequentia notatu digna mihi videntur: *Hincmarum, fratrem nostrum, si ea, quæ petebat, a Rege impetrare non potuit, causam primum ad Concilium suæ provinciæ deferre oportebat, cum Judicium sæculare non daretur, in quod Regem vocare posset. Quod si nos deinde, Actore & Reo præsentibus, causam nostra sententia terminare non potuissemus, ei literas nostras dedissemus, quibus munitus rei hujus cognitionem ad Sacram Sedem transtulisset.* Meminisse oportet, quod Scriptum istud Rege præsente & audiente lectum fuerit.

Pars. 4. p. 1632.

Cum inter hæc Hincmarus Laudunensis Duziacum veniisset, ter ritu judiciali citatur, ut in conspectum Concilii ingrederetur, Papæ mandata audiret, & ad ea, quæ Actores contra ipsum afferrent, responderet. Ille misit amplissimum Commentarium, & dixit, quod ad S. Sedem appellaret. At Legati a Concilio dixerunt: *Veni modo & causam tuam defende. Tum, si necesse fuerit, appella-*

appellabis. Ceterum nihil est, quod timeas ne ob reverentiam cujuscunque hominis tibi noceamus. Quoties autem citabatur, Episcopus, Presbyter, & Diaconus provinciæ Remensis ad eum mittebatur. Sæculum IX. A. C. 871.

Aliquis etiam Parochus ruralis, nomine Haimeradus, qui apud Episcopum Laudunensem erat, & ipsius nomine Commentarium in Concilio Attiniacensi obtulerat, citatus est. Et hic quidem Presbyter Duziacum non venit, sed Hincmarus Laudunensis post tertiam citationem obediit, & Concilium intravit. Tum Rex Carolus iterum obtulit querelas, quæ Laudunensi audiente lectæ, ipsique traditæ ab Odone Bellovacensi; tempus quoque concessum, quo eas pensaret, & responderet. Aliam deinde Epistolam Summi Pontificis Odo ei prælegit, in qua Papa Laudunensem objurgabat, quod Romam non venisset, ut promiserat, jubebatque, Metropolitæ suo obedientiam præstare. c. 2.

§. XIII.

Responsum Hincmari Laudunensis.

Postridie Hincmarus Laudunensis iterum citatur, jubetur respondere ad Regis querelas, & Sabbato sequenti suam defensionem producere. Hac die elapsa rursus citatur, & monetur, commenta- c. 3.

Sæculum IX. A. C. 871.

mentarios suos prius recipi non posse, quam ipse causam dixisset. Tandem cum 14. Augusti secundo Concilium intrasset, Hincmarus Remensis jussit, ut ad Regis querelas responderet. Tunc vero Laudunensis exceptionem objiciens, *omnibus Bonis meis*, inquit, *spoliatus sum; ideoque in hoc Concilio non respondebo.* Mox codicillos e sinu proferens, Textus de appellatione Episcoporum legere cœpit; sed dixit Concilium: *Primum responde ad ea, quæ tibi objiciuntur, tum si necessarium fuerit, ad S. Sedem appellare, aut libere cum Regis licentia Romam ire poteris.* Hincmarus Laudunensis: *Omnibus bonis meis spoliatus non respondebo ad ea, quæ objicitis.* Tum Concilio jubente, ut eos, qui ipsum spoliassent, nominaret, respondit: *Hoc noverunt Clerici isti*, simulque Presbyteros & Diaconos Laudunenses, qui ipsum comitabantur, digito ostendebat. Reposuit Concilium: *Quid prohibet, quin ipse dicas? ætatem habes & loquendi licentiam.* Laudunensis: *Loquantur Clerici mei.* Ergo Presbyter Fagenulfus, prius juramentum edere jussus, dixit: *Verum est, quod Episcopo nostro libertas non sit de ulla re disponendi;* cui Rex, *viros nomina mihi*, inquit, *a quibus spoliatum dicis Episcopum tuum, atque, ut leges statuunt, pœnas exigam.* Et Fagenul-

c. 4.

genulfus: *Tu es ille vir, qui Episcopum spoliasti.* Sæculum IX. A. C. 871.

Tunc vero surgens Rex ad Concilium: *A vero alienum est, quod dicit hic Frater. Vocavi Episcopum Laudunensem ad hoc Concilium datis literis more Antecessorum meorum. Postea, cum certo scirem, homines liberos in regno meo, ipsi addictos, mihi esse infideles, scripsi comiti & præfectis meis; eos ad me mitterent. Sed Episcopus homines liberos, servosque arma capere jussit, quibus præfectis meis obsisterent. Præterea delatum fuit ad me, quod ad Concilium veniret cum omnibus suis, & armatis, non obstante, quod tam ipsi quam ceteris Episcopis præcepissem, ut paucis comitantibus venirent, quo reliqui eorum Vasalli ad arcendos a patria Normannos remanerent. Itaque Hincmaro præceperam, ne plures quam decem duodecimve viros præter Clericos & famulos ad Concilium adduceret. Rescivi autem postea, ipsum viris illis, qui mihi suspecti esse merebantur, fugæ consilium & auxilia suppeditasse thesauro Ecclesiæ onustis, quos ipse propediem secuturus esset, ne ad Concilium venire cogeretur. Quod ut prohiberem misi præsidiarios bis instructos mandatis, ut si venire vellet, eum libere iter facere sinerent, ubique autem, sed procul proficiscentem observarent,*

Carolus Rex Episcopum accusat.

Sæculum IX. A. C. 871.

rent, ne illorum, qui aufugerant, vestigiis inhærere posset. Ubi in hanc urbem pervenit, diversorium, quod ipsi a suis paratum fuerat, adire primum noluit, cumque ei aliud prope Ecclesiam obtulissem, illud acceptavit, & mandata dedi, ut ejus sarcinæ custodirentur. Postea ad prius diversorium se contulit, quo etiam sarcinæ intactæ delatæ fuerunt. Quotiescunque vel ipse vel sui ad Ecclesiam procedere voluerunt, nemo meorum obstitit. En Clerici & Laici nobiles adstant, testes, quod vera loquar.

Ergo testes a Rege producti audiuntur, Fagenulfus, ceterique Clerici Laudunenses, vera esse, quæ dicerent, cognoscunt; ac Episcopus Hincmarus datis responsis sibi non constabat, atque convictus est, quod illa ipsa die jussisset Irminonem Presbyterum suum calicem ex onyche auro & gemmis vestitum cum patena, a Rege Sanctæ Virgini Laudunensi dono datum, secreto accipere, ne inter sarcinas inveniretur. Quod etiam Reliquias, a Pardulo Antecessore suo Ecclesiæ donatas, inter alias crucem auream, gemmis splendentem, olim Reginæ Irmentrudis donum, & tandem chartas & monumenta Ecclesiæ suæ secum deferret.

Cum igitur Hincmarum Laudunensem urgerent, ad crucem reddendam, quam

quam apud se gestabat, dixit velle se eam reddere, si suus Metropolita juberet. Tunc Hincmarus Remensis sagaciter prævidens, quod etiam se accusaturus esset, quasi eum spoliasset, dixit: *Non alia ratione tibi id præcipio, quam Canones statuunt.* Jussitque legi Canonem Concilii Antiocheni, in quo Bona Ecclesiæ & Bona Episcopi diserte discernuntur. Tum Rex: *Hincmarus Laudunensis accensendus est pauperibus Episcopis. Cum enim consecratus fuit, nec obolum possidebat. Avunculus ejus ipsum alebat & sustentabat ex Ecclesiæ Remensis reditibus.* Hincmarus Laudunensis respondit, agros se possedisse & servos. Sed Avunculus ejus edixit, omnia in potestate ipsius parentis & avi fuisse. Tandem Episcopus Laudunensis Crucem illam e sinu suo protractam reddidit Custodi, qui Ecclesiæ suæ thesauro præfectus erat.

Sæculum IX. A. C. 871.

Hincmari Laudunensis causa.

Deinde cum Hincmarus Remensis juberet, ut responderet ad articulos sibi objectos, dixit: *Non recipio judicium tuum. Sunt mihi causæ, cur te Judicem recusem. Appello ad S. Sedem.* Hincmarus Remensis respondit: *Non est accusationi locus nec contra me nec contra quemcunque, priusquam hic causam dixeris. Postquam lata fuerit sententia, ubi e re tua videbitur, appellare licebit.*

Tunc

Sæculum IX. A. C. 871. Tunc literæ Hadriani Papæ ad ambos Hincmaros iterum lectæ, & Episcopus Laudunensis antiquam crambem recoquens ait: *Non respondebo ad quamcunque accusationem in hoc Concilio, nec Metropolitam meum Judicem recipiam, quia ipso auctore Rex me carceri dedit.*

Tunc autem surgens de sede sua Hincmarus Remensis ad Regem, *rogo te*, inquit, *Domine! profitere, an me Auctore vel consentiente Hincmarum custodiæ tradi jusseris.* Rex Deum invocans testem negavit, id Hincmaro Remensi conscio factum, & addidit: *Quin potius, nisi Avunculi ipsius reverentia cohibitus fuissem, jam annis abhinc duobus procul a civitate Laudunensi in arctum carcerem eum misissem, cum ægerrime hominis insolentiam ferre possem. Et nisi ego temerarium e manibus meorum eripuissem, e palatio meo abstractum turpiter mutilassent, aut verberibus affecissent usque ad necem.* Hincmaro Remensi etiam Odonem Bellovacensem & Hildebaldum Suessionensem obsecrante, ut ederent, quæ de hac re scirent, coram Concilio testatum fecerunt, eum nullatenus fuisse conscium, cum Hincmarus Laudunensis custodiæ daretur. Duo Presbyteri & duo Comites, qui tunc apud Regem erant, idem affirmarunt, dicentes, ideo fuisse

fuisse missum in carcerem, quod promittere noluisset, venturum se ad proximum Concilium, & rumor serperet, eum relicta sua Ecclesia in potestatem Regis Lotharii transiturum. His auditis, visum est Concilio, Hincmarum Remensem istud a Laudunensi sibi objectum omnino diluisse, Hincmarum vero Laudunensem, calumniæ convictum, Metropolitani sui judicium non posse subterfugere. Sæculum IX. A.C. 871.

§. XIV.

Hincmarus Laudunensis damnatur.

Itaque Hincmarus Remensis, jubente Concilio, Laudunensi mandavit, ut accusationem a Rege traditam, quam habebat, manibus acciperet, & de articulo ad articulum responderet, atque illo detrectante jussit Archiepiscopus aliud Exemplar legi. Recitato primo articulo, quæsivit Archiepiscopus, an Regi præstitisset juramentum, quod ibi legebatur. Laudunensis dixit, sancta Evangelia, cum juraret, non adfuisse, & addidit; eam fidem se servasse, quam jurasset, & plura alia frivola, sexcenties Romam appellans. Tum per complures testes convincitur, quod illud juramentum edidisset, & præterea plenissime demonstratum, vera esse, quæcunque Rex & Archiepiscopus contra ipsum attulerant. Ei igitur in Concilio insolentius clami- c. 7. c. 8.

Sæculum IX. A. C. 871.

tanti Archiepiſcopus ſecundo & tertio præcepit, ut ad objecta reſponderet, atque ipſo contumaciter recuſante Archiepiſcopus jubente Concilio cujuslibet ſententiam exquiſivit.

c. 9.

Harduicus Archiepiſcopus Veſuntinus opinionem ſuam edixit in hunc modum: *Frater noſter Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis verbis ſuis & ſcriptis atque teſtibus fide dignis convictus, quod ſeditionem moverit, ſecundum Canones Depoſitione dignus judicatur, ſalvo per omnia Sacræ Sedis judicio.* Frotarius Burdegalenſis perjurii, & violatæ fidei, quam Regi juraverat, mentionem fecit. Wulfadus calumnias in Regem Romam usque delatas memoravit, cunctique Epiſcopi, poſtquam ſinguli aliquod ſpeciatim crimen in eo vituperaſſent, deponendum eſſe arbitrati ſunt. Hincmarus Remenſis, hujus Concilii Præſes, ſuam ultimus opinionem protulit, & ſententiam in Tabella conſcriptam pronunciavit, cui Epiſcopi viginti & unus præſentes, octo abſentium Epiſcoporum Legati, & octo alii Clerici ſubſcripſerunt.

p. 1654.

Scripſit Concilium Hadriano Papæ Epiſtolam Synodicam, miſitque Acta, petens, ut ea confirmaret, aut ſaltem, ſi hanc cauſam retractari vellet, id in Francia fieret, & interim Hincmarus Laudunenſis excommunicationi ſubjaceret.

Præ-

Præterea dicunt Episcopi, nolle se Hincmari Laudunensis negotiis amplius turbari, si Papa eorum Judicium nullum declaraverit. Tandem commendant Papæ Actardum Nannetensem, electum Episcopum Turonensem, cui acta hujus Concilii deferenda commiserunt. Hæc Epistola sexta Septembris anno octingentesimo septuagesimo primo data. Sæculum IX. A. C. 871.

§. XV.

Actardi Nannetensis Translatio.

Suo quoque nomine Hincmarus Remensis ad Papam dedit Epistolam, in qua statim causam Actardi tractans ad Papam dicit: *Curam ejus, ut jusseras, in me suscepi, atque a Normannis & Britonibus e Sede sua ejecto, Rege & Suffraganeis meis consentientibus, concessi, ut Monasterio Episcopali in quadam Ecclesia provinciæ meæ vacante fungeretur* (erat hæc Ecclesia Teruanensis) *sed Episcopus Titularis esse non poterat, quia quæ de Bonis Ecclesiæ Nannetensis supersunt, a nostra provincia multum distant, & Canones duarum provinciarum Episcopum esse non permittunt. Nunc vero cum postuletur a Clero populoque Ecclesiæ Metropoliticæ Turonensis, in qua baptizatus, Tonsuram accepit, & per omnes gradus usque ad Episcopatum promotus est, mittimus eum tibi, Archiepiscopum Titula-* p. 1658.

Sæculum IX. A. C. 871.

rem hujus Ecclesiæ ordinandum; (*) *ita tamen ut ipso defuncto Successor ejus a Clero populoque eligatur, & ab Episcopis ejusdem provinciæ secundum Canones ordinetur.*

Hincmarus Remensis deinde ad causam Hincmari Laudunensis transit, & postquam ejus facta vituperavit, & questus est, quod ipsum sæpissime sed frustra emendare conatus fuisset, addit; nolle, sibi quidquam commercii amplius cum illo esse, nec eum pro Suffraganeo suo habere. *Mallem*, inquit, *mihi oculum, pedem vel manum adimi, quam cum isto viro amplius in cassum jurgari. Jamque hæc mea ætas est, ut mihi cogitandum sit de pace, in qua mortem oppetere cupio.* Tandem Papæ rationem reddit de causa cujusdam Parochi suæ Diœcesis, nomine Trisingi, qui, cum incaluisset mero, virum, interimere volens, vulnere inflicto debilitaverat. Is ab Hincmaro depositus, querelas ad Papam detulerat.

p. 1663.

His non obstantibus, quibus Hincmarus in hac ad Papam Epistola Actardum commendat, ex alia Epistola exinde scripta dispicitur, quod sibi hæc translatio

Opusc. 45. *to.* 2. *p.* 741.

(*) Inde patet, Hincmarum credidisse, solius Summi Pontificis esse, Episcopos ab una Ecclesia ad aliam transferre.

latio non probaretur. Nam cuidam Episcopo se hac de re consulenti respondit; Episcopos non ideo constitui, ut honore, qui eorum Dignitatem comitatur, & reditibus fruerentur, sed ut salutem animarum curarent. Unde bonos pastores nunquam vel honorum vel divitiarum cupiditate permotos ab una civitate ad aliam transire oportere. Deinde de facto peculiari loquens ait; Actardum non debuisse deserere civitatem Nannetensem, si ibi manere, nec ad Sedem Turonensem vocari, si alius æque dignus inveniri potuisset, utramque vero Ecclesiam regere contra Canones manifeste pugnare. Sæculum IX. A. C. 871. p. 749.

Ut deinde ostenderet, quod Actardus Nanneti remanere posset, si vellet, dicit; esse civitatem, in qua Comes resideret, ubi habitarent Clerici, Laicique tam nobiles quam ignobiles. In illa Diœcesi degere agricolas atque etiam Judæos. *Nunc vero*, inquit, *cur Episcopus, nec uxore nec liberis oneratus in illa civitate sustentari non possit, in qua Comes, vir ligatus, conjugio, familiam suam alere potest, etiamsi inter paganos degat? & multo magis, quod Episcopus ille a Regis munificentia Abbatias & prædia obtineat? Cum ergo dicit, Nanneti Clericos numero sufficiente existere, qui populum suo Ministerio* p. 769. p. 756.

Sæculum IX. A. C. 871.

adjuvent, sed abesse facultates, quibus Dignitas Episcopalis fulciatur, cupiditate abstractus loquitur. Quid autem, quoniam ipsum Dei consilia latent, si inter paganos illam civitatem incolentes, aliqui ad vitam essent prædestinati, qui forte, Episcopo verbum Dei prædicante, converterentur? Saltem manere deberet, & Tributum Infidelibus pendere, quod Patriarcha Jerosolymitanus, Christiani Cordubæ, & in aliis Hispaniæ civitatibus faciunt. Ex hac Epistola cognoscimus, Hincmarum, cum Actardum commendasset, non ex proprio sensu, sed ex Regis jussu scripsisse.

§. XVI.

Epistolæ Constantinopoli ad Papam datæ.

to. 8. Conc. p. 1170.

Inter hæc Basilius Imperator & Ignatius Patriarcha Epistolas ad Hadrianum Papam, Abbate Theognosto, qui Romam revertebatur, deferente, dederunt. Patriarcha Papam consulebat de Lectoribus a Photio ordinatis, quorum maximus in omnibus locis Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjectis numerus erat, an ad ordines altiores promoveri possent.

Sup. L. LI. §. 30.

Petebat etiam, ut Papa dispensationem concederet Paulo Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophilaci, cui, a Photio in Archi-

Archiepiscopum ordinato, Papa quamcunque Dignitatem, excepto solo Sacerdotio, conferri permiserat. Rogabat ergo Ignatius, ut in Episcopatum restitueretur. Sæculum IX. A.C. 871.

Tandem petebat, ut Theodoro Metropolitæ Cariæ venia concederetur. *Ego eum ordinavi*, inquit, *& propter me adversa multa tulit. Cessit quidem persequenti se Photio, sed pœnitentia facti subiit, & ignosci sibi petiit. Legati tui ei ministerium Sacerdotii interdixerant, quod Decreto depositionis Nicolai Papæ subscripsisset. Rogamus te, ut, si fieri possit, in his tribus articulis dispenses.*

Imperator in sua Epistola eandem gratiam illis fieri petebat, (*) & significabat, solicitum se teneri de fortuna Legatorum, qui Concilio præfuerant, cum de reditu eorum nullum accepisset nuncium. Epistolis juncta erant dona, miseratque Imperator pannos pretiosos, quorum nomina sunt admodum peregrina. Patriarcha autem, Evangelium Græco latinum, accurate emendatum, Stolam auro turgentem, Casu-

(*) Ex his luculentissime probatur, Ecclesiam Constantinopolitanam, Imperatore Græcorum, & Patriarcha fatentibus, Romanæ fuisse subjectam.

Sæculum IX. A. C. 871.

lam elegantissimam, & Theriacam probatissimam.

Pontifex Imperatori respondit in hunc modum: *Redierunt tandem Legati nostri, sed sero, & exhaustis plurimis periculis, expilati, sociis, quos habebant, amissis & interfectis, omni humano auxilio destituti. Omnes Probi ingemiscunt & mirantur, ipsis solis accidisse, quod antea Sacræ Sedis Legatis sub quocunque Imperatore nunquam, teque nullatenus securitatem proficiscentibus præstitisse. Postquam Legatos a nobis instantissime poposceras, saltem exemplum Michaelis Antecessoris tui sequi debebas, qui missos ad se, cum redirent, dato præsidio munivit. Sed & aliud feci sti, quo omnia pristinæ in S. Sedem benevolentiæ signa deleviſti; nempe, te protegente, Frater noster Ignatius Episcopum apud Bulgaros consecrare ausus est. Igitur obtestamur te, ut eum a Regimine illius regionis abstinere compellas. Secus ipse pœnam Canonicam non effugiet, & illi, qui in eadem provincia Episcopi nomen assumunt, aut quicunque alius, deponentur; ut nihil dicam de excommunicatione, cui jam nunc subjacent.*

Hadrianus II. Imperatori Basilio.

Quod spectat ad tres illos articulos, in quibus, instante Ignatio, dispensari petis, ea quæ definita fuerunt, præsertim de

de ordinatis a Photio, mutare non possu- Sæculum IX.
mus, nisi partes in judicio coram nobis A. C. 871.
contenderint, & aliquod factum, quod antea ignorabamus, edoceant. Absit enim, ut quod heri affirmavimus, hodie negemus, & ab iis, quæ Nicolaus Papa vel nos decrevimus, recedamus. Sed quæ nuper in Concilio Oecumenico statuta fuere, rata maneant. Non est nobis in more positum, pro lubitu Patrum nostrorum Decreta eludere, quod apud vos non nulli Præsules solent, qui Canones Conciliorum vel Sacræ Sedis Decreta citant, ubi cuiquam alteri nocere, aut causæ suæ patrocinari cupiunt, ea vero premunt silentio, ubi ea sibi adversa & alteri parti faventia habent. Ceterum in Theognosto nulla culpa; quia nulli labori pepercit, quo ea, quæ petebatis, obtineret. Epistola hæc decima Nov. Indictione quinta, nempe anno 871. data. Et bene hic notandum, quam constanter Pontifices dispensare recusaverint, & Regulis canonicis immutabiliter adhæserint.

Responsum Papæ ad Patriarcham Ignatium datum non habemus, sed alterius Epistolæ fragmentum, ubi Papa dicit: *Scripsisti, Presbyteros & Episcopos nostros e Bulgaria ignominiose fuisse ejectos, quamvis de re ista nullam canonice sententiam pronunciaveris; quippe*

Sæculum IX. A. C. 871.

nunquam in hac causa ad judicium vocati sumus. Si dicas, nos liti occasionem dedisse, cum Presbyteris Sedi Constantinopolitanæ subjectis prohibuimus, ne munere Sacerdotali fungerentur, non negamus. Nempe tales erant, qui cum Photio communicabant, & quos hodieque non in Bulgaria modo, sed etiam in Ecclesia universa ab omnibus Sacris suspendimus. Tu quoque, cum te istud non lateret, eos in Bulgaria tolerare non debebas. Præterea ad nos delatum est, quod plura alia contra Canones moliaris, speciatim, quod non obstantibus Decretis ultimi Concilii e Laicis Diaconos subito ordinaveris. An nescis, Photii ruinam inde initium duxisse?

Sup. Lib. LI. §. 48. vit. Hadr. in fi.

His Papæ querelis illud causam dederat, quod, post Colloquium Constantinopolitanum de Bulgaris habitum, Legati Orientis & Græci illos ad ejiciendum Presbyteros Latinos & recipiendum Græcos permovissent. Bulgari itaque Grimoaldum Episcopum Romam dimittunt, qui divitiis onustus, sine Papæ licentia discedens, amplam Regis Bulgarorum Epistolam attulit. In ea Rex factum istud excusabat, judicio Legatorum, qui Concilio præfuerant. (*) Gri-

(*) Denique, in hac causa etiam, fraudibus Græ-

Grimoaldus vero dicebat, se a Bulgaris fuisse pulsum; quamvis hujus rei in Epistola nulla fieret mentio, & Presbyteri itineris socii faterentur, se nec a Græcis, nec a Bulgaris pulsos, sed a Grimoaldo fuisse deceptos. Unde gravis suspicio in eum cecidit, quod auri fulgore occæcatus Sanctum Ministerium prodidisset. Sæculum IX. A. C. 871.

§. XVII.

Bulgari Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjiciuntur.

Illa igitur tempestate factum, quod Bulgari, hortatu & donis Basilii Imperatoris deliniti, Archiepiscopum Græcum receperint, & plurimos Episcopos in regione sua ab eo ordinari passi fuerint. Permulti quoque Monachi illuc missi, qui rudes instruerent. Itaque Religio Christiana in illis partibus confirmata est, sed Ritu *Const. in Basil. n. 95. p. 210.*

Græculorum, ab ingenio suo raro divertentium, tam Rex & Bulgari, quam Romani, decepti.

Est autem Res historiæ notissima, Jurisdictionem in Illyrico peculiarem Romanis Pontificibus fuisse acquisitam diu ante, quam Episcopi Constantinopolitani tam late dominarentur. Ad omnia Græcorum & Orientalium argumenta responderunt Legati Pontificii in Colloquio Constantinopolitano. Sup. Lib. LI. N. XLVIII.

Sæculum IX. A. C. 871.

Ritu Græco, & Bulgarorum Ecclesia Jurisdictioni Patriarchæ Constantinopolitani subjecta, cui exinde adhæsit. Ceterum dubitandi non est locus, quin primus hic Bulgarorum Archiepiscopus ille fuerit, cui Petrus Siculus suam Manichæorum historiam inscripsit.

§. XVIII.

Historia Manichæorum Petri Siculi.

Petr. p. 2. 72. Sup. Lib. XLVIII. §. 25.

Petrum Siculum Basilius Imperator Tibricam seu Tephricam, principalem Manichæorum in Armenia Sedem, miserat, de captivis permutandis tractaturum. Agebatur tunc annus Basilii cum duobus filiis Constantino & Leone regnantis secundus, nempe octingentesimus septuagesimus primus, quo tempore Chrisocheris Tibricæ rerum potiebatur. Petrus autem, novem mensibus ibi versatus, omnia, quæ ad Manichæorum seu Paulicianorum Sectam pertinebant, frequentissimis colloquiis, tam cum ipsis quam cum Catholicis, apud Manichæos degentibus, studiose exploravit. Illud quoque ejus solertiam non effugit, eos in Bulgariam suæ Sectæ homines missuros, qui in illa regione Christianos perverterent, quia credebant, Neophytos facillime suis erroribus imbui posse. *Quippe*, inquit Petrus, *similia tentare solent, & lubenti animo magnos*

gnos labores atque pericula ad propagandam doctrinam suam subeunt. Sæculum IX. A. C. 871.

Quamobrem Constantinopolim reversus scripsit Manichæorum Historiam, eamque Archiepiscopo Bulgariæ dedicavit, quo ipsum ab insidiatoribus cautum redderet.

Hujus viri timorem non vanum fuisse eventus docuit; nam Manichæorum Hæresis, in Bulgaria disseminata, altas radices egit, indeque in reliquas Europæ partes, ut suo tempore videbimus, propagata est.

Historiæ auctor in libri exordio dicit, tutissimum esse, si rudes contra hos hæreticos non disputent, & ad eorum quæstiunculas non respondeant, sed fileant, & fugiant. Unde necessarium, ut istud p. 6. hominum genus novissent. *Nihil difficilius*, inquit, *quam eorum insidias evadere; quia ubique textus S. Evangelii & S. Pauli crepant & versatissimus in Scriptura sit, oportet, qui eorum fraudes detegat. Ubi colloqui incipiunt, doctrinam morum puram, & fidem Catholicæ fidei consentaneam profitentur. Docent Sanctam Trinitatem, & negantes anathematizant. Dicunt, Dominum Nostrum ex Virgine carnem sumpsisse, & anathematizant illos, qui non omnes Incarnationis proprietates confitentur. Sed ista solo ore proferunt, & in corde alia* Manichæi.

cre-

Sæculum IX. A.C. 871.

credunt. Facile eo adduci se sinunt, ut Maneti & Discipulis ejus anathema dicant, quia alios Magistros habent, Manete multo pejores. Tandem pro diversitate locorum, temporum, personarum Chamæleonti similes, quo facilius decipiant, omnes formas induunt. Si deinde habeant aliquem, qui eorum somnia auscultet, paulatim sua Mysteria aperiunt, quæ ne quidem omnibus Sectæ suæ hominibus, sed paucis tantum, qui ipsis probatissimi videntur, communicant.

Tunc Petrus Manichæorum doctrinam explicat, in sex articulos redactam. *Primo, duo ponunt principia, Deum bonum, & Deum malum. Posterior est Auctor & Dominus hujus mundi, alter autem futuri Sæculi. Quando nihil dissimulant, dicunt, hac proprie doctrina se a Romanis separari. Nam hoc nomine (*) nos designant, & se solos Christianos appellant. Nempe, inquiunt, vos in Auctorem mundi creditis; nos vero in illum, de quo Dominus in Evangelio dicit:*

(*) Cur Manichæi isti omnes alios Christianos tam Orientis quam Occidentis, etsi primitus Fides ab Oriente in Occidentem delata sit, Romanos appellant, nisi quod scirent, Christianos omnes tam in Oriente quam in Occidente Romanum Episcopum tanquam Ecclesiarum omnium visibile Caput venerari?

cit: *Nunquam audiviſtis vocem ejus, aut ſpeciem ejus vidiſtis. Secundo, Sanctam Virginem oderunt, quam ne quidem piarum feminarum numero accenſent. Dicunt, Dominum noſtrum non ex ea fuiſſe formatum, ſed corpus ſuum de Cælo attuliſſe; Mariam vero, poſtquam eum peperiſſet, alios liberos ex Joſepho in lucem edidiſſe. Tertio, Communionem Myſteriorum terribilium Corporis & Sanguinis Domini noſtri rejiciunt, & dicunt, quod Dominus in Cœna Diſcipulis ſuis dedit, non fuiſſe panem & vinum, ſed ipſis verba ſua modo Symbolico tanquam panem & vinum dediſſe. Quarto, Crucis figuram abominantur, & mille contumeliis inſequuntur. Quinto, librorum Veteris Teſtamenti nullum recipiunt; namque Prophetæ ipſis impoſtores & prædones ſunt. Sed recipiunt quatuor Evangelia, S. Pauli Epiſtolas quatuordecim, Epiſtolam S. Jacobi, S. Joannis Epiſtolas tres, unam S. Judæ, & Acta Apoſtolorum ſecundum omnia verba, qualia nos habemus. Doctoris quoque ſui Sergii aliquas Epiſtolas magni faciunt. Sed duas Epiſtolas S. Petri averſantur, & contumeliis inſectantur. Sexto, Eccleſiæ Presbyteros damnant, ob nominis umbram, quia nempe in Evangelio legitur, quod Seniores, Presbyteri, contra Dominum adſtiterint.*

Sæculum IX. A.C. 871.

Tum

Sæculum IX. A. C. 871.

Tum Petrus Siculus Historiam Manichæorum texit, initium ducens a S. Cyrillo Jerosolymitano, ut suo loco retulimus. Illa deinde narrat, quæ S. Epiphanius & Socrates Historiæ Scriptor habent, tumque historiam suam particularem orditur, quam a Regno Constantini, vel potius Constantis, Heraclii nepotis, repetit, & ad sua usque tempora deducit. In diversis Historiæ meæ locis quæcunque alicujus momenti mihi esse videbantur, ex libro Petri Siculi excerpsi; quippe unicus Scriptor hic est, qui nos, qua ratione tam veterum quam recentiorum Manichæorum res cohæreant, edocuerit. Hæc vero notatu maxime digna esse, infra videbimus.

Sup. Lib. VIII. §. 10.

Petr. p. 34.

p. 40.

Sup. Lib. XLV. §. 54 55.

Cum Chrysocheris Manichæorum in Armenia Princeps, prudentiæ & fortitudinis fama inclytus, Romanorum fines infestaret, & captivos abstraheret, Basilius Imperator sub ipsa regni auspicia exercitum in hosticum ducit, & Chrysocherim primo successu ferocem compellit, Tephricæ, quæ regni sui caput erat, mœnibus sese includere. Quia vero intra breve temporis spatium civitas illa superari non potuit, Imperator lenta obsidione fatigatus, deficiente annona militem abducere coactus est. In alterius anni expeditione Arguthum aliaque Manichæorum oppida igne vastavit, &

Const. in Basil. n. 37.

c. 40.

Con-

Constantinopolim reversus Deum oravit, ne se ex hac vita eriperet, priusquam Chrysocheris caput tribus telis perfodisset. Voti damnatur anno sequente; nam cum exercitus ejus pars in Manichæos irrupisset, edito militari clamore: *Sancta Crux vincit*, hostis profligatur & Chrysocheris ex acie fugiens interficitur. Mittitur postea occisi caput ad Imperatorem, cui nihil facilius fuit, quam illud tribus sagittis trajicere & sic voto suo satisfacere. Manichæi hoc bello debilitati quidem, sed non contriti sunt. Sæculum IX. A. C. 871. c. 41. 8. 42.

§. XIX.

Convertuntur Russi.

Sub idem tempus, nimirum, imperante Basilio, & Ignatio Sedem Constantinopolitanam tenente, Russi convertuntur, Gens ferox & impia, cujus crudelitatem Græci sub Imperatore Michaele experiri cœperant. Hos Basilius missis plurimis muneribus ex auro, argento, & serico sibi conciliatos ad fœdera ineunda invitavit; mox pace firmata, permisit, ut baptizarentur, & Archiepiscopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum reciperent. Cum ille ad Russos perveniisset, sequente miraculo fidem & auctoritatem sibi comparasse fertur. Russorum Princeps totius nationis Comitia convocaverat, sedebat ipse & Seniores, Princi- *Const. in Basil.* 96. *Sup. Lib. L.* §. 11.

Sæculum IX. A C. 871.

pi a consiliis, superstitionis a Majoribus acceptæ tenacissimi, & deliberabant, an ea relicta Religionem Christianam sequi expediret. Advocato in cœtum suum Archiepiscopo interrogant, quam doctrinam afferret. Ille ostendens librum Evangelii, aliquot miracula a JEsu Christo patrata, & etiam non nulla ex Veteri Testamento enarrat. Respondent Russi: *Nisi ejusmodi miracula vidérimus, forsan tale, quale nobis de tribus pueris in fornace retulisti, benevolos auditores non habebis.* Archiepiscopus dixit: *Quamquam non licet tentare Deum, nihilominus, si serio ad eum vultis accedere, petite, quodcunque volueritis; idque propter fidem vestram fiet, etiamsi nos tanto beneficio indigni simus.* Petunt ipsi, ut ille ipse liber, quem Archiepiscopus manu tenebat, in rogum accensum projiceretur, promittentes, credituros se, si non combureretur. Archiepiscopus levatis in Cælum oculis manibusque ait: *Domine JEsu! ostende gloriam Nominis tui populo isti.* Moxque in flammas conjicitur Evangelii Liber, cunctis per complures horas rei eventum expectantibus. Tandem extinguunt ignem, & Liber illæsus, ne quidem adustis extremis partibus aut viculis solutis extrahitur. Barbari attonitis

nitis similes adstant, & tanto prodigio excitati Baptismum petunt. Sæculum IX. A. C. 871.

§. XX.

Photius querulans.

Interea Photius exul & captivus data ad Basilium Epistola querelas effudit in hunc modum: *Audi me, Auguste, clementissime Princeps! non jam te morabor, revocando tibi in memoriam veterem nostram amicitiam, nec promissa, nec juramenta tua terrifica, nec Sacram unctionem, nec coronam tuam, nec Sacra Mysteria, quæ de manibus meis accepisti, nec adoptionem spiritualem filii tui; hæc omnia silentio prætereo, sed solum illud, quod jura communia humanitatis neminī denegant, a te spero, petoque. Omnes Græci, Barbarique vitam illis adimunt, quos morte dignos putant, & condemnant; quos vero vivere sinunt, non eos fame & sexcentis aliis cruciatibus lente morī compellunt. At ego vitam dego ipsa morte tristiorem, captivus, rebus omnibus spoliatus, propinquorum, amicorum, servulorum, & omni humano auxilio destitutus. Attamen, cum Divinus Paulus (*) vinctus traheretur, amici solatium afferre non prohibebantur, & quamvis* *Epist. 97.*

(*) En, alterum Sanctum Paulum Apostolum!

Sæculum IX. A.C. 871.

duceretur ad mortem, a quibusdam Infidelibus JEsu Christi hostibus refocillationem accipiebat. In me novum prorsus supplicii genus excogitatum; nam, quod nobis in vita charissimum, libros abstuliistis. An ideo, ne Verbum Dei perciperemus? Quin potius, si mala perpetramus, dandi nobis fuissent plures libri, & magistri etiam, a quibus erudiremur; si vero nihil mali facimus, cur affligimur? Nunquam vir Catholicus his atrociora ab Hæreticis passus est. Tum affert exemplum S. Athanasii, S. Joannis Chrysostomi, aliorumque usque ad S. Nicephorum, quem Leo Armenus persecutus fuerat. Queritur deinde, quod Ecclesiæ & Hospitia a se ædificata destruerentur; unde ipsius inimici ei salutis æternæ subsidia adimere velle viderentur, cum tam libros, e quibus doctrinam hauriret, quam peccata sua redimendi remedia subtraherent. *Tantillum solummodo vitæ*, inquit, *nobis ideo relinquitur, ut mala nostra sentire possimus. Itaque, quæcunque in morte natura nostra horret, experimur, unicum autem, quod in morte invenitur solatium, nempe malorum finis, nobis non conceditur. Hæc tibi serio pensanda, Auguste, & si tua te absolvat conscientia, panas his etiam graviores a nobis exige, si autem proprium judicium te damnet, noli expe-*

expectare, dum ad illud Tribunal deduca- Sæculum IX.
ris, ubi omnis pœnitentia ſera & inutilis A. C. 871.
eſt. Etſi Imperator ſis, cogita, te ſimul hominem eſſe, infirma carne, ſicut privatum quemque, circumdatum, & omnibus eſſe unum Dominum, unum Creatorem, unum Judicem. Non peto a te Dignitates, non gloriam, non proſperitatem, ſed, quod barbari mancipiis ſuis non denegant, ut mihi vel vitam ſaltem morte non acerbiorem, vel celerem mortem dones.

Scripſit quoque Photius Bahani Patricio in hæc verba: *Olim Romani & Græci, ne dicam, Chriſtiani, cum hoſtes ſuos infenſiſſimos torquerent, intra certos tamen limites ſæviebant. Barbari, cum reos puniunt, modum tenent, quin aliquod ferarum genus miſeris parcere legitur. Interim rerum mearum ſtatus, in quem me conjeciſti, tu, inquam, ceteris omnibus humaniſſimus, morbi mihi cauſa fuit, quocum uno abhinc menſe conflictor. Indigeo medico, ſæpe rogatus es, ut eum ad me inviſere permitteres, & tamen, ubi Humanitas? ubi Chriſtiana lenitas? rem tantillam non permiſiſti. Necdum a me ipſo impetrare poſſum, ut te barbarum, aut ferocem belluam appellem; tu ipſe perpende, qui contra me ſupplicia exquiſitiſſima & ſub ſole nova inveniſti, quod denique nomen moribus tuis conveniat, non enim te Chriſtianum, non Ro-*

ep. 114.

Photius ad Bahanem.

Sæculum IX. A. C. 871.

manum, non Græcum, non Barbarum, non crudelem belluam dicere possum. Si vero morbus me confecerit, scito, me eo clariorem de te victoriam reportaturum, & mortem mihi tua improbitate illatam, æternum sævitiæ tuæ monumentum futuram. Hæc mansuetudo, hæc patientia in ærumnis Photii Confessoris, si Diis placet, fuit.

Eadem dictio hyperbolica & acerba in pluribus aliis Photii Epistolis deprehenditur, præsertim in illa, quam amplissimam ad suæ factionis Episcopos dedit. Est hæc apologia contra objecta sibi a quoquam, cujus nomen premit silentio, quia, inquit, magis salutaria solent esse, quæ dantur monita, si nemo nominetur. Queritur, quod calumniator ille, etiam suas cogitationes scrutetur, & accuset, ipsum usque adeo jam a sana ratione destitui, ut Deum & Leges contemneret, atque Ecclesiam proderet. Nempe Photius dicebatur consilia agitare, qua ratione Papæ & Ignatio reconciliaretur. *Illud quidem verum est*, inquit, *me tot malis premi, ut non esset obstupescendi locus, si in amentiam inciderem.* Tum cunctas quas patitur ærumnas pathetice describit, & addit, amicum illum, a quo proditionis in totam Ecclesiam accusabatur, persecutorum suorum omnium atrocissimum esse, & quantacunque

ep. 174.

p. 240.

que arte benedicendi valet, eam omnem ad ruborem ab ipso excutiendum, & pœnitentiam eliciendam adhibet. *Non miror*, inquit, *me in adversis ab omnibus deseri, quamvis unamecum veritatem lædi necesse sit; sed intolerabilius est, quod dicat aliquis, me culpa mea deseri.* Postea refert, tanquam bonæ causæ argumentum & miraculum evidens, quod nemo in turbidissima tempestate, nec eximius, nec modicus, nec Episcopi magnarum vel exiguarum civitatum, nec rudes nec sapientes, nec eloquentes, nec pii, nemo denique, tempori cesserit & torrente contrario abripi se passus fuerit. Nec illud negari potest, quod non plures, quam centum illi Episcopi a Methodio & Ignatio ordinati octavæ Synodo subscripserint. Nam Photius astuta industria effecerat, ut omnes, numero plures quam trecenti, ipsius partibus adhærerent. Tandem mollius loquitur, & verbis, tenerrimum affectum sapientibus, illum, a quo offensus fuerat, demulcere conatur; deinde sermone ad Episcopos directo hortatur ad constantiam. Ultimo, eos pro Imperatore preces ad Cælum fundere jubet.

Sæculum IX. A. C. 871.

p. 255.

p. 257.

§. XXI.

Literæ Papæ in Franciam missæ.

Cum Actardus, electus Archiepiscopus

Sæculum IX. A. C. 871.

Turonensis, Acta & Epistolas Concilii Duziacensis, atque etiam Regis Caroli detulisset, Hadrianus Papa Electionem quidem ejus confirmavit, sed Sententiam, qua Hincmarus Laudunensis damnatus fuerat, non approbavit, quod ex ejus Epistolis, una ad illius Concilii Episcopos, altera ad Regem datis, dispicitur. In Epistola ad Episcopos dicit, se, ut eorum desiderio satisfaceret, Episcopum Actardum Metropolitam Cardinalem Ecclesiæ Turonensis constituisse, atque ut ejusmodi Episcoporum Translationibus auctoritatem conciliet, Antheri Papæ falsam Decretalem citat. His adjicit, Actardo in ea, quæ de Bonis Ecclesiæ Nannetensis supererent, dominium conservari, atque ipso luce fruente nec uni nec alteri Ecclesiæ alium Episcopum præfici posse; ipso autem fatis functo, Archiepiscopum Turonensem secundum Canones eligendum esse, & a Suffraganeis suis ordinandum. Præterea, si Ecclesia Nannetensis aliquando sua recuperaverit, istam conjunctionem ad tempus concessam ei nocere nullatenus posse, sed tunc postliminio Episcopum proprium ibi esse consecrandum.

Ep. 32. to. 8. Conc. p. 932.

De causa Hincmari Laudunensis dicit Papa: *Quandoquidem in Concilio clamabat, velle se causam suam coram Sacra Sede tueri, Sententiam damnationis in*

in eum ferre non debebatis; (*) *sed quoniam, salvo S. Sedis Judicio, pronunciastis, volumus, ut cum Actore legitimo Romam veniat, ubi ejus causa nobis præsentibus in Concilio examini subjiciatur. Non enim judicium ferre possumus, nisi prius causam cognoscamus, nec ægre ferre debetis, quod causa ipsius apud nos retractetur, quoniam veritas sæpius ad examen vocata clarius apparet. Prohibemus vero, ne alius in Ecclesia Laudunensi Episcopus ordinetur.* Sæculum IX. A. C. 871.

Hæc Epistola septimo Cal. Jan. Indictione quinta, nempe 26. Dec. anno octingentesimo septuagesimo primo, data.

In exordio Epistolæ Regi Carolo scriptæ, conqueritur Pontifex, quod Rex paternis suis admonitionibus non satis obsequeretur. Tunc transiens ad causam Hincmari Laudunensis ea omnia, quæ Episcopis scripserat, repetit, vultque, ut eum Rex militum præsidio custoditum Romam mittat. Illa quoque repetit, quæ de Actardo Turonensi dixerat, rogatque Regem, ut Ecclesiæ, toti Regno venerabilis, patrocinium suscipere velit, & subjungit: *Non ignoras, omnia Mona-* *Epist.* 33.

(*) Ita vero quilibet reus Judicis Ordinarii sententiam, priusquam pronunciaretur, posset eludere.

Sæculum IX. A. C. 872.

steria secundum Canones sub potestate Episcopi esse debere, atque neglecta hac regula complura Monasteria interiisse, qualia sunt Monasterium Turonense S. Medardi, ubi primo hujus Ecclesiæ Episcoporum corpora condita sunt, S. Lidorii & S. Gatiani, quale etiam est Monasterium MARTYRUM, & alia in eadem civitate complura.

Nunc S. Medardi Monasterium, est Prioratus, in Suburbio, vulgo *de la Riche* dicto, positus.

§. XXII.

Regis Caroli Epistola ad Papam data.

Rex epistola, reddente Actardo, accepta, vehementer commotus, dedit Responsoriam, quæ inter Opuscula Hincmari Remensis occurrit. Constanti animo scripta est, eamque ex calamo Hincmari fluxisse, stilus prodit. In ea Rex ad omnia, quæ Papa scripserat, ordine eodem servato respondet, & in exordio queritur, se a Papa objurgari, quod contra paternas ejus admonitiones murmuraret. *In prioribus tuis Epistolis*, inquit, *increpasti me tanquam perjurum, Tyrannum, perfidum, Bonorum Ecclesiæ Dissipatorem, etsi nullius criminis convictus sim. In ista murmurationis mu accusas, quod crimen secundum doctri-*

to.2.p.701.

nam

nam S. Scripturæ magnum est. Nihilominus vis, ut leniter patiar castigationes tuas. Ita profecto istorum criminum reum me tacite confiterer, atque non modo Regio munere, sed etiam Communione Ecclesiæ indignum. Si talia, quæ Ministerio tuo, meoque conveniant, more Antecessorum tuorum, scripseris, læto & grato animo recipiam.

Sæculum IX. A C. 872. p. 73.

Legimus in literis tuis: Volumus & Auctoritate Apostolica jubemus, ut Hincmarus Laudunensis Romam ad nos veniat, tuo munitus præsidio. Miramur, & quærimus, ex quo fonte auctor hujus Epistolæ hauserit hanc Disciplinam; Regem, cujus est, malos emendare, & punire crimina, teneri Romam mittere Reum legitime condemnatum, præsertim cum Laudunensis, antequam deponeretur, in tribus Conciliis fuerit convictus, quod talia fuerit molitus, quæ pacem Reipublicæ perturbant, & postquam depositus fuisset, in sua pervicacia perseveret. Illud quoque monere te cogimur, nos Reges Francorum, & Regibus editos, neutiquam ad hæc usque tempora pro Vicariis Episcoporum fuisse habitos, sed terræ Dominos. Nam ut S. Leo, & Synodus Romana loquuntur, Reges & Imperatores, quos Divina potentia terris præesse jussit, Episcopis permiserunt, secundum suas constitutiones negotia perficere,

Sæculum IX. A. C. 872.

re, sed Episcoporum Villici nunquam exstiterunt. (*) *Et si revolveris Annales Antecessorum tuorum, invenies, eos talia mandata, qualia a te accepimus, non perscripsisse.* Refert deinde duas S. Gregorii Epistolas, ut ostendat, quam modeste non solum ad Reges Franciæ, sed etiam ad Exarchos Italiæ scripsisset. Dicit, Auctoritatem Regiam a Deo proficisci, & illum locum Gelasii Papæ adducit de distinctione utriusque potestatis, nempe Spiritualis & Sæcularis, quod superius memoravimus.

Sup. Lib. XXX §. 37. p. 701.

Noli igitur deinceps, dicit Rex, *in Epistolis tuis, quas exarari ab aliis jubes, mandata & comminationem excommunicationis contra Scripturam & Canones adjicere; namque, si S. Leoni credimus, datum S. Petro Privilegium tunc con-*

(*) Ad hanc Epistolam Regis Caroli Eminentissimus Baronius hoc anno 871. dicit: *At quam diversa & plane contraria ab isto Carolo Calvo, qui ista dicens nec capillum habuit in capite rationis, senserit Carolus † Magnus sapientia, scientia, prudentia, pietate, & (ut uno verbo dicam) virtutibus omnibus eundem Carolum antecellens, ex ejus verbis sic accipe: In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem.... ut licet vix ferendum ab illa .... imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus.*

† 1. Dist. 19 c. 3.

constat, quando judicium S. Petri æquitate nititur; unde sequitur, privilegium non amplius constare, ubi ab ista æquitate deflectitur. Quod vero etiam Accusatorem unacum Hincmaro venire jubes, quamvis id contra omnes Canones pugnet, scias velim, si Imperator nepos meus viam tutam præstiterit, & in Regno meo pacem cum Paganis habuero, me ipsum Romam iturum, & Actorem futurum, atque tot testes omni exceptione majores producturum, ut nemini non liqueat, quam juste eum accusaverim. Tandem rogo te, ne deinceps vel mihi vel Episcopis Regni mei ejusmodi Epistolas scribas, quales accepimus, ut tam literis tuis quam Legatis honorem competentem, quod sincere cupimus, semper exhibere possimus. Sæculum IX. A. C. 872.

Hoc Responsum in Volumine missum sigillo impresso, adjecta Epistola brevissima. *p. 706.*

Episcopi Concilii Duziacensis Papæ in eundem ferme modum responderunt. *In literis tuis,* inquiunt, *occurrerunt nobis aliqua, quæ sæpius relegi jussimus, quod dubitaremus, an lecta satis perceperimus. Tum etiam Actardo Fratre nostro referente cognovimus, quod negotiorum, quibus obrueris, multitudo probibuerit, quo minus Acta integra Concilii nostri legeres, aut etiam Epistolam nostram satis caperes. Ignosce igitur, si inge-* tom. 8. Conc. p. 1539.

Sæculum IX. A. C. 872.

ingenua libertate tibi exponamus rei seriem; nempe antequam Hincmarum damnaremus, Canonem Sardicensem, ubi de Appellatione ad S. Sedem agitur, in nostro Concilio recitari jussimus. Hic in Episcoporum Epistola aliqua desiderantur, idque solummodo apparet, Episcopos voluisse demonstrare, non Romæ sed in Francia secundum Concilium Sardicense a Judicibus delegatis circa appellationem Hincmari pronunciari oportere.

§. XXIII.

Mollius Responsum Papæ.

Actardus Archiepiscopus Romam secundo profectus, his delatis Responsis, aliam Papæ ad Regem Carolum retulit Epistolam longe diversam a prioribus, quarum acerbitatem excusat, & in dilaudando Rege totus est. *Ex compluribus viris,* inquit, *virtute conspicuis, & præcipue ex Fratre nostro Actardo cognovimus, Regum nullum te meliorem in toto orbe Ecclesiarum Fautorem esse atque Patronum. Unde nullum in regno tuo inveniri Episcopum vel Monasterium, quod munificentia tua non locupletaverit; præterea cupere te ardentissime, Sedem S. Petri bonorare, Vicarium ejus & Clericos donis cumulare, & contra hostes tueri.* Et infra: *Hanc Epistolam secre-*

Ep. 34.

secretissimam habe, quam nemini nisi amicorum fidissimis communices. Fidem nostram autem interponimus, & sanctissime promittimus, si tu, nosque Imperatori nostro superstites fuerimus, nunquam alium præter te Imperatorem habituros, etiamsi alius nobis modios auro plenos offerret. Jamque nunc, si Deus disposuerit, Clerici, populus, proceresque Romani te Principem suum, Regem, Patricium, Imperatorem, atque Ecclesiæ Defensorem exoptant. (*)

Sæculum IX. A. C. 872.

Quod spectat ad Hincmarum Laudunensem Papa declarat, se non aliter quam juxta Canones de ejus Appellatione velle cognoscere, & promittit, se, postquam Hincmarus Romam venerit, hanc causam ad Judices ipsius provinciæ remissurum. Ultima est hæc Epistola Hadriani Pontificis, qui sub finem hujus anni octingen-

(*) Nempe Ludovicus II. Imperator prole masculà carebat. Quid vero causæ subest, cur silentium tam solicite imperetur? scilicet, Ludovicus Rex Germaniæ, Caroli Calvi frater natu major, qui filios habebat, Imperio propior erat; cui non solum jus Hæreditatis, sed etiam consuetudo favebat; quippe ex quo Carolus Magnus Occidentis Imperator fuerat proclamatus, hæc Dignitas semper ex Familia Carolina primogenitis, Ludovico pio, Lothario, Ludovico II. obtigerat.

Sæculum IX. A. C. 872.

genteſimi ſeptuageſimi ſecundi naturæ debitum ſolvit.

§. XXIV.

S. Athanaſius Epiſcopus Neapolitanus.

vit. auct. Peto. Caſſ.

Eodem anno ad Superos translatus eſt S. Athanaſius Epiſcopus Neapolitanus. Jam illa ætate hæc Civitas inter præcipuas in Italia habebatur ſive incolarum pietatem, ſive multitudinem Eccleſiarum & Monaſteriorum ſpectes. Officium Divinum Græce & Latine celebrabatur, & non nunquam duo erant Epiſcopi, qui cuilibet nationi in ſua lingua miniſtrabant. Athanaſius, Gregorii, illi Civitati Præfecti, frater, Epiſcopus ordinatus fuit anno octingenteſimo quinquageſimo annos tantum octodecim natus. Usque adeo nulla cura Canones obſervandi erat. Gregorio defuncto, ſucceſſit filius Sergius, levis ingenii & avaritiæ nota infamis, a moribus parentis ſui omnino alienus. Cum Epiſcopus, ejus patruus, delinquentem ſæpius reprehenderet, & documenta præberet ſalutaria, ea non tam ipſe quam uxor impatientiſſime ferens muliebri ferocitate dicebat ad maritum; *Si Dominus Civitatis Neapolitanæ videri vellet, eum non modo caſtigationes Epiſcopi repelleret, ſed etiam inviſum monitorem urbe ejice-*

re,

re, aut omnino ex vivorum numero de-turbare debere. Sæculum IX. A. C. 872.

Sergius, stimulante femina, domi suæ armatos occultat. Episcopum deinde, quasi de re magni momenti deliberandum esset, accersitum vestibus Sacerdotalibus spoliatum in arctum carcerem detrudit. Tota turbatur civitas, cuncti ad Sergii domum accurrentes petunt, ut Episcopum redderet, Græci, Latini, Presbyteri & Monachi Palatium intrant. Antonius quoque vir ætate & morum Sanctitate venerabilis, comitantibus omnibus Clericis venit, aliorum brachiis, nam propriæ vires deficiebant, innixus. Is Sergium vehementissima oratione objurgans, tam ipsi quam toti civitati perniciem comminatus est, nisi Pastorem charissimum populo restitueret. Sergius spatium temporis ad deliberandum petiit, cumque cives ter venissent, ille ter re infecta frementes repulit. Quia vero Clerici minabantur, se ad indicandum Ecclesiæ luctum Altaria ornamentis spoliaturos, ipsumque Præfectum perpetuo anathemate percussuros, elapso octiduo Episcopum reddidit, & veniam petens dolorem simulavit; sed Episcopi fratres, quos simul comprehendi jusserat, captos retinuit.

Exinde, cum cerneret, quantam lætitiam Episcopo liberato profiteretur populus,

Sæculum IX. A. C. 870.

pulus, pœnitentia eum subiit, quod dimisisset, atque exploratores distribuit, qui Episcopum custodirent, cunctosque accedentes arcerent.

Athanasius, postquam sæpius nepotem necquicquam rogasset, ut se mitius haberet, thesaurum Ecclesiæ annulo Episcopali signavit, addita Inscriptione in hæc verba: *Anathema illi, qui hanc portam me absente vel nolente effringi jusserit.* Moxque in Insulam Salvatoris, semileuca seu duodecim stadiis a civitate Neapolitana dissitam, se recepit. Misit autem Sergius ex suis, qui Episcopo, suo nomine, dicerent: *Si quietem amat, vestem monasticam induat, curam Ecclesiæ mihi relinquat, & Clericos, quos apud se habet, remittat.* Respondit Episcopus: *Sponte nunquam deseram Sponsam mihi a Deo commissam, nec illos, quos charitas impulit, ut me sequerentur. Nihil aliud a Sergio peto, quam ut me in loco tuto degere permittat, donec Deus cor ipsius convertat.*

Turbæ Neapolitanæ.

Sergius, hoc responso accepto, collectis Neapolitanorum & Saracenorum copiis, Insulam, in quam Athanasius confugerat, novem dies obsidet. Qua re percepta Ludovicus Imperator Marinum Præfectum Amalfiensem cum viginti navibus misit. Tum, fugatis Sergianis, Athanasius Episcopus Beneventum

tum ad Imperatorem deductus perhonorifice excipitur. At Sergius furore ardens, quod cassos effugisset Athanasius, thesaurum Ecclesiæ rapuit, omnesque divitias distraxit, Presbyteri, ipso jubente, fustibus cæsi, & nudi per compita raptati. Ecclesias tradidit Laicis, qui data pecunia earum Patronatum emebant. Tota civitas Neapolitana ingenti consternatione marcebat. Sæculum IX. A.C. 872.

Hoc nuncio ad Hadrianum Papam perlato, dedit ad Sergium Epistolam, alteramque ad Clerum & populum Neapolitanum, præcipiens, sub anathematis pœna, ut Episcopum suum reciperent; cumque non persuasisset, Anastasius Bibliothecarius & Cæsarius Abbas, nomine Imperatoris & Papæ Neapolim delati, anathema pronunciarunt. Interim S. Episcopum, afflictum & per diversa loca errantem, Sergii uxor implacabili ira persequens suorum quosdam Romam misit, qui S. Virum veneno tollerent. Sed ab hoc periculo Divinitus liberatus Surrentum se contulit; ubi cum die quadam Stephano Episcopo colloqueretur, amaras lacrymas fundere cœpit, & Stephano causam quærenti respondit: *En jam infelix civitas Neapolitana a Papa & a me anathemate percussa est. Si ambo moreremur, quod facile contingere posset, quanta tot incolarum calamitas! Ro-*

Sæculum IX. A. C. 872.

mam proficiscar, & Pontificem rogabo, ut civitatem ab excommunicatione liberet. Ivit ipse Romam, & Pontifex, missio quodam Episcopo, nomine Dominico, cives a censura absolvit. Exinde cum Athanasius cum Imperatore iter faceret, in Sedem suam restituendus, obiit in Sicello S. Quiritii sex millibus a Cassino distante decima quinta Julii, Indictione quinta, nempe anno octingentesimo septuagesimo secundo, postquam annis viginti duobus Ecclesiæ Neapolitanæ præfuisset, & mensibus viginti & uno persecutionem tulisset. Ecclesia eodem die, quo ad Superos abiit, ejus memoriam colit.

Mart. Rom. 15. Jul.

§. XXV.

Hadriani II. obitus. Joannes VIII. Papa.

Ann. Bert. 871. Mete. 872.

Inter hæc Ludovicus Imperator arma verterat in Adalgisum Ducem Beneventanum, qui jam anno octingentesimo septuagesimo primo Græcos adversus Imperatorem advocaverat, & populos Italiæ, qua meridiem spectat, ad defectionem impulerat. Ludovicus subjectis rebellibus victor Beneventum redit, ubi Dux se Imperatori fidelissimum simulabat. Sed ecce, cum is milites dimisisset, pessimus proditor Imperatorem in suo Palatio meridiantem opprimere aggredi-

greditur. Evasit ille in turrim, quam occupatam postquam toto triduo defendisset, tandem Episcopus Beneventanus obtinuit, ut, si jusjurandum, quod petebatur, edidisset, liber abire sineretur. Afferuntur Reliquiæ, Imperator cum Imperatrice, filia principe, omnibusque suis jurat, nunquam se acceptam injuriam ulturum, nec unquam in agros Beneventanos cum armatis venturum. Ita dimissus Ravennam se confert, quo cum Pontificem accersivisset, petiit, ut se suosque ab hoc juramento absolveret. Anno sequente octingentesimo septuagesimo secundo Imperator ad solemnia Pentecostes celebranda Romam delatus ab Hadriano Papa (ut conjicere licet, tanquam Hæres in Regno Lotharii) coronatur. Tum coram toto conventu Adalgisum proditionis accusat, quem Senatus hostem Reipublicæ declaravit. Altero anno Imperator in Beneventanos movit; sed Adalgisus, Græcorum viribus subnixus, primo impetu vinci non potuit, atque bellum usque in annum octingentesimum septuagesimum tertium protrahendum fuit.

Sæculum IX. A. C. 872.

Pace necdum secuta Hadrianus Papa mense Novembri anno octingentesimo septuagesimo secundo fatis functus est, postquam S. Sedem annis prope quinque tenuisset, jamque die Dominica de-

Sæculum IX. A. C. 873.

cima quarta Decembris Succeſſor ei datus Joannes, hujus nominis Octavus,(*) Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus, qui S. Petri Cathedram annos decem occupavit. Nunc vero Joannes olim Adalgiſi prolem e fonte luſtrali levaverat; quare Ludovicus Imperator, timens ne bellum contra Ducem Adalgiſum ſuſceptum male verteret, ex ſuis miſit, qui Papam rogarent, ut ad ſe Capuam veniret, ſeque Duci reconciliaret, quo ſpecies eſſet, Imperatorem a Papa exoratum Duci veniam conceſſiſſe.

Ann. Bert. 872.

Ann. Bert. 873.

§. XXVI.

Carlomannus oculis privatus.

Rex Carolus in Francia non ignarus, quosdam in regno ſuo rerum novarum cupidos ſpem ſuam in Carlomanno poſuiſſe, anno octingenteſimo ſeptuageſimo tertio Silvanecti, ubi ille cuſtodiebatur, convocato Conventu Libellum accuſationis obtulit, ad Anſegiſum Archiepiſcopum Senonenſem, & Hildegarium Epiſcopum Meldenſem directum, quia poſterior Carlomannum in Diaconum ordinaverat, & Anſegiſus Metropolita ipſius erat. Ad Epiſcopos provinciæ Remenſis quoque directæ erant que-

Ann. Bert. to. 9. Conc. p. 258.

(*) Hunc Platina Nonum perperam appellat.

querelæ, quia oppidum Silvanectense il- Sæculum IX.
li provinciæ subjiciebatur. Postquam A. C. 873.
omnes sententiam protulissent, Carlomannus totius Concilii Judicio a Diaconatu & omni gradu Ecclesiastico depositus Communione Laica contentus esse jubetur. Quod ubi factiosi audierunt, neutiquam spem conceptam abjecerunt, dicentes, eum jam ab ordine Ecclesiastico liberatum Regno propiorem esse & aptiorem; quin etiam conjurarunt, se eum quacunque demum via, quamprimum occasio faveret, e custodia liberaturos. Re ad Carolum Regem delata, novum judicium in causa criminum, de quibus non licebat Episcopis cognoscere, ferri jubet, quo Carlomannus ad mortem damnatus. Ut vero & pœni- *Ann. Fuld.*
tentiæ tempus concederetur, & pessi- 873.
mum propositum exequi prohiberetur, una omnium voce statutum, nocenti oculos eruendos esse.

Hæc sors fuit juvenis, quem ad Ordines suscipiendos invitum compulerant.

§. XXVII.

Concilium Duziacense secundum. Duda Femina Religiosa.

Anno sequente octingentesimo septuagesimo quarto decima tertia Junii Rex Carolus ad alterum Concilium Du-

Sæculum IX. A.C 874.

ziacense Episcopos ex diversis provinciis convocavit. Hoc Concilium prolixam Epistolam ad Episcopos Aquitaniæ ad tollendos duos abusus illa ætate frequentissimos, nempe nuptias incestas, & Bonorum Ecclesiasticorum rapinam, dedit. Erant namque, qui dicerent, licitum esse, quod S. Gregorius Anglis initio conversionis suæ indulsisset.

Sup. Lib. XXXVI. §. 38.

Greg. XII. ep. 31. Interr. 7.

Sed advertendum, S. Gregorium adjecisse; si Angli in fide fuissent confirmati, eos ad observandos propinquitatis gradus usque ad septimam generationem esse obligandos.

In eodem Concilio Decretum in causa cujusdam Monialis, nomine Dudæ, editum est. Hæc, dominandi libidine illecta, cum Humberto Presbytero, cui corporis sui copiam fecerat, contra Abbatissam suam impia moliebatur. Quippe ea impellente Humbertus datis ad viros spectabiles Epistolis contendebat, Abbatissam illius Monasterii esse deponendam, & Dudam eo fastigio dignissimam sufficiendam. Quin imo insolenti audacia querelas etiam ad Regios Judices detulit. Sed pessime vertit dolus; nam apud illos mendacii, perjurii, læsæ fidei, & calumniæ contra Abbatissam, cui fidem juraverat, & contra Præpositum suum convictus est. Inter hæc, cum intumescens Dudæ uterus lasciviam pro-

¶. 265.

proderet, interrogata respondit, Humbertum flagitii complicem esse. Ille rem negare, & petere, ut ad edendum jusjurandum admitteretur, quo objectum crimen dilueret, atque etiam juramentum aliorum Presbyterorum innocentiæ suæ testium pro more illius ætatis reciperetur. Duæ aliæ quoque Moniales Berta & Erpreda criminis, a Duda perpetrati, conscia erant, prout proprio ore confitebantur. Sæculum IX. A.C. 874.

Concilium declarat, Humberti juramentum, quo se ab objecta stupri consuetudine purgare vellet, recipi non debere, cum jam perjurii & calumniæ reus haberetur. Quia vero secundum Canones & Leges delicta in ipsis locis ubi admissa sunt examinari, & sententiam ferri oportet, decernitur, ut Delegati a Concilio unacum Regis Mandatariis ad memoratum Monasterium se conferant. n. 3.

Duda ad quæstionem vocetur, quo tempore & quo loco vitiata fuerit, eique atrocitas sceleris, tam illius, quod confitetur, quam calumniæ, ante oculos ponatur. Duæ Moniales complices, separatæ interrogentur, & exploretur an prius a se dicta constanter affirment. Humbertus Presbyter quoque ad examen vocetur, qui si confiteatur crimen, in conspectum Congregationis cum Duda & complicibus adducatur, omnesque ite- Duda lapsa. n. 4.

Sæculum IX. A. C. 874.

rum confiteantur. Si vero Humbertus factum neget, in conſpectum Delegatorum a Concilio, Regis Mandatariorum, Presbyterorum & Clericorum illius Monaſterii, Abbatiſſæ & totius Congregationis adducatur, Duda etiam & conſciæ adeſſe jubeantur, ipſumque additis cunctis temporis & loci adjunctis, prout cuilibet earum cognita fuerint, accuſent. Si confiteatur delictum, minor pœnitentia injungatur, ſed ſi pervicaciter neget, prius Duda & conſciæ jurent, quod vera eloqui velint, deinde teſtimonium ferant contra Humbertum, qui ita per tres teſtes convictus, Concilii nomine, a Delegatis deponatur, & in exilium perpetuum in Provinciam remotam a Regis Mandatariis relegetur, in Monaſterio ad agendam pœnitentiam includatur, & Communionem Laicam ſolum accipiat.

Dudæ autem prælegantur Documenta Patrum, & Regula S. Benedicti, unde peccati ſui enormitatem intelligat. Tum pœnitentia ei injungatur, & primo, Abbatiſſa & Sororibus, ſed nullo viro præſentibus, ab humeris usque ad cingulum nuda virgis cædatur, tribus deinde annis a Congregatione excluſa Oratorium non intret, ſecundum Regulæ caput 25. Tribus annis ſequentibus oret cum Sororibus, non in choro, ſed extra portam in

in loco sibi assignato, ubi ab omnibus conspiciatur. Anno septimo ad oblationem procedat, sed omnium ultima. Anno septimo exacto Communionem Corporis & Sanguinis Domini Nostri accipiat, si pœnitentiam rite impleverit. Toto reliquo vitæ tempore virtuti humilitatis & temperantiæ studeat. Abbatissa autem secundum Regulam caveat, ne pœnitentem nimio rigore contra discretionem opprimat. Sæculum IX. A.C. 874. c. 64.

Quod duæ Monachæ consciæ Berta & Erpreda crimen alterius sibi cognitum non revelaverint, cum ad silendum more Confessariorum nullatenus tenerentur, virgis, sicut Duda, moderate castigentur, & pœnitentiæ trienni, pro delicti sui modo, subdantur. Hoc Decretum atque etiam Epistolam Synodalem Hincmari opus esse, conjectura est; id enim Stili prolixitas & multitudo Citationum indicant. n. 8.

§. XXVIII.

Hincmari Statuta Synodica.

Eodem anno Hincmarus Remensis, in Synodo mense Julio celebrata, Parochis suæ Diœcesis quinque articulos sequentes tradidit: *Presbyteri nostræ Diœcesis dicuntur, suas Parochias negligere & Præbendam in Monasterio Montisfalconis accipere, atque Canonici ejusdem* Hincm. to. 1. p. 732.

Sæculum IX. A. C. 874.

dem Monasterii Parochias rurales regendas suscipere.

Præbenda dicebatur pensio seu distributio rerum naturalium, quam singuli Canonici ad se sustentandum accipiebant; unde postea hæc vox ad indicandum Canonici munus adhibita est. Hincmarus refert deinde Canones, quibus transitus ab una Ecclesia ad aliam, & multo magis possessio duorum Beneficiorum Clericis interdicitur. *Volunt isti*, inquit, *securitate in Monasteriis, & simul Decimis frui; sed simul Officiis Parochi & Canonici defungi non possunt. Si nocte baptizandus est infans in mortis periculo constitutus, aut Viaticum ad ægrotum deferendum, non licet Canonico de Monasterio egredi, & ad agros pergere; unde si Presbyter propter aliquam corporis infirmitatem, aut peccati occulti reatum, in Monasterium se recipere voluerit, datis literis Parochiæ suæ Titulo renunciet; secus, in Parochia remaneat.* Monasteria Canonicorum, (*) quemadmodum etiam Monachorum illa ætate adhucdum clausa erant, atque velut Asyla contra illorum temporum latrocinia habebantur.

to. 8. Conc. p. 587. c. 1.

c. 2. Tum Hincmarus prosequitur: *Sæpe vos monui de Matricullariis, qua ratione eos*

(*) Nempe Canonicorum Cathedralium.

Sæculum IX. A. C. 874.

eos recipere, iisque Decimarum partem tribuere debeatis. Hi Matriculariі erant pauperes in Commentario Ecclesiæ inscripti; quod ad Regulam S. Chrodegangi annotavimus. Rursus Hincmarus: *Prohibui vobis, pro eo, quod quis Matriculæ Ecclesiasticæ inseratur, nec munus, nec obsequium, nec pretium sive in domo sive extra domum accipere. Hoc iterum vobis inculco; nam istud, quid est aliud, quam eleemosynam vendere? Decerno autem, ut Presbyter, qui hujus avaritiæ reus convictus fuerit, deponatur, & nec cum pauperibus decimarum partem, quam Matriculariі habent, accipiat.*

Sup. Lib. XLII. §. 39.

Præterea Hincmarus Ecclesiæ Legem, ne quis Clericus inter feminas habitet, aut colloquatur, renovat. Dicit: *Non movebo quæstionem, an feminis stuprum obtuleritis, sed puniam vos, si plusquam Clericum deceat, familiariter cum iis egeritis. Vel omnium feminarum alloquio, vel Ministerio Sacerdotali renunciate. Delatum est ad me, quod aliqui ex vobis, Ecclesiarum suarum cura abjecta, emant Allodia,* (id est fundos proprios) *quæ excolunt, & in iis ædes extruunt, ubi feminæ habitant. Nec Bona illa Ecclesiæ acquisita putent, quod Canones præcipiunt, sed ea propinquis suis aut aliis tribuant. Scitote, illos secundum*

Sæculum IX. A. C. 874.

cundum legum rigorem pœnas mihi daturos, si quos invenero, tantos abusus emendare nolentes. Nempe Presbyteri, cum parcissime eleemosynam darent, & hospitalitatem non colerent ex reditibus Ecclesiæ sibi Bona immobilia comparabant. Tandem prohibet, ne datis muneribus Patronos solicitent ad concedendum sibi Parochias vacantes, quas deinde de Discipulis suis conferant. *Non ignoratis*, inquit, *nullum Fidelem in nostra Diœcesi pati velle, ut Ecclesia sua Presbyteri Ministerio careat, & Presbyterum sine Ordinatione Episcopi ministrare non posse. At ego nullum Clericum mihi oblatum ordinabo, nisi dignum judicavero; unde culpa in vos recidit, quod Patroni bonos Clericos non deligant.* Ex hoc loco dispicimus, Hincmarum nullum Clericum nisi aliquo Titulo vacante ordinasse.

§. XXIX.

Concilium Ravennatense.

Rub. lib. 5. p. 243. to. 9. Conc. p. 1135

Eodem anno octingentesimo septuagesimo quarto Joannes VIII. Papa, Ravennam delatus, convocato septuaginta Episcoporum Concilio, dissidium inter Ursum Ducem Venetorum & Petrum Patriarcham Gradensem ortum composuit. Cum enim, Senatore Episcopo Torcellensi vita functo Dominicus Abbas

bas Monasterii Altinensis ei successor electus fuisset, ipsum Petrus Patriarcha ordinare recusavit, quod Dominicus quondam se ipsum eviravisset. At Duce Venetorum vehementer urgente, ut nullus alius quam Dominicus ad Episcopatum promoveretur, Patriarcha perterritus profectione Romam susceptа Pontificem rogavit, ut hanc causam examini subjiceret, & definiret. Deinde cum Papa Ravennam venit, quo etiam Hendelmarus Patriarcha Aquilejensis cum ceteris illius provinciæ Episcopis se contulit. Tandem consensere omnes, ut Dominicus reditibus Ecclesiæ Torcellensis frueretur. Sæculum IX. A. C. 875.

§. XXX.

Ludovici II. Obitus. Carolus Calvus Imperator.

Ludovicus II. Imperator, anno sequente, die ultima Augusti vita functus est, postquam ab obitu parentis sui annis ferme viginti imperasset, & Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii sepultus. Quo nuncio accepto patruus ejus Rex Carolus Duziaco ex Arduenna profectus maxima qua potuit celeritate in Italiam contendit. Tum decima septima Decembris Romam, quo a Papa invitabatur, perveniens, perhonorifice in Ecclesia S. Petri excipitur, atque in Festo Nativita- *Ann. Bert. Fuld. p. 875.* *Metens. 878.*

Sæculum IX. A. C. 875.

tivitatis Domini Imperator coronatur.(*) Carolus S. Petro magna dona obtulit, & præterea etiam Papæ, Senatui populoque Romano ingentia dediſſe dicitur.

Met. Fuld.

Inter hæc Ludovicus Rex Germaniæ, alter defuncti Imperatoris patruus, qui ſibi, utique primogenito, plus juris quam Carolo in Nepotis hæreditatem competere aſſerebat, parato exercitu, ut Carolum ab Italia abſtraheret, in Franciam irrupit & usque Attiniacum progreſſus ibidem Feſta Domini Natalitia celebravit. Fama adventum ejus prævertente, antequam in Franciam perveniſſet, cum Epiſcopi provinciæ Remenſis Hincmarum Archiepiſcopum ſuum conſuluiſſent, quid ſibi in iſta rerum viciſſitudine faciendum eſſet, nam multi ex Optimatibus dicebant, ſe a Carolo deſtitutos, a fide ei jurata abſolvi, reſpondit Hincmarus, data ampla Epiſtola, in qua Patrum auctoritatem ſæpiſſime adducit, & Suffraganeis ſuis ſuadet, ut Carolo fidem ſervent, Ludovicum vero a ſua

Opuſc. 9. to. 2. p. 157. n. 37 p. 176. n. 42. n. 36.

(*) Cur hic Carolus Calvus natu minor Ludovico Regi Germaniæ natu majori prælatus ſit, nulla, niſi ratio Status, reddi poteſt. Ceterum hic primo paſſi injuriam Germani, eam ſequentibus Sæculis alta mente repoſitam habuerunt.

a sua Communione non excludant, sed officii sui admoneant, quo pacta cum fratre suo inita servare (*) teneretur. Sæculum IX. A. C. 876.

Lex Ludovicus in regnum suum ultra Rhenum mense Januario anno sequente octingentesimo septuagesimo sexto reversus est. Carolus vero Imperator cum Roma discessisset quinta ejusdem mensis Ticinum venit, ubi convocatis Comitiis Bosonem Richildis uxoris suæ fratrem Ducem Longobardiæ, Corona Ducali, & Titulo Vicarii Cæsarei ornatum, constituit. Hæc Comitia numero Conciliorum accensentur, pervenitque ad nos Decretum nomine Episcoporum ceterorumque Optimatum ex Regno Italiæ editum, in quo dicunt sermone ad Carolum directo: *Cum Divina Bonitas per intercessionem SS. Petri & Pauli, & per Ministerium Joannis Papæ ipsorum Vicarii, te ad utilitatem Ecclesiæ & nostrum omnium vocaverit, atque in thronum Cæsareum evexerit, te unanimi voce eligimus Dominum nostrum & Defensorem, cui lætantes nos submittimus,* *to. 9. Conc. p. 283.*

(*) Nullibi occurrunt hæc pacta. Nec est verisimile, Ludovicum de jure suo & Liberorum suorum cessisse. Repugnant etiam ea, quæ tam ipse quam ipsius posteri ad obtinendum Imperium moliti sunt.

Sæculum IX. A. C. 876.

timus, & promittimus, omnia, quæcunque Ecclesiæ & Saluti nostræ proficua imperaveris, esse facturos. Huic Decreto subscripserunt Episcopi ex Hetruria, & Longobardia septendecim, quorum primus est Anspertus Archiepiscopus Mediolanensis. Tum visitur subscriptio unius Abbatis, Ducis Bosonis, & decem Comitum. In eodem Concilio Canones quindecim conditi, seu articuli ad Disciplinam spectantes, quibus præcipitur, ut Sæculares viros Ecclesiasticos congruo cultu venerentur, Bona Ecclesiarum tueantur, atque concordiam in-
c. 7. ter Episcopos & Comites foveant. Laici jubentur in diebus Festis Officio Divino sive in Civitate sive ruri interesse. In Domibus non liceat sine Episcopi con-
c. 8. sensu Missas celebrare. Episcopi cum suis Clericis in Clausstro maneant. Antiqui Canones, ne quis Clericus venetur, aut armatus incedat, renovantur.

§. XXXI.

Formosus damnatur.

Joa. ep. 319. Anno octingentesimo septuagesimo sexto mense Februario Papa datis ad Carolum Imperatorem literis contra Gregorium Ecclesiæ Romanæ Nomenclatorem & Georgium ejus generum querelas movit. Erat vero Nomenclatoris Officium, illos, quos Papa mensæ suæ adhibere

hibere volebat, advocare, & illos exci- Sæculum IX.
pere, qui ad Papæ alloquium admitti A. C. 876.
petebant. Gregorius filius fuit Theophilacti, qui olim idem officium obtinuerat. Cum ergo ad Papæ notitiam perveniſſet, quod Gregorius & ipſius gener contra ſe & Imperatorem conjuraſſent, libello accuſationis ad Imperatorem miſſo, eos ultima die Martii citari juſſit, & diem, qua ad dicendam cauſam venirent, præſtituit. Illi modeſte quidem reſponderunt, promittentes, ſe Papæ obtemperaturos; ſed moras deinde nexuerunt, & valetudinem ſimularunt, quod ſperarent, Papam cum amicis ſuis hoc temporis ſpatio interfici, aut Saracenis viam in Urbem aperiri poſſe. Cum vero viderent, Papam provide ſibi cavere, & Judicii diem imminere, communicarunt conſilia cum Formoſo Epiſcopo Portuenſi, Stephano Secundicerio, Sergio Magiſtro militum, & Conſtantina Nomenclatoris filia, a Papa necdum quidem citatis, ſed perpetuis Imperatoris inimicis, qui acriter ejus electioni adverſati fuerant.

Hi omnes noctis beneficio uſi Roma exceſſerunt per S. Pancratii portam (nam claves doloſe ad fugam præparatas habebant) eamque egreſſi reliquerunt apertam, etſi ſcirent, Urbem circumquaque a Saracenis obſideri. Cunctos quo-

Sæculum IX. A. C. 876.

que Ecclesiæ thesauros abstulerant. Cum autem Papa ad eorum domos misisset duos Episcopos, respondent famuli, nescire se, quo se Domini sui contulissent. Ergo Judicium in aliam diem differtur, & postquam eos Papa iterum canonice citari jussisset, congregat Synodum suam in Ecclesia S. Dominæ Nostræ ad Martyres, quæ hodie Rotunda dicitur, ibique servata Judiciorum forma sequentem Sententiam contra Formosum pronunciat.

Sup. Lib. L. §. 54.

Formosus Episcopus Portuensis ab Antecessore nostro Nicolao beatæ memoriæ in Bulgariam Legatus, Regem Neophytum suis fraudibus deceptum, terribilibus Sacramentis obstrinxit, ne unquam alium Episcopum, ipso superstite, a Sacra Sede susciperet, & ipse vicissim promisit, jurans, quantocius ad hunc Regem se rediturum; unde a nobis licentiam, literas & necessaria itineri subsidia accepit. Dudum per ambitionem a minori Ecclesia ad majorem (videlicet Sedem Apostolicam) *prosilire conatus est. Nunc vero sine nostra licentia propriam Ecclesiam deseruit, ab Urbe discessit, & contra salutem Reipublicæ & dilecti filii nostri Caroli, quem elegimus & consecravimus Imperatorem, cum fautoribus suis conspiravit. Quare, nisi intra decem dies, nempe vigesima nona Aprilis hac Indictione*

ne nona venerit & se purgaverit, vo- Sæculum IX.
lumus, ut omni Communione Ecclesiasti- A. C. 876.
ca privetur. An istud vos quoque vultis? Omnes responderunt: *Volumus. Et, si intra dies quindecim, proxima die quarta Maji, in judicium non venerit, eum ab omni Ministerio Sacerdotali dejectum pronunciamus. An & vos pronunciatis?* Omnes iterum: *Pronunciamus. Et, si intra dies viginti, nempe nona Maji, non veniat, aut si turbas in Ecclesia excitet, & contra hanc nostram Sententiam reclamare voluerit, sine ulla absolutionis spe anathema sit!*

Hic prudentem Lectorem de criminibus, quibus Formosus in ista sententia titulo contumaciæ lata accusatur, judicium suum suspendere oportet; nam, Formosus
quæ sequentur, ostendent, quod pro E- Episcopus.
piscopo virtutis & pietatis studiosissimo habitus fuerit; estque opinioni locus, crimen ejus maximum fuisse, quod electio Caroli Calvi in Imperatorem ipsi non probaretur.

Papa similem sententiam pronunciavit in Gregorium Nomenclatorem, quod annis prope octo suis perjuriis, dolis, avaritia, rapinis Ecclesiam dehonestasset, quod Summum Pontificatum ambiisset, quod in Carolum Imperatorem & in Papam sæpe & graviter deliquisset, quæ capita publice recitata, quod datam fi-

Sæculum IX. A. C. 876.

dem fregiſſet, venturum ſe, & quæ de Eccleſiis aliisve privatis rapuiſſet redditurum, quod Roma fugiſſet, ut Judicium evitaret, & etiamnum Reipublicæ atque Imperatori perniciem moliretur. Eadem ſententia involvebantur Stephanus Secundicerius, Gregorii frater, accuſatus, quod complures Eccleſias ſpoliaſſet & expilaſſet, Georgius Gregorii gener, cui adulteria & homicidia & præcipue, quod Theſaurum Palatii Lateranenſis furatus eſſet, objiciebantur, Sergius Magiſter militum, & Conſtantina Gregorii filia, diverſorum criminum poſtulati. Unde dignoſcitur, quam corrupta tunc fuerit Roma, & quam impune vitia in Pontificum etiam familiis regnaverint; nam Georgius olim Benedicti Papæ neptem uxorem habuerat, quam tetro facinore ſuſtuliſſe dicebatur; Sergius vero Nicolai Papæ Neptem duxerat, & utraque maritum locupletaverat. In hos accuſatos omnes, niſi objecta diluiſſent intra decem dies, excommunicatio, & poſt dies quindecim anathema perpetuum intorquebatur.

§. XXXII.

Concilium Pontigonenſe.

Carolus Imperator in Franciam redux Concilium Pontigone, menſe Junio, Indictione nona, nempe anno eodem o-

ctingen-

ctingenteſimo ſeptuageſimo ſexto celebrari curavit. Aderant duo Pontificis Legati, Joannes Epiſcopus Tuſcanenſis(*) & Joannes Epiſcopus Aretinus. Tum Epiſcopi Franciæ quinquaginta, quibus præerant Archiepiſcopi ſeptem, Hincmarus Remenſis, Anſegiſus Senonenſis, Aurelianus Lugdunenſis, Frotarius Burdegalenſis, Ottramus Viennenſis, Joannes Rotomagenſis, Bermundus Embrodunenſis. Remigio Archiepiſcopo Lugdunenſi anno forſan octingenteſimo ſeptuageſimo quarto fatis functo, ſucceſſerat Aurelianus, in illa provincia nobilibus parentibus natus. Is adhuc adoleſcens Clericis adſcriptus, & deinde Archidiaconus Auguſtodunenſis Abbatiam Athanacenſem in Beneficium, eo prope modo, quo hodie Commendæ conferuntur, accepit. Erat tunc illud Monaſterium deſertum, quod ut reſtitueret, Aurelianus Monachos e Bonavalle Diœceſis Carnutenſis advocavit. Alterum quoque Monaſterium in Territorio Bugienſi, & loco, qui tunc *Saxiac*, hodie *Seſſieu* dicitur, fundavit. Talis erat Archiepiſcopus Aurelianus. Ottramus Archiepiſcopus Viennenſis S. Adoni ſucceſſe-

Sæculum IX. A.C. 876.

tom. 9. Conc. p. 281.

Mabill. act. SS. Ben. to. 2. p. 490.

(*) Hoc nomen civitatis haud dubie deſtructæ hodie non amplius occurrit, ſed dicitur *Leandro*. Geogr.

Sæculum IX. A. C. 876.

cesserat, anno superiore octingentesimo septuagesimo quinto, ætatis suæ septuagesimo sexto, postquam annis sexdecim illam Sedem tenuisset, defuncto, cujus memoriam ipso obitus die decima sexta Decembris Ecclesia colit.

Mabill. eod. to. 6. p. 271. Mart. Rom. 16. Dec.

Præter Martyrologium suum scripsit etiam Chronicum, quod a creatione mundi usque ad Lotharii Imperatoris & filiorum ejus tempora perduxit. Illud deinde quidam alius usque ad annum octingentesimum septuagesimum nonum continuavit.

Ann. Bert. 876.

Cum prima Sessio Concilii Pontigonensis vigesima prima Junii celebraretur, Episcopis omnibusque Clericis veste Ecclesiastica indutis, Ecclesia aulæis strata, Libro Evangeliorum super pulpitum in medio Concilii ante Sedem Cæsaream posito, intrat Imperator more Francorum vestitus & multo auro resplendens. Scimus, qualis habitus patrius Francorum fuerit, ex descriptione Eginhardi, & luculentius ex Bibliis manuscriptis ex Tabulario Ecclesiæ Metensis productis, ubi Carolus Calvus in solio suo sedens, utrinque uno Comite, & compluribus viris Ecclesiasticis in conspectu ejus stantibus exhibetur. In hac imagine miniati operis visitur Carolus Imperator longa tunica, cultu Romanorum, vestitus; at duo Comites in amictu Francico

vit. Car. M. c. 7. n. 28.

to. 2. Conc. p. 1276.

cico, & viri Eccleſiaſtici Caſula ornati, quaſi ad altare procederent, conſpiciuntur. Imperatorem in Concilium ingredientem duo Sacræ Sedis Legati comitabantur, & poſtquam Cantores Antiphonam, *Exaudi nos Domine!* quæ hodieque, priusquam Synodis initium detur, recitari ſolet, abſolviſſent, Joannes Episcopus Tuſcanenſis orationem pronunciavit, & conſedit Imperator. Sæculum IX. A. C. 876.

§. XXXIII.

Archiepiſcopi Senonenſis Primatus.

Tunc ergo Joannes Epiſcopus, Legatorum præcipuus, prælegit Papæ Epiſtolas, atque inter alias ſecunda Januarii hoc anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto datam, qua Anſegiſum, Archiepiscopum Senonenſem, Galliarum & Germaniæ Primatem, tanquam Papæ in illis provinciis Vicarium ſive ad convocanda Concilia, ſive ad alia negotia Eccleſiaſtica pertractanda conſtituebat, præcipiens etiam, ut Sacræ Sedis Decreta ipſe Epiſcopis ſignificaret, ad Papam deinde referret, an illis Decretis omnes obedientiam præſtitiſſent, ipſumque in Cauſis majoribus conſuleret. Epiſcopis petentibus, ut ſibi literas ad ſe directas inſpicere liceret, non permiſit Imperator, volens ut nihilominus reſponderent. Illi dixerunt; obtemperaturos ſe Papæ *Joan. Ep.* 313.

Sæculum IX. A. C. 876.

præceptis, salvo Metropolitarum jure, secundum Canones, & Sacræ Sedis Decreta iis consentientia.

Tum, quamvis Imperator & Legati instarent, ut Archiepiscopi simpliciter edicerent, an agnoscerent Ansegisi Primatum, aliud responsum exprimere non potuerunt.

Ann. Bert. Solus Frotarius Archiepiscopus ea, quæ Imperatori arriderent, locutus est. Unde omnibus Principi assentari videbatur, quo sibi ad majorem Sedem viam sterneret; nam Frotarius ab Ecclesia Burdegalensi ad Pictaviensem transferat, & adhuc dum Bituricensem sperabat.

Imperator offensus dixit; Papam sibi præcepisse, ut vices ipsius in hac Synodo obiret; hinc se accepta mandata effectui dare velle. Itaque Epistolam Papæ, ut erat clausa, Carolus & duo Legati Ansegiso tradunt. Mox sedem plicatilem ante omnes Episcopos regni sui transalpini juxta sedem Joannis Tusculanensis ad dexteram Imperatoris sedentis collocari, atque Ansegisum, omnibus Episcopis ipsum Ordinationis tempore præcedentibus præpositum, in ea acquiescere jubet. Repugnavit Hincmarus Remensis, coram toto Concilio edicens, hæc molimina Canonibus adversari. Sed Imperator in sententia sua persistens,

Episco-

Episcopis ne quidem concessit, ut hujus Epistolæ Papalis exemplar sibi describerent. Sæculum IX. A. C. 876.

Habemus Hincmari Tractatum ad Episcopos directum, in quo amplissime argumenta deducit, quibus permotus, primatum Ansegisi non recipiat. Fundamentum ponit Canones Nicenos, nempe sextum, in quo antiqua omnium Ecclesiarum privilegia confirmantur, & quartum, in quo statuitur, omnia, quæ in qualibet provincia agerentur, auctoritate Metropolitæ confirmari debere. Canones Nicenos suffulcit testimonio S. Leonis, aliorumque Pontificum. *Illud quidem verum est*, ait, *quod Papa in quibusdam remotis provinciis, Jurisdictioni suæ subjectis, Vicarios Metropolitis præfecit* (hic ei de Macedonia & ceteris Illyrici Occidentalis partibus sermo est) *sed tamen*, addit, *etiam tunc jura sua Metropolitis salva constiterunt. Nec illud negari potest, a Pontificibus non nunquam Vicarios in Galliis constitutos, sed tempore præfixo & ad causas particulares, puta, ad Simoniam comprimendam, ad prohibendas Ordinationes illicitas, ad Disciplinam restaurandam, aut ad convertendos Infideles; qualia olim S. Bonifacius mandata habuit. At, rebus compositis, Ecclesiæ jura pristina retinuerunt.* In hoc loco Hincmarus extol- n. 20. 30. n. 22.

Sæculum IX A. C. 876.

extollit privilegium, quod ipse a Benedicto Papa, Ebbone damnato, obtinuerat, & solerter in rem suam notat, quod Vicariatus Drogoni Episcopo Metensi a Sergio Papa, Lothario Rege superstite collatus, effectu caruerit. In epilogo dicit, etiamsi duo tresve assentatores, privilegium, de quo nunc agitur, suscipererent, majorem tamen adversantium numerum vincere oportere, nec Imperatori potestatem esse legitimam, qua negotia Ecclesiastica definiret.

n. 31. *Sup. Lib. XLVIII. f.* 21. §. 33. 34

§. XXXIV.

Acta in Concilio Pontigonensi.

In secunda Sessione Concilii Pontigonensis die vigesima secunda Junii anno octingentesimo septuagesimo sexto habita, lecta sunt Acta Concilii Ticinensis ad Electionem Imperatoris, & Articulos Ticini editos confirmandos. Illa igitur Acta, jubente Imperatore, Episcopi & Optimates Franciæ, Burgundiæ, Aquitaniæ, Septimaniæ, Neustriæ & Provinciæ rata habuerunt.

To. 9. *Conc. p.* 284.

Sessio tertia die tertia Julii, Imperatore non præsente, celebrata. In ea de Presbyteris diversarum provinciarum, qui se ad Legatos Sacræ Sedis convertebant, acriter disceptatum. (*) Die altera

(*) Invidiosa res est appellatio, quæ Episcopos

tera habita Sessio quarta, Imperatore præsente. In ea Legatos Fratris sui Ludovici, Guillebertum Archiepiscopum Colonienſem & duos Comites in conſpectum admiſit, qui partem Regni a Ludovico Imperatore defuncto poſſeſſi, nomine Domini ſui, jure Hæreditatis, & ex jurejurando, quo ſe invicem Fratres Regii obſtrinxiſſent, poſcebant. Tum Joannes Epiſcopus Tuſcanenſis Joannis Papæ Epiſtolam legit, ad Epiſcopos in Regno Ludovici directos, atque deſcriptum exemplar Guilleberto Archiepiſcopo Epiſcopis reddendum tradidit. In hac Epiſtola Ludovicus acerbe increpatur, quod cum exercitu in regnum Caroli Imperatoris fratris ſui, ipſo abſente, irrupiſſet, etſi Papa ſe ipſum inter fratres pacis conciliatorem obtuliſſet. Multo vehementius Papa objurgat Epiſcopos, quod Ludovico Regi non obſtiterint, atque in hac cauſa adducit, quod dicit Sanctus Paulus, *Non eſt nobis lucta adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates*, & complures alios Scripturæ Textus in ſenſum alienum

Sæculum IX. A. C. 876.

Ep. 315.

Eph. 6. 12.

copos, Judices nempe ordinarios, vel imperite vel perverſe ſententiam pronunciaſſe præſumit; unde, licet hocce remedium non nunquam ſit neceſſarium, raro tamen concedendum videtur.

Sæculum IX. A. C. 876.

lienum detortos. In peroratione dicit, Episcoporum esse, suo hortatu Ludovicum Regem ab iniqua molitione abstrahere, nisi deponi, excommunicari, & præcisa omni spe absolutionis anathematizari velint. *Quicunque enim*, inquit, *cum Legatis nostris in locum, quem ipsi indicaverint, ad componendas lites hoc anno inter duos Fratres Reges exortas non venerit, cujuscunque conditionis fuerit, sciat, sibi nullam veniæ spem supereſſe.*

ep. 316. Altera deinde Epistola lecta, ad Comites in regno Ludovici existentes data, in qua Regi eadem exprobrabantur, & eædem comminationes repetebantur in Proceres, nisi ad Collationem a Lega-
317. tis indicatam venirent. Lecta quoque est Epistola ad Episcopos & Comites in Regno Caroli Imperatoris, qui Carolo, cum armatus veniſſet Ludovicus, fidem servaverant, & iterum alia ad illos, qui
318. a Carolo defecerant. Illi laudantur, illi vituperantur, omnes Legatis obedire jubentur.

Decima Julii, quinta Sessio hujus Concilii habita, ad quam duo novi Legati Pontificis, Joannes ejus Nepos & Apocrisiarius, Episcopus Gabiorum, & Petrus Episcopus Fori Sempronii advenere, Epistolas ad Imperatorem & Imperatricem datas, & Papæ verbis Salu-

tem

tem Episcopis afferentes. Postridie in sexta Sessione lecta est Papæ Epistola ad omnes Episcopos Galliæ & Germaniæ directa, in qua Sententiam contra Formosum Episcopum, Gregorium Nomenclatorem, ceterosque conscios editam significabat, atque Episcopos ad eam promulgandam & in omnibus Diœcesibus effectui dandam hortabatur. In eadem Sessione Imperatori dona a Pontifice missa, inter quæ præcipua erant Sceptrum, & Baculus aureus, atque Imperatrici panni pretiosi, armillæque gemmarum fulgore coruscantes traditæ sunt.

Sæculum IX. A. C. 876.

Concilium Pontigonense.

ep. 319. *p.* 292. *n.* 18.

Sessio septima, decima quarta Julii, celebrata. Misit Imperator Legatos Pontificios, qui Episcopos acriter objurgarent, quod die præterita jussu Imperatoris vocati non venissent; sed postquam Episcopi manifeste probassent, quod secundum Canones egissent, Legati lenius loqui cœpere. Tum Joanne Tuscanensi, cum iterum jussu Imperatoris Epistola de Primatu Ansegisi recitata fuisset, responsum ab Episcopis petente, singuli Archiepiscopi dixerunt; unam omnibus constare sententiam, seque Pontificis Decretis obsecuturos secundum illam normam, qua Antecessores sui ipsius Antecessoribus obediissent. Atque, Imperatore absente, hoc responsum mitius quam in Sessione prima susceptum.

Sæculum IX. A. C. 876.

ſceptum. Iterum agitata eſt quæſtio de Presbyteris ad Legatos Pontificios confugientibus, & tandem lectus Libellus a Frotario Archiepiſcopo Burdegalenſi oblatus, in quo poſtulabat, ut Sedem Bituricenſem adire permitteretur, cum ei in ſua Civitate ob incurſus Paganorum (nempe Normannorum) commorari non liceret. Et tunc quidem Epiſcopi unanimi voce hanc petitionem rejecerunt, ſed nihilominus ſequente tempore Frotarius Sedem Bituricenſem obtinuit.

Epiſcopi, jubentibus Legatis, ad octavam & ultimam Seſſionem, decima ſexta Julii, mane congregati. Imperator quoque in Concilium ad Nonam ſe contulit, veſtitus & coronatus Græcorum more; ad eum nempe modum quo Imperatores Conſtantinopolitani in nummis aut in Manuſcriptis ornati conſpiciuntur. Annalium Fuldenſium Auctor perhibet, Carolo cultum corporis, poſtquam ex Italia rediiſſet, fuiſſe Dalmaticam longam, Zonam usque ad talos dependentem, & velamen ſericum cum corona ſuperpoſita in capite, iſto habitu diebus Dominicis & Feſtis ad Eccleſiam proceſſiſſe, & ſpreto veterum Regum Francorum amictu molles Græcorum veſtes amaſſe. (*)

v. Gang. fam. Byz. p. 139. Ann. Fuld. 876.

Hoc

(*) Sæpius levis ingenii notæ in Carolo Calvo

Hoc igitur vestitu Carolus in Concilium venit, deductus a Legatis, Romano habitu incedentibus, Episcopis in veste Ecclesiastica adstantibus. Postquam Leo Episcopus preces recitasset, Joannes Episcopus Aretinus alter Legatus legit Scriptum ratione & auctoritate destitutum; ut loquuntur Annales S. Bertini, qui vel Hincmari calamo vel jussu conscripti sunt. *Postea vero*, ut iidem Annales referunt, *Odo Episcopus Bellovacensis legit quosdam Articulos, a Legatis, ab Ansegiso & ipso Odone dictatos, nunquam communicatos Concilio, contradictionem implicantes, nec auctoritate suffultos, nec rationi consentaneos. Unde in hoc loco inserti non sunt.* Quæstio de Primatu Ansegisi tertio in medium allata; sed nihilominus, postquam Imperator & Legati contra Episcopos multum Sæculum IX. A. C. 876.

Calvo deprehensæ. Ceterum, necesse est ipsum existimasse, cum a Summo Pontifice Imperator coronaretur, non Occidentis modo sed etiam Orientis Imperium sibi conferri, seque de jure Imperatorem Græcorum esse; nisi enim hoc putasse dicatur, non apparet, quomodo, post acceptum Imperium, Principi in Francia nato & educato in mentem venire potuisset, ut inter Missæ Solemnia habitu Græcorum comptus conspici vellet.

Sæculum IX. A. C. 876.

tum conquesti essent, Ansegisus nihil amplius in hac ultima Sessione quam prima die impetravit. Nihil immutatum, & exinde quidem Archiepiscopus Senonensis Titulo Primatis in Galliis & Germania gaudet, sed nulla annexa est Jurisdictio. Tum Petrus Episcopus Fori Sempronii & Joannes Tuscanensis ad Imperatoris Palatium se conferunt, & Imperatricem Richildem coronam in capite gestantem in Concilium inducunt. Illa apud Imperatorem stante, omnes consurgunt, & Leo Gabiensis atque Joannes Tuscanensis, Papæ, Imperatori, Imperatrici, ceterisque, ut consuetudo ferebat, acclamant. Leo vero Legatus ultimas preces peregit. Hic fuit Concilii istius exitus.

§. XXXV.

Articuli rejecti.

to. 9. p. 290.

Articuli, quorum Scriptor Annalium Bertinianorum mentionem facit, & tantopere contemnit, novem sequentes fuisse creduntur, qui in aliis Exemplaribus, apposita die decima sexta Julii, Sessione ultima, anno octingentesimo septuagesimo sexto occurrunt. In his Articulis legitur: *Ludovico Imperatore fatis functo, Joannes Papa Regem Carolum, missis ad eum Gaderico Episcopo Velitrensi, Formoso Portuensi, & Joanne Aretino*

iam-

invitavit, ut Romam veniret, eum Ecclesiæ S. Petri Tutorem elegit, & Romanum Imperatorem coronavit. Nos igitur Papæ mandatis morem gerentes, omnia quæ egit, confirmamus. Concilio Romæ congregato, priusquam advenisset Imperator, Pontifex, omnibus consentientibus, datis ad Ludovicum Regem & ejus filios, ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, ceterosque ipsius regni Optimates Epistolis, auctoritate Apostolica hortatus est, ne regnorum pacem turbarent, in Provincias Imperatoris non irrumperent, dum venissent ad conferendum de his negotiis, & Papa inter ambos fratres Regnorum jura, pro ratione Ministerii sibi a Deo commissi, (*) definivisset. Odo Episcopus Bellovacensis has Epistolas deferre jussus, eas bis reddere voluit, sed nemo fuit, qui reciperet. Quin imo Ludovicus Rex instructo exercitu fratris sui regnum invasit, depopulatus est, atque ipso auctore cædes, sacrilegia innumeraque alia flagitia perpetrata. Sæculum IX. A. C. 876. 2.

Papa tot malis commotus, Joannem Tuscanensem, & Joannem Aretinum Episcopos protinus misit cum Epistolis, in 4.

(*) Horum Articulorum Auctor in illa sententia fuit; Summos Pontifices posse pro suo arbitrio, & quidem de Jure Divino, Imperatores eligere.

Sæculum IX. A. C. 876.

quibus admonebat Regem Ludovicum, u
pœnitentiam ageret, & ex regno fratr
sui militem abduceret. Sed ipse & l
gatos & paternam admonitionem re
lit. Itaque Papa Leonem Episcopum C
5. *biorum & Petrum Forosempronien*
misit cum iisdem mandatis. Et adhu
dum incertum, an ea Rex recepturus si
Quia vero alia negotia Ecclesiastica pr
hibent, ne duo Legati, Leo & Petru
longo tempore hic commorentur, & a
quum non est, Episcopos a provincia r
mota huc delatos diu detinere, visum e
aliis Legatis Joanni Tuscanensi & Joa
ni Aretino, cum aliquot delectis Episc
pis, illam curam esse committendam, u
ea, quæ restant, perficiant, sive aliud Co
cilium convocandum sit, sive refractar
puniendi. Papa autem cum tota Eccl
sia Romana, quæ ipsi egerint, rata h
bebit.

Cum Joannes Papa, consentiente C
rolo Imperatore, jubeat & præcipiat, u
Ansegisus Archiepiscopus Senonensis v
psius Vicarius sit, eique Primatum in Gal
lia & Germania conferat, cum potest
te, convocandi Concilia, & causas q
7. *currentes canonice decidendi; ita autem*
ut causas majores ad judicium Papæ r
mittere teneatur, hoc Decretum unan
mi voce confirmamus, & volumus, ut
8. *Primas Galliæ & Germaniæ sit. Ne*
sit

stro etiam Judicio confirmamus senten- Sæculum IX.
tiam, nuper in Concilio a Joanne Papa A. C. 876.
contra Formosum Episcopum Portuensem Articuli Con-
depositum, Gregorium Nomenclatorem, cilii Ponti-
Stephanum Secundicerium, Gregoriumque gonensis.
Vestiario præfectum, eorumque conscios,
latam, atque prout tenemur, omnibus
Papæ Decretis obedimus. Confirmamus 9.
etiam sententiam latam contra latrocinia Regis Ludovici & consciorum, nisi resipiscant & Sacræ Sedi debitam obedientiam præstent.

His posterioribus tribus Articulis sine dubio Episcopi Franciæ in Concilio Pontigonensi maximopere offensi.

In eodem Concilio cum Carolus Im- *to. 9. Conc.*
perator novum Sacramentum fidelitatis *p. 293.*
ab omnibus suis Vasallis atque etiam ab *ibid. Sirm.*
Hincmaro Remensi, quem Ludovico fratri suo regnum suum invadenti favisse suspicabatur, sibi præstari jussisset, id impatienter tulit Hincmarus; quod cognoscimus ex libello ad Imperatorem directo, in quo de vocibus prope singulis editi juramenti tricatur. His vero *op. 61 tom. 2.*
nihil effecit, nisi quod acerbam animi *p. 834.*
ægritudinem prodiderit. Aliqua tamen attentione digna sunt verba sequentia: *Pater tuus, Beatæ Memoriæ, nihil aliud* *p. 837.*
ab Episcopis, qui ad ipsum deponendum consensum præbuerant, atque ab Ebbone factionis Duce petendum sibi esse existi-

Sæculum IX. A C. 876

mavit, quam Literas, quæ in manibus meis sunt. Unde nec ego merebar, ut aliud Sacramentum præter promissum meum, tamdiu & usque ad senilem ætatem a me servatum, his diebus exigeretur. Sed non est obstupescendi locus, quod officiis præfecti, quos invidia urgente impulerint, ut a me petas, quod Pater tuus toto vitæ suæ tempore a me petendum non credidit, quamvis annos ferme octo me arcanorum omnium conscium habuerit, quin imo quod nec tibi per annos triginta sex, a me exigendum esse, in mentem venit.

§. XXXVI.

De Appellatione ad Sedem Romanam.

Sess. 3. 7. In Concilio Pontigonensi bis mentio occurrit de contentione exorta, ob Presbyteros diversarum Diœcesium ad Legatos Papæ appellantes, & conjectura ejus inde natam fuisse causam scribendi Epistolam, quam Hincmarus ad Papam nomine Imperatoris contra appellationes ad Sedem Romanam jam tunc plus justo frequentes dedit.

Opusc. 47. *to.* 2. *p.* 768.

In ea Epistola queritur Imperator, quod ex eo tempore, quo inter se & nepotem suum Ludovicum Imperatorem orta fuissent dissidia, Presbyteri citra alpes, ab Episcopis suis canonice condemnati, co-

perint

perint Romam pergere, sine Episcoporum suorum vel Metropolitarum literis, & Rescripta contra Canones subreptitie obtinuerint. Originem Appellationum ad Papam repetit, nempe Concilium Sardicense, quod Appellationis beneficium solis Episcopis concedit, & causas in ipsis locis ubi oriuntur judicari præcipit. Presbyteros vero vel Clericos inferiores alibi quam coram Episcopis suis, qui consilio Clericorum suorum adjuti judicium ferant, accusari Canones vetant, & si ab Episcoporum Judicio appellare voluerint, ad Episcopos vicinos, secundum Decreta Conciliorum Niceni & Sardicensis, nempe ad Concilium provinciale, cui Metropolita præest, se convertant. Concilium Carthaginense præcipit, ut Judicium semper in ipsis locis exerceatur, ne difficile fiat testes producere. Quare Canones Africæ causas trans mare deferri prohibebant; *Possumus autem*, dicit Epistola, *ob æqualem rationem nos citra-alpini cum Africanis conferri. Cum enim Episcopi citra-alpini, propter quemlibet Presbyterum a se damnatum, Acta Judicii & testes necessarios Romam mittere nequeant, unusquisque noxiorum Clericorum, se esse insontem impudenter affirmare poterit, ubi nemo est, qui ipsum convincat.*

Sæculum IX. A. C. 876.

n. II.

Sæculum IX. A. C. 876.

Unde cognoscimus, quam sapienter Auctores Canonum decreverint, ut omnes causæ in ipsis locis finirentur, & quantum contra Canones pugnet, compellere Episcopos ad profectionem Romam usque suscipiendam, ut ibi sua judicia defendant.

§. XXXVII.

Absolutio per Epistolam.

Cum Hildeboldus Episcopus Suessionensis, qui Concilio Pontigonensi interfuerat, gravi morbo decumbens confessionem suam scriptam Hincmaro Metropolitæ suo misisset, is satisfacturum se credidit, si in tota Diœcesi Remensi preces pro ægrotante recitari præciperet; sed Hildeboldus receptam iterum confessionem Hincmaro secundo mittens, deferente Presbytero, petiit literas absolutionis. Grata fuit Hincmaro hæc devotio; quare, data ad Episcopum Suessionensem Epistola, dilaudat Sacerdotalem potestatem dimittendi peccata, & absolutionem generalem formula precatoria impertitur. Tum addit: *Cum ipse infirmo corpore ad te invisere non possim, spiritu accedam, rogoque fratres nostros Presbyteros, ut tibi faciant, quod ego, si adessem, facerem. Mitto tibi etiam per hunc Presbyterum Oleum,* (*) *quod*

Hincm. opus. 40. to. 2. p. 686.

(*) Probatur usus Sacramenti extremæ unctionis contra Protestantes.

quod ego ipse benedixi. Præterea moneo te, ut cautissime agam, non enim dubito, quin id ipsum jam nunc feceris, præter hanc confessionem generalem, necessarium esse, Deo & Presbytero singula (*) peccata tua cum adjunctis, ab ineunte ætate usque ad hanc diem commissa, confiteri. Sufficit quidem semel Presbytero omnium & singulorum peccatorum nostrorum confessionem exposuisse, nisi relapsi fuerimus. Si quis autem relabatur, ad pœnitentiam oportet confugere, & meminisse, nihil prodesse dolorem de peccatis, nisi deinde devitentur. Quod spectat ad peccata quotidiana & levia, ea quotidie fratribus nostris confiteri debemus, ut per eorum orationem, atque bona opera deleantur. Facile Lector dignoscet, absolutionem scriptam, ab Hincmaro transmissam, fuisse aliquod indulgentiæ & benedi-

Sæculum IX. A.C. 876.

v. Morin. pœn. l. VIII. c. 25. n. 45.

(*) Ex hoc testimonio contra Protestantes conficitur, viguisse consuetudinem, ut Fideles peccata sua Sacerdoti in secreta confessione proponerent. Id vero hodie DD. Prædicantes prudentius omittunt; ut quid enim alteri Collegæ delicta sua non sine rubore aperirent, eos absolvendi potestatem non habenti, quæ extra Ecclesiam Romano-Catholicam non datur? Secundum hos Sacræ Scripturæ Interpretes (si Diis placet) otiose locutus est Dominus, cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Joann. XX.

Sæculum IX. A.C. 876.

nedictionis genus, non vero absolutionem Sacramentalem, cum præsumat, omnia peccata secreto esse Presbytero exponenda. Tum confessionem generalem, cujus hic mentionem facit, esse illam, quam hodieque *confiteor* appellamus, aliasque similes preces, nullo peccato speciatim nominato, recitari solitas.

§. XXXVIII.

Ludovici Germanici obitus.

Concilio Pontigonensi soluto, Imperator Carolus duos Legatos Leonem & Petrum, muneribus cumulatos, domum remisit, & comites dedit Anseginum Senonensem, Adalarium seu Adelgarium Augustodunensem, sicut Papa velle se significaverat. Exacto deinde unius mensis spatio, sicut in Concilio præstitutum fuerat, Imperator duos priores Papæ Legatos Joannem Tuscanensem, & Joannem Aretinum, cum Odone Episcopo Bellovacensi, aliosque Oratores suo nomine ad Regem Ludovicum Fratrem suum, ad ejus filios, ad Episcopos & Regni Proceres misit; quibus vigesima octava Augusti profectionem suscipientibus, eadem die e vita excessit Rex Ludovicus in suo Palatio Francofordiensi, postquam ab obitu patris sui annis triginta sex regnasset. Sepultus

Ann. Berti. 876.

Jo. ep. 23.

tus est in Monasterio Lauresheimensi, S. Nazario Sacro, atque in Historiæ Scriptoribus nostris sub nomine Ludovici Germanici notissimus est. Is a pietate & justitia in distribuendis Dignitatibus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus commendatur. Ipso defuncto tres filii Carlomannus, Ludovicus, & Carolus Regnum Germaniæ partiti sunt. Sæculum IX. A. C. 876. *Ann. Fuld.* 876. *Metens.* 876.

At Carolus Imperator Ludovici Germanici frater, hac occasione usurus, eam partem sibi subjicere, quæ Ludovico de Lotharii regno obtigerat, atque potentiam suam usque ad Rhenum proferre cogitabat. Ergo Rex juvenis Ludovicus, qui in illa regni paterni parte successerat, postquam nihil reliquisset intentatum, quo Imperatorem patruum suum ab armorum consilio dimoveret, parato exercitu occurrens, indictis jejuniis & solemnibus precibus Dei auxilium sibi conciliare satagebat. Imperatoris milites inutilem pietatem, ut ipsis videbatur, ridebant; verum Ludovicus quo ostenderet, ex suis partibus stare Justitiam, decem viros probationem aquæ ferventis, alios decem ferri candentis, & rursus decem alios aquæ gelidæ subire jussit. Perhibentque illius temporis Annales, omnes illæsos & incolumes evasisse. Ceterum ex historiæ Scriptoribus constat, quod ubi ad *Ann. Bertin.*

pugnam

Sæculum IX. A. C. 876.

pugnam ventum, Ludovicus, cæsis Caroli Imperatoris copiis, non ignobilem victoriam reportaverit. (*)

Porro Carolus Imperator, cum se hoc bello implicaret, se ipsum imparem efficiebat ad mittenda Papæ contra Saracenos promissa auxilia, quæ Papa in extrema necessitate constitutus expectabat. Id dispicimus ex Epistola Pontificis ad Bosonem Imperatoris affinem data, in qua dicit: *Nuncium ad nos delatum est, Imperatorem nobis missurum copiarum subsidia, quibus maximopere indiget provincia nostra a Saracenis tota propemodum vastata. Igitur te instantissime rogamus, ne his copiis venturis, aut in tua Ditione jam nunc existentibus moras nectere permittas, sed velocissime iter facere compellas; nisi enim propediem adfuerint, pejora timenda sunt.*

Jo. ep. 1.

Hæc

(*) Ad hunc locum Cardinalis Baronius Num. XXVIII. *Vicit Imperatorem, jam solum turpi fuga . . . suæ consulentem saluti. Contra fugere quoque Imperatrix ipsa Rachildis, in fuga ita est timore concussa, ut projecisse ex utero fœtum potius, quam peperisse dici possit infantem haud diu futurum superstitem. O humanarum rerum inconstantiam, o duram rerum vicissitudinem! quæ paucos ante dies Imperatorio ornatu in Synodo visa est omnibus admiranda, modo fugiens nec tugurio contegi potuit ad pariendum.*

Hæc Epistola prima Septembris anno octingentesimo septuagesimo sexto, Indictione decima ineunte, data est, omnium prima, quam a Joanne Papa VIII. scriptam accepimus. Alia, eadem die data, Ludovico Regi Germaniæ, cujus mortem Papa necdum scire poterat, scripta est. In ea Papa conquerenti Ludovico, quod Imperator ejus frater Hæreditatem sibi debitam præripuisset, respondet, Imperatorem querelas ad Sedem Apostolicam priorem detulisse, nec posse se Sententiam pronunciare, priusquam utramque partem audiisset. Ceterum Ludovicum ad pacem conservandam hortatur, & nemo non videt, Papam noluisse offensum sibi habere Imperatorem, a quo sperabat auxilium. Sæculum IX. A.C. 876.

§. XXXIX.

Translatio Frotarii ad Ecclesiam Bituricensem.

Interim Papa, nuncio accepto, quod Legati sui Leo & Petrus Ticini essent, datis literis iter velocissime facere jubet, cumque Romam pervenissent, inter alia ab iis percepit, quod Normanni continuis incursibus provinciam Burdegalensem usque adeo vastassent, ut in ea Frotarii Archiepiscopi opera prodesse non posset. Ergo, ut huic Episcopo campum latiorem *Ep.* 6. 7.

Sæculum IX. A. C. 876. latiorem aperiret, in quo pro salute animarum talentis sibi datis uteretur, eum, ab Imperatore rogatus, ad Sedem Bituricensem morte Wulfadi vacantem transtulit, addita conditione, ne ista translatio futuris temporibus in exemplum trahi posset, utpote contra Canones & urgente necessitate facta. Hæc *ep.* 8. 13. 34. 37. discimus ex Epistolis Papæ ad Carolum Imperatorem, ad Clericos populumque Bituricensem, qui Frotarium sibi expetebant, ad Episcopos illius provinciæ & ad ipsum Frotarium datis. Quibus Epistolis apposita est dies vigesima octava Octobris anno octingentesimo septuagesimo sexto. In iis vero discimus requisita ad Translationem necessaria, nempe quod Ecclesia, quam Episcopus deserit, sit vastata, & a Clericis populoque Ecclesiæ, quam adit, expetatur.

§. XL.

Papa auxilium ab Imperatore poscit.

Pontifex, duos Episcopos Ansegisum & Adalgarium ab Imperatore Romam ad se legatos dimittens, complures Epistolas deferendas iis tradidit. Prima die decima quarta Novembris data est, in qua Gratias dicit Imperatori, quod ipsos ad se misisset; *Verumtamen*, inquit, *non potuerunt effectui dare, quod voluissent, ad comprimendos Ecclesiæ Ro-* *ep.* 23.

mana

manæ hoſtes. Occultarunt ſe enim ſub præſidio quorumdam Marchionum, in te perfidorum, quorum nomina Legati tibi indicabunt. Tunc Marchiones illi Præfecti dicebantur, quibus regnorum fines tueri imperatum erat. *Obteſtamur te igitur*, dicit Papa, *ut viros iſtos, Eccleſiarum expilatores ſacrilegos, diligentiſſime conquiſitos, in exilium ad deflenda ſua peccata mittas. Si enim impuniti abierint, plures alios ſuo exemplo inficient, & totum tuum Imperium labefactabunt.* Sæculum IX. A. C. 876.

In altera Epiſtola Papa auxilia contra Saracenos ab Imperatore flagitat. *Quanto gaudio*, inquit, *perceperamus nuncium, te nobis copiarum ſubſidia mittere, tanto dolore affecti ſumus, cum militem re infecta regreſſum fuiſſe ſcivimus. Chriſtianorum ſanguis effunditur, qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus ducitur in exilium perpetuum. Civitates, Oppida, pagi ab incolis deſerti pereunt, Epiſcopis hac illacque diſperſis. Sola Apoſtolorum Principis limina in refugium ſuperſunt. Eorum domus Epiſcopales jam ſunt ferarum receptacula, ipſi vagi & ſine tectis prædicare non poſſunt, & mendicare coguntur. Anno præterito ſeminavimus, & nihil collegimus, hoc autem anno quia non ſeminavimus, ne quidem ſpem colligendi habemus.*

Sæculum IX. A. C. 876.

mus. Sed cur in paganis moramur, cum Christiani nihilo meliores sint, videlicet aliqui ex vicinis nostris, quos Marchiones nuncupare soletis. Hi S. Petri patrimonia in civitate & ruri diripiunt, non ferro sed fame nos perimunt, non nos in captivitatem abstrahunt, sed in servitutem redigunt. Tanta tyrannide oppressis desunt nobis viri, quos hostibus opponamus. Tu solus, fili Charissime, post Deum, auxilium nostrum es & solatium. Quapropter totis visceribus cum Episcopis, Presbyteris, nobilibus, & reliquo populo deprecamur; porrige manum periclitanti civitati & Ecclesiæ Matri tuæ, a qua non solum regnandi, sed & in Dominum unum & verum credendi exordium cepisti, & quæ te nuper, spreto fratre tuo, magno Principe, ad Imperialia sceptra provexit.

ep. 26. Papa Richildi quoque Imperatrici scripsit, exhortans, ut maritum ad mittendas suppetias incitet.

ep. 24. Alia quoque Epistola ad Imperatorem data erat, sine dubio soli Adalgario commissa. Cui Papa Pallium, sicut olim S. Gregorius Syagrio ipsius in Sede Augustodunensi Antecessori, dederat. Ceterum Adalgarium, exploratæ fidei virum esse testatur, sed de Ansegiso Archiepiscopo Senonensi conqueritur, quod cum Sacræ Sedis inimicis præsertim

Sup. lib. XXXVII. §. 10.

Lam-

Lamberto Duce Spoletano consilia communicaret. Sæculum IX. A. C. 876.

§. XLI.

Concilium Romanum.

Quamvis causa Ecclesiæ Torcellensis in Concilio Ravennatensi, anno octingentesimo septuagesimo quarto celebrato, finita videri potuisset, nihilominus non eam, quam par erat, obedientiam Petro Episcopo Gradensi & Territorii Veneti Metropolitæ Suffraganei ejus præstabant. Unde ille secundo Romam venit, querelas apud Pontificem moturus. Ergo Pontifex Concilium convocare statuit, quod ex ejus Epistolis ad diversos Episcopos datis dispicimus. Dominico, circa cujus electionem versabatur controversia, scripsit in hunc modum: *Quia fama crebrescente Torcellensem Ecclesiam invasisse dicebaris, semel & bis citavimus te, ut Romam venires, ubi causa, præsentibus Petro Gradensi Metropolita tuo & Episcopis ejus Suffraganeis, fuisset examini subjecta, & te condemnassemus, nisi precibus Ursi Ducis dandum aliquid existimassemus. Idcirco jam te tertio vocamus, jubemusque, ut Romam ad Concilium nostrum decima tertia Februarii celebrandum venias.* Alios duos Episcopos Felicem & Petrum Pontifex increpat, quod Metropoli- *Sup. n. 29. ep. 25.*

Sæculum IX. A. C. 876.

politam ſuum Romam proficiſcentem comitati non fuiſſent, atque ad partes Adverſariorum defeciſſent. Dominico Olivoletano Venetiis & Leoni Capreſi præcipit, ut ibi permaneant. *Sic enim*, inquit, *ceteris ad Concilium huc venientibus, abſentium officium in omnibus, quæ ad Miniſterium Epiſcopale pertinent, ſupplebitis.*

Simul Papa ad Urſum Ducem Venetorum dedit Epiſtolam in hæc verba: *Promiſeras, Romam te miſſurum, Dominicum, qui ſe Epiſcopum dicit, cum tuo filio, ad definiendam cauſam Petri Epiſcopi Gradenſis; ſed fidem fefelliſti. Interim Petrus Epiſcopus ad nos venit, nullo Suffraganeorum comitante. Hinc Dominico præcipimus, ut Romam veniat, & ne dicat, ſe ſine Epiſcopis venire non poſſe, duos eorum advocavimus Felicem & Petrum; ſic cauſa illis præſentibus, quibus ſatis cognita eſt, definietur. Vocavimus etiam Archidiaconum Torcellenſem, Abbatem Altinenſem ceteroſque viros ad hæc agenda neceſſarios. Ideoque hæc tibi ſignificamus, ut Principum Chriſtianorum more eos ad iter ſuſcipiendum ſubſidiis adjuves.* Ep. 17.

Hæ quatuor Epiſtolæ prima Decembris anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto datæ. Easque Papa ad quemdam Epiſcopum, nomine Deltum, cujus fidem per- Ep. 25.

perspectam habebat, direxit cum mandatis; has redderet, ad quos datæ erant, easdem Torcellæ præsentibus Clericis populoque recitari, ad effectum deduci, quantum ipse posset, curaret, & omnium actorum rationem sibi deinde perscriberet. Sæculum IX. A. C. 877.

Concilium Romanum, ut constituerat Pontifex, anno 877. celebratum quidem; sed Episcopi Dominii Veneti non venerunt, nec quidquam aliud de hoc Concilio nobis supereſt, quam Acta, quibus Electio Caroli Imperatoris confirmatur; cujus rei causa non alia fuisse videtur, quam quod Carlomannus Caroli Calvi nepos Rex Bavariæ huic electioni adversaretur, & Italiam sibi subjicere cogitaret. Miserat vero Carolus mense Februario hujus anni Romam Adalgarium Episcopum Augustodunensem, qui hoc Concilium haberi curaret. Porro Acta, quæ habemus, in fronte exhibent amplissimam Papæ Allocutionem in laudem Caroli Imperatoris concinnatam, iisque, quæ Nicolaus & Hadrianus Pontifices contra hunc Principem scripserant, & rerum illo tempore gestarum veritati, parum consentaneam. Inter alia Joannes Papa de Carolo dicit: *Et quia scimus, id ipsum revelatione cælesti Nicolao Papæ fuisse manifestatum, nos eum ex consilio Episcoporum Fratrum*

Ann. Fuld. 876. 877. Bert. 877.

Electio Caroli confirmatur.

Sæculum IX. A. C. 877. *noſtrorum, ceterorum Eccleſiæ noſtræ Clericorum, Senatus, populique Romani elegimus, & pro more veteri ritu ſolemni per unctionem exteriorem, quæ unctionis interioris a Spiritu Sancto collatæ ſignum eſt, ad Dignitatem Imperialem eveximus. Non ille in Solium ſe ipſum intruſit, nec malis artibus ad ſummum faſtigium pervenit; nos eum Imperatorem poposcimus & exoptavimus. Unde rogo vos, Fratres mei, ut in hoc conventu electionem ejus renovemus, & confirmemus.* Epiſcopis reſpondentibus, id ipſum ſibi probari. Papa Decretum quo confirmabatur Electio, anno ſuperiore, Indictione nona, facta, pronunciavit, & addidit: *Si quis huic Electioni, quæ procul dubio a Deo eſt, adverſari voluerit, anathemate feriatur tanquam Dei & Eccleſiæ hoſtis. Pernicioſi conſilii Auctores aut Fautores, publicæ pacis perturbatores, miniſtri Diaboli, Eccleſiæ & Reipublicæ hoſtes habeantur. Si viri Eccleſiaſtici ſunt, deponantur, & anathematizentur Laici.* Ita Cenſuræ & pœnæ ſpirituales, quibus nihil magis ſanctum, nihil magis terribile habet Eccleſia, in negotio mere politico adhibebantur. Adhegarius Carolo Imperatori hujus Concilii exemplar tanquam maximum Papæ donum attulit. Attamen tantis commendationibus non obſtantibus Carlomanus

nus Rex cum valido exercitu in Italiam venit. Sæculum IX. A. C. 877.

§. XLII.

Saraceni ad portas Urbis.

Interim Papa vehementer instabat, ut Carolus Imperator exercitum mitteret, repellendis Saracenis parem, atque, ut id citius impetraret, ad eum iterum duos Episcopos misit, Petrum Forosempronienſem, qui anno superiore in Francia fuerat, & Petrum Sinigallenſem. Epistola ad Imperatorem, quam ferebant, secunda die Februarii anno octingentesimo septuagesimo septimo data est, in qua Papa loquitur in hunc modum: *Pauci, qui de populo in civitate supersunt, cum extrema paupertate luctantur, foris omnia vastata & deserta. Dei hostes illi agros depopulantur, jamque amnem, qui Tibure Romam devolvitur, ubi ripæ custodiri non possunt, superant, & in Territorio Sabinensi locisque vicinis grassantur, Ecclesias & Altaria destruunt, captivos multos abstrahunt, diversis tormentis Presbyteros & Sacras Virgines perimunt, toti circumquaque populo perniciem afferunt. Memineris igitur, quanti labores & jurgia nobis sustinenda fuerint, ut tibi Imperium assereremus, ne si nos in desperationem conjeceris, ad alia & tibi noxia consilia convertamur.*

Sæculum IX. A.C. 877.

Nam præter anguſtias, quas ob metum Saracenorum patimur, etiam laceſſunt nos mali Chriſtiani, & ſi quid intactum illi reliquerint, iſti rapiunt. Mitte cum copiis tuis exploratæ fidei viros, qui prædonum improbitatem coerceant. Similis fere Epiſtola data erat ad Richildem Imperatricem, ſcripſitque deinde Papa etiam ad Epiſcopos in Regno Caroli exiſtentes, exhortans, ut mittendum auxilium tanquam rem ad conſervandam Religionem neceſſariam inſtantiſſime curarent. (*)

ep. 31.

ep. 35.

Similia dicit Papa de pactis, quæ Neapolitani & aliqui alii Italiæ populi cum Saracenis inierant; unde hi via maritima patente deſcendentes de navibus Urbis portas infeſtabant. Nullum non movit lapidem Joannes Pontifex, quo Italos ad abjicienda hæc fœdera permoveret; id enim ex compluribus Epiſtolis

Leo Chr. Caſſ. cap. 40. p. 178.

(*) Merito timebat Pontifex, ne, ſi Roma in poteſtatem Saracenorum incideret, etiam Religio triſtiſſimam ſortem, qua Alexandriæ, Antiochiæ & Jeroſolymæ premebatur, experiri cogeretur. Sed cur in ſolo Carolo & Francis in Gallia regnantibus, ſpem ſuam poſuerat? Cur non Imperium Romanum Francorum Regibus in Germania imperantibus contulit, eorumque auxilium contra quoscunque Eccleſiæ Romanæ hoſtes petiit?

lis mensibus Martio & Aprili hoc anno octingentesimo septuagesimo septimo scriptis cognoscimus. Misit quoque ad eosdem Walbertum Portuensem, & Petrum Ostiensem duos præcipuos Sedis Romanæ Suffraganeos, ut id faceret, a Docibili, & Joanne Imperatoris Constantinopolitani Legatis rogatus. Dedit ad eos literas, atque etiam ad Pulcarium Amalfiæ Præfectum & ad Sergium Neapolitanæ Civitatis Ducem, præcipuum hujus fœderis Auctorem, qui sæpius Papam decepit, promittens, se his pactis renunciaturum, & semper fidem fallens. Exprobravit perfidiam Papa datis ad ipsum & ad Athanasium Episcopum ipsius fratrem literis, in quibus dicit, quod, si populi sui pervicaciam frangere nequeat, eum debeat deserere.

Sæculum IX. A. C. 877.

ep. 36. ep. 38. ep. 39. ep. 40. ep. 41.

Tandem se ipsum Trajectum prope Cajetam ad istud negotium componendum contulit. Ceterum Joannes Papa in Epistolis suis dicit; quod Christiani talia fœdera ineuntes Creatorem suum derelinquant, ut portent jugum cum Infidelibus, & abjiciant fœdus in Baptismo cum JEsu Christo initum. Quasivero nullum pactum cum Mahometanis aut aliis Infidelibus iniri possit, nisi simul eorum Religio suscipiatur. (*)

ep. 50. 51. 52. 59. ep. 41. ep. 50.

(*) Non satis æquus est hic iterum Summo Ponti-

Sæculum IX. A. C. 877.

Legati a Papa in Franciam missi Carolum Imperatorem Compendii habuerunt, ubi, transacta Quadragesima Festum Resurrectionis Dominicæ, quod hoc anno octingentesimo septuagesimo septimo in diem septimam Aprilis incidebat, celebraverat. Hi tam apte feliciterque perorarunt, ut Imperator Romam cum exercitu proficisci constituerit. Priusquam vero iter aggrederetur, convocatis Episcopis provinciæ Remensis & quibusdam aliis, Compendii prima die Maji, se præsente atque S. Sedis Legatis, dedicari curavit Ecclesiam, suis sumptibus ædificatam, juncto Monasterio, quod hodieque floret, ubi Reliquias S. Cornelii & S. Cypriani deponeret. Reliquiæ S. Cypriani Caroli Magni ætate, ante annos septuaginta, in Franciam delatæ fuerant, atque etiam Reliquiæ S. Cornelii Papæ ibi servari dicebantur. His peractis Imperator, viris præpositis qui ipso absente Rempublicam gubernarent, in Italiam

Ann. Bert. 877.

Sup. Lib. XLV. §. 53 *v. Tilm. S. Cornel. art.* 17. *to.* 3. *p.* 470.

Pontifici Fleurius. Quamvis enim aliqua cum Infidelibus fœdera locum habeant, qualia sunt quæ hodie Principes Christiani cum Prædonibus maritimis Tunetanis aliisque ineunt, perfatis tamen illorum temporum adjunctis, cum Saracenis, non sine magno Italiæ & Ecclesiæ periculo, fœdera & amicitiam colere, quid erat aliud, nisi Religionem prodere?

Italiam proficiscitur, & monte Jura superato, Adalgarium Episcopum Augustodunensem Orbæ obvium habuit, afferentem sibi Acta Concilii Romani, in quo Electio ejus confirmata, & monentem, quod Papa Ticinum usque ad se procederet. Sæculum IX. A. C. 877.

§. XLIII.

Concilium Ravennatense.

Eodem tempore Papa Synodum omnium Episcoporum ex Regno Italiæ, seu Longobardiæ, ad remedia perturbatæ Ecclesiæ & Reipublicæ afferenda, convocavit. Scripsit quoque Archiepiscopis Ravennati & Mediolanensi, Antonio Episcopo Brescienſi, Petro & Leoni Episcopis in Territorio Venetorum, & Urso Duci Venetiarum, cupiens causam Archiepiscopi Gradensis, tam diu agitatam tandem finire. *ep.* 57. *ep.* 53. *ep.* 56. 55.

Convenerunt vero Episcopi vigesima secunda Julii anno octingentesimo septuagesimo septimo, numero quinquaginta si etiam Papa accenseatur. Tum Anspertus Archiepiscopus Mediolanensis, Joannes Archiepiscopus Ravennatensis, & Petrus Patriarcha Gradensis. Canones novemdecim conditi; inter quos notatu digniores sunt: Metropolita Neo-consecratus intra tres menses Romam mittat, fidei suæ confessionem *ep.* 60. *tom.* 9. *Conc.* *p.* 300. *can.* 1.

Sæculum IX. A. C. 877.

exponat, Pallium petat, & interea nullo fungatur Ministerio. Episcopus Electus intra tres menses sub pœna excommunicationis consecretur; si ultra quinque menses distulerit, nec in illa Ecclesia, nec in alia amplius consecrari possit. Excommunicentur raptores, prædones, & qui cum excommunicatis communicant. Ne vero lateant, Episcopi excommunicatorum nomina Episcopis vicinis, eorumque Diœcesanis, denuncient, & ad valvas Ecclesiæ affigant. Et quia aliquos metus & pudor ad Ecclesiam venire prohibebat, excommunicantur, qui tribus Dominicis continuis abfuerint.

c. 12.

Conc. Tr. c. 8. *Sup. Lib.* XL. §. 52.

Similem constitutionem notavimus, cum Concilii in Trullo Canones retulimus. Ceterum in hoc Concilio excommunicationis frequentissime fit mentio; unde pronum est credere, hanc Censuram apud multos contemptu laboraße.

c. 15. 16. 17.

Prohibetur, ne quis in Beneficium, id est, in Feudum, vel alio modo, Ecclesiæ Romanæ patrimonia petat, addita pœna, ut actus sit nullus, possidens ad restituendos fructus teneatur, & qui dederint vel acceperint ejusmodi patrimonium vel bona ad illud pertinentia anathemate percutiantur.

XLIV.

§. XLIV.

Sæculum IX. A. C. 877.

Caroli Calvi obitus. Ludovicus Balbus Rex.

Carolus Imperator, accepto nuncio, quod Papa Ticinum veniret, Notario, & Comite cum duobus aliis viris in Palatio præcipuis, qui omnia ad diversandum Summo Pontifici necessaria pararent, præmissis, ipse obvium se tulit tanta celeritate, ut ei Vercellis occurreret. Ergo perhonorifice exceptum, Ticinum deducit, quo cum nuncium afferretur, Carlomannum cum valido exercitu imminere, Dertonam se recipiunt. In illa civitate Richildis a Papa Imperatrix coronata est; moxque accepto Imperatoris thesauro, vallem Carocelliam † † versus, fugam præcipitat. Ipse per aliquot dies cum Papa moratus est, expectans Regni sui Proceres; sed receptis literis, non esse venturos, Carlomannum vero propediem adfuturum, uxorem secutus est, Pontifice interim Romam contendente cum effigie Crucifixi aurea gemmis decorata, quam Imperator S. Petro dono dabat. Sed & Carlomannus percepto falso rumore, Imperatorem & Papam cum instructissimis copiis in se movere, fugam capessivit. Inter hæc Imperator in itinere febri corripitur, & sumpta potione, quam ipsi Sedecias Judæus

Ann. Bert. 878.

† La Morienne.

Sæculum IX. A. C. 877.

dæus Medicus ſuus cariſſimus venino mixtam porrexerat, ſub tugurio in quodam loco, *Brios* dicto, ultra montem Ceneum poſito, decima ſexta Octobris anno Salutis octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, poſtquam ab obitu parentis ſui annis triginta ſeptem, & Imperator annis prope duobus regnaſſet, annum ætatis agens quinquageſimum quartum extinctus eſt. (*)

Quam-

(*) Judæus quidem iſte ab Hiſtoriæ Scriptoribus tetri ſceleris accuſatur, nemo vero addit, quo auctore, quo conſilio, qua ſpe, vel ſaltem an vindictæ cupiditate impulſus, atrox facinus auſus ſit. Franciſcus Pagi in ſua Critica ad annum 875. quæſtionem movet, an Carolus Calvus juribus Imperii ceſſerit, & ex Marca lib. 3. de Concordia cap. XI. illud affirmante affert: *Carolus Calvus Imperator a Joanne VIII. renunciatus conſortium illud amoris anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſolidumque jus in civitatem Romanam Sedi Apoſtolicæ tribuit.* Ad hæc Pagi reſpondet: *Verum Summos Pontifices ſupremum Urbis & Exarchatus Ravennatenſis Dominium a Imperatores contuliſſe, tot ſparſim rationibus comprobavi, ut tantum ſuperſit demonſtrare Carolum Calvum huic juri non renunciaſſe. Certe Annaliſta Fuldenſis, qui Ludovico Germaniæ Regi in omnibus ſtuduit, & Carolum Calvum ejus fratrem paſſim Tyrannum appellat,*

Quamvis vero defuncti corpus aromatibus conditum fuisset, nemine tamen intolerabilem fœtorem ferente, visum est, illud interim in Monasterio Nantuano Diœcesis Lugdunensis terræ esse mandandum, unde post aliquot annos ejus ossa ad S. Dionysii Monasterium in Francia translata. Sæculum IX. A. C. 877. *Ann. Fuld.* 877.

Inter alia ex eo Carolus Calvus commendatur, quod literas a Carolo Magno avo suo tantopere amatas restituerit, viros doctos undique, præsertim ex Hibernia, accersiverit, & in suo Palatio Magistros ali voluerit. *Ann. Met.* 877. *Her. Antiss. præf. in vit. S. Germ.*

Carolo Calvo successit in regno Franciæ Ludovicus filius, annos natus triginta

---

pellat, hoc non prætermisisset, si revera factum fuisset. Et tamen hoc anno solum ait: Quanta potuit velocitate (Carolus Calvus) *Romam profectus est, omnemque Senatum populi Romani more Jugurtino corrupit, sibique sociavit.* Sequuntur cetera quæ in Fleurio hoc Libro Num. XXX. & XXXIV. leguntur. Tum iterum Pagi ex Annalista Fuldensi: *Plurima etiam incredibilia se contra Hludovicum Regem & Regnum illius facturum minatus est.* Tandem addit Pagi; *Rem adeo notabilem vel aliquis ex Annalistis compluribus, qui res illius ævi adnotarunt, vel alius aliquis Auctor coævus silentio non pressisset. Sed non desunt Argumenta, quæ Marcæ opinionem, quam multi secuti sunt, evertant &c.*

Sæculum IX. A. C. 877.

ta quatuor, ex prima uxore Hermentrude genitus, & Balbus dictus. Is Compendii octava Decembris eodem anno Hincmari Archiepiscopi manibus unctus est, habemusque illas preces, quas in illa coronatione pronunciavit, atque etiam promissa, quibus se Rex Episcopis & Regni Proceribus, hi vero Regi se invicem obstrinxerunt. Rex deinde ad Hincmarum Archiepiscopum, quo seniorem & rebus gerendis aptiorem in regno suo non habebat, misit mandata, jussitque ad se venire, ejus consilio pro salute Ecclesiæ & Reipublicæ usurus. Sed Hincmarus excusavit se, quod senili ætate & corporis infirmitate nec iter suscipere, nec utilem operam Regi conferre posset, priusquam Comitia Procerum convocarentur, interim autem, quæ suadenda censebat, datis literis aperuit.

Ann. Bert. 877. *Hincm. to.* 1. *p.* 747. *to.* 2. *p.* 271.

Hugo Lotharii filius.

Cum Hugo Regis Lotharii & Waldradæ filius collectis copiis grassaretur, sperans se regnum paternum obtinere posse, Hincmarus, jubente Ludovico Balbo, ei scripsit in hunc ferme modum: *Antiquus Regis parentis tui, & Imperatoris avi tui amicus, cum te quoque hodie tenerrime diligam, monere te cogor, latrocinia, ceteraque crimina, quæ tuis auspiciis perpetrantur, tuæ nocere animæ, atque in æternæ damnationis perculum*

Flod. III. hist. c. 19. *c.* 26. *p.* 539.

culum te conjicere. Motæ sunt contra te querelæ in Concilio in Neustria celebrato; ego vero ab Episcopis jubeor tibi scribere, & exhortari, ut impios consultores a latere removeas, & spem regnandi abjicias. Nisi obtemperes, Episcopos meæ provinciæ aliarumque vicinarum convocabo, te & conscios tuos excommunicabimus, & latam sententiam Papæ, omnibus Episcopis & Principibus adjacentium regnorum denunciabimus. Circumspice ergo, Fili mi, quantum tibi immineat periculum! noli credere vocibus adulantium tibi, & inanem spem regnandi ingerentium. Memento, plurimum nocuisse patruis tuis, quod contempta Lege Dei Regno inhiaverint, & parentem tuum, postquam multas ærumnas sustinuisset, & Regno & vita fuisse privatum. Ceterum, pollicitus est mihi Rex, quod cupiat te honore & divitiis cumulare, si sortem, quam tibi parat, capere possis. Expecto a te responsum certum, & sincerum.

Sæculum IX. A.C. 877.

§. XLV.

Bernoldi Visio.

Haud diu postquam Carolus Calvus Imperator ex hac vita migrasset, cum quidam vir in Diœcesi Remensi, Bernoldus nomine, in morbum incidisset, confessus est, accepit absolutionem, unctionem,

Hincm. opus. 50. to. 2. p. 805.

Sæculum IX. A. C. 877.

nem, & Viaticum; moxque ad extrema deductus, quatriduo nec vocem emisit, nec quidquam alimenti præter aquam recepit. Die quarta vix satis deprehendi poterat, an adhucdum spiraret. At, media circiter nocte, oculos aperit, & voce firma uxorem, aliosque adstantes, jubet Confessarium suum celeriter advocare. Intrat Presbyter, & peractis consuetis precibus, a Bernoldo apud lectum sedere rogatur. Tum ægrotans profatus est in hunc modum: *Colligenimum tuum, prodigiosa enim ex me audies*, atque obortis lacrymis & intercrebros singultus dixit: *In mundum alterum & in nescio quem locum translatus, vidi Episcopos quadraginta & unum, inter quos Ebbonem, Leopardellum, & Æneam cognovi* (Leopardellus idem ac Pardulus fuisse creditur) *squalidis centonibus & fuliginosis tectos, & quasi per ignem traductos. Jamque frigore concuti, jam acriter æstuare videbantur.*

Ebbo, meo nomine me compellans, dixit: quia tibi licebit ad corpus tuum redire, ego & Fratres mei te rogamus, ut nos adjuves. Respondi: quomodo possum vos juvare? Et ille: Vade ad Vasallos nostros Clericos & Laicos, quos beneficiis cumulavimus, & pete pro nobis eleemosynas, preces, & Missas. Respondi: Nescire me ubi Vasalli eorum degerent. Illi via

viæ comitem dederunt, qui me ad magnum deduxit Palatium, in quo permultos ipsorum Vasallos, de Dominis suis defunctis loquentes, conspexi. Postquam quæ in mandatis habebam exposuissem, eodem duce ad locum, ubi erant Episcopi, reversus, vidi eos læta facie, quasi rasa barba nitidos, & ex Balneo recenti venientes, Albis, † Stolis, sed sine Casulis, indutos. Tunc Ebbo ad me: Intelligis jam, quantum opera tua levati simus? huc usque sub severo, ut vidisti, ergastulario fueramus, nunc vero S. Ambrosii custodiæ traditi sumus.

Sæculum IX. A. C. 877.

† vestibus

Ex illo loco delatus sum in alium, tenebris opertum, unde prospectus erat in regionem clarissimam, floridam & suave olentem. In illa caligine autem vidi jacentem Regem Carolum, de cujus corpore pus exibat. A vermibus corrodebatur, nihilque præter ossa & nervos supererat. Is ad me: Bernolde! cur nullum mihi affers auxilium? Accede ad Episcopum Hincmarum, & refer, quod ideo pati cogar, quæ vides, quia ipsius aliorumque amicorum meorum admonitionibus obsecutus non fui. Dic, quod Episcopum semper magno in pretio habuerim, & jam sperem, quod opem laturus sit. Roget ipse nomine meo omnes clientes meos, ut & ipsi auxilium præstent, si enim communem operam con-

Bernoldus.

Sæculum IX. A. C. 877.

tulerint, brevi ab hac pœna liberabor. Quæsivi, quis esset ille locus mihi consitus, unde tantæ lucis fulgor & odorii suavitas emanaret. Hæc est, inquit, Beatorum Sedes. Addidit Bernoldus in sua narratione: *Propius me admovi, vidique tantam rerum pulchritudinem, tam exquisitas delicias, ut verbis hominum explicari non possint. Vidi innumerabilem multitudinem hominum candidis tunicis splendentium, & lætantium. Vidi lucida sedilia, quorum aliqua adhucdum vacua venturis incolis parata erant. In illa via vidi etiam Ecclesiam, in quam ingressus conspexi Hincmarum cum Clericis suis præparatum & vestitum ad cantandam Missam, & retuli, quæ Rex Carolus jusserat. Mox ad locum, in quo Rex erat, regressus, vidi in luce habitantem, optima valetudine fruentem, & Regiis vestibus ornatum. Atque ille ad me: Vides, quanta bona, dum mandata mea pertulisti, præstiteris?*

Bernoldus vidit quoque Jessæum Episcopum & Comitem nomine Otharium, in suppliciis gementes, quos etiam sicut illos, quos memoravimus, ripuit. Ipsi vero promissum, quod morbo liberatus annis quatuordecim superstes futurus esset. Cum hanc visionem Confessario suo narrasset, Communionem petiit & accepit. Dixit deinde, se

se esurire, afferuntur cibi, & ipse recep- Sæculum IX. A. C. 877.
tis viribus convaluit. Re ista ad Hincmarum delata, accersivit ille Presbyterum virum prudentem & pium, quem cum jussisset omnia narrare, vera esse credidit, quia similia prodigia in Dialogis S. Gregorii, in Historia Bedæ, in Scriptis S. Bonifacii Moguntini, & tandem in Visione Wetini legerat. Ergo data ad omnes Fideles Epistola, in qua historiam totam refert, exhortatur, ut in hoc Mundo degentes semper de sorte sua in altero soliciti sint, remediis a Deo præparatis utantur, & inprimis pro Rege Carolo, aliisque defunctis orent. (*)

Sup. Lib. XLVI. §. 54

§. XLVI.

Capitulare Hincmari.

Paulo ante, nempe undecima Julii anno octingentesimo septuagesimo septimo, Hincmarus quædam documenta duobus Presbyteris, quos constituebat Archidiaconos, tradidit. Ferme omnia eo tendunt, ut a sordida cupiditate abstrahantur, quo vitio haud dubie alii laboraverint. *Visitantes parochias rurales, meum*, inquit, *sequimini exemplum, & parochis oneri esse nolite. Homines*

Hincm. to. 1. p. 38. to. 8. Conc. p. 591.

(*) Hæc narratio omnibus veritatis notis destituitur; & deinde unus testis nullus testis.

Sæculum IX. A. C. 877.

non neceſſarios non circumducite, nec lon-
giore quam opus ſit tempore in domo
parochorum moras trahite. Non ſuſci-
piatis ejusmodi itinera, ut aliorum ar
ſuſtentemini, ſed ad erudiendos Presby-
ros populumque, ſi eorum vitam & mores
perſpexeritis. A parochis nihil exigite,
nec pecuniam, nec res alias, porcos re-
frentes, piſces, caſeum, quibus poſtea re-
verſi amicis veſtris menſam inſtruatis.
Pro labore viſitandi nihil accipite, nec
tunc, quando Sacrum Chriſma a vobis pe-
tunt, niſi ultro quidquam obtulerint.

7. *Parochias nec conjungite nec divi-*
dite, quicunque vos roget. Nec Eccle-
ſias, in quibus ex omni hominum memo-
ria Presbyter fuit, alteri Eccleſiæ ſubji-
3. *cite. Quilibet veſtrum pro ſua regione*
omnium Eccleſiarum & Sacellorum Syl-
labum mihi mittat. Nemini concedi-
tis ſine mea licentia Oratorium domeſ-
ticum habere, & mittite mihi Indicem
omnium illorum, quæ a tempore Ebbonis
9. *erecta fuere. Nulla munera accipiatis*
a Presbyteris rogantibus, ut eorum ma-
lam famam diſſimuletis, reconciliationem
pœnitentium differatis, aut data recon-
liatione eorum curam dimittatis. Si
quis relabatur, mihi nunciate, quo vobis
& parochis præſcribere poſſim, quid fa-
10. *ciendum ſit. Diligentiſſime inquirite,*
11. *qualis vita & ſcientia illorum ſit, quos*

offere

offeretis ordinandos, & cavete, ne donis seducti præsentetis indignos. Sæculum IX. A.C. 877.

Ubi novus Decanus constituendus est, electionem mihi reservate, si non procul absim; si vero in loco remoto existam, Decanum ad tempus constituite. Inde Decanorum ruralium antiquitatem dispicimus. 13.

§. XLVII.

Res Italiæ.

Carolo Imperatore fatis functo, Carlomannus Rex Bavariæ rursus in Italia regnandi, & ad Dignitatis Imperialis fastigium perveniendi spem concepit. Datis igitur ad Papam literis, promisit, quod majora in Ecclesiam Romanam beneficia, quam Antecessorum suorum ullus, collaturus esset. Papa respondit: *Mercedem ab illo recipies, qui promisit: quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. Quando reversus fueris a colloquio cum fratribus tuis, mittemus tibi illa omnia, in Articulos divisa, quæ Ecclesiæ Romanæ concedere debes. Postea adornabimus etiam Legationem solemnem, quæ te magnifice Romam deducat, ubi pro Bono Reipublicæ & Salute populi Christiani consilia capiamus. Rogamus te vero, ne, postquam adveneris, aures præbeas criminationibus quorumdam perfidorum, qui insidiantur vitæ nostræ, quacunque de-* ep. 63. 1. Reg. 2, 30.

Sæculum IX. A. C. 877.

mum ratione ad tuam notitiam pervenerint. Mittimus de more pallium, quod ut Theotmaro Archiepiscopo concederemus petiisti, & rogamus, ut te præsente singulis annis reditus patrimonii S. Petri in Bavaria positorum Romam mittat. Fuit is Archiepiscopus Salavienſis seu Salisburgensis, cui etiam Papa alteram scripsit Epistolam. Utraque vero mense Novembri anno octingentesimo septuagesimo septimo data erat. Postea visum est Papæ, se ipsum ad Carlomannum conferre.

Sergio Duce Neapolitano fœdera cum Saracenis, spreta Papæ excommunicatione, contumaciter servante, tandem ipsius frater Athanasius Episcopus captum, erutis prius oculis, Romam mittit, seque ipsius loco Ducem Neapolis proclamari jubet. Hoc factum Papæ omnino probabatur, quod ex Epistolis ad Episcopum & Neapolitanos datis cognoscimus. Dilaudat Episcopum, quod Deum plusquam fratrem amaverit, & quod secundum præceptum Evangelii: *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum, & projice abs te*, egerit, quod in Civitate Neapolitana dominatum hominum Sæcularium, sceleratorum, sustulerit, & constituerit virum Principem de domo Domini, qui in justitia & Sanctitate gubernet. Neapolitanis quoque suam lau-

ep. 66.

Matth. 5, 23. 37.

ep. 67.

dem

dem tribuit, quod a Sergio pœnas repoposcerint, atque Episcopum suum sibi Judicem & Ducem elegerint. Idque non sine numine Cæleſti factum putat. Ceterum ad Festum Paschale se ipsis mille quadringentas argenti marcas missurum pollicetur. Sequentia docebunt, quo spiritu ad hæc agenda Athanasius Episcopus impulsus fuerit.

Sæculum IX. A. C. 877.

v. Cang. Gloss. Marcus.

Tandem, cum Papa ab Imperatore Carolo nihil auxilii contra Saracenos accepisset, & parum opis a Carlomanno, vel ab aliis Principibus illa ætate regnantibus speraret, tandem in pacta cum Infidelibus consentire, & singulis annis viginti quinque millia marcarum argenti pendere coactus est. Tunc igitur ad accersenda a Basilio Imperatore subsidia adjecit animum, quod ex duabus Epistolis decima septima Aprilis anno octingentesimo septuagesimo septimo datis cognoscimus. Una scripta est Agoni Episcopo Beneventano, quem rogat, ut Epistolam adjunctam primo Græcorum militum Præfecto, qui in illas regiones perveniſſet, traderet, & instaret, ut saltem decem navigia leviora, Romanis præsidium, mitteret. Altera data est ad Gregorium, quem Basilius Imperator cum exercitu in Italiam miserat. Gratulatur Papa auspicatum adventum, & rogat, ut memorata decem navigia ad

ep. 46.

Sæculum IX. A.C 877. oras Romæ vicinas impelli jubeat, quo a piratis Arabicis mare purgaretur, cum procul dubio hæc res Imperatori displicere non posset.

§. XLVIII.

Paulus & Eugenius Constantinopolim Legati.

Anno uno exinde elapso, cum Basilius Imperator, duabus Epistolis ad Papam datis, Legatos ad se mitti petiisset, respondit Papa: *Ex geminis Epistolis tuis cognovi desiderium tuum pacem in Ecclesiam Constantinopolitanam reducendi; vehementer autem dolemus, quod, postquam tot labores susceperimus, nec dissidia omnia sint sublata, & multi viri Deo Sacri, adhucdum in variis locis dispersi persecutionem, a qua cunctos liberatos esse credebamus, sustineant.* Nempe necdum fracta erat factionis Photianæ potentia. Tum Papa prosequitur: *Mittimus vobis ad res componendas duos Legatos Paulum & Eugenium Episcopos, quorum consiliis uti solemus. Scientiam & fidem eorum habemus perspectam, eique mandata nostra in literis dedimus. Jussimus quoque, eos ad Regem Bulgarorum accedere. Hinc te rogamus, ut ipsis illo euntibus & revertentibus præsidium præstes.* Ceterum Paulus erat Episcopus Anconitanus, & Eugenius Ostiensis.

ep. 203.
ep. 68.

Huic

Huic Epistolæ juncta erat alia ad Ignatium Patriarcham data, in qua Papa dicit, Ignatium jam bis a se monitum fuisse, ut ab omni actu Jurisdictionis in Bulgaria abstineret. *Itaque hanc tertiam*, inquit, *canonicam admonitionem per Legatos & Epistolas nostras tibi insinuamus & præcipimus, ut sine mora in Bulgariam mittas viros sedulos, qui totam regionem pervadant, & omnes Clericos, quos tu vel Episcopi tibi subjecti ordinaverint, reducant; nec post unum mensem vel Episcopus vel Clericus a vobis ordinatus ibi superfit. Nam pati non possumus, quod isti novellam Ecclesiam a nobis plantatam suis erroribus inquinent. Nisi intra memoratum tempus illos revocaveris, & omni Jurisdictioni in Bulgariam renunciaveris, duobus mensibus post acceptas nostras has literas elapsis, a communione Corporis & Sanguinis Domini Nostri excluſus sis, donec obedias, & si in pertinacia perseveraveris, Dignitate Patriarchali, quam nobis faventibus recepisti, privaberis.*

Sæculum IX. A.C. 878.

Joannes VIII. ad Ignatium.

Tantus rigor in Sanctum Episcopum non satis opportune adhibitus videtur.

ep. 79.

Eadem severitas, quin major in Epistola, ad Episcopos Græcos in Bulgaria existentes, data notatur. Excommunicatos declarat, & Depositionis pœnam comminatur, nisi intra mensem ex illa

Sæculum IX. A. C. 878.

regione exceſſerint; econtra ſi morem geſſerint, promittit ſe eis illam Cathedram, quam in Græcia prius tenuiſſent, redditurum, aut aliam vacantem collaturum. In eadem cauſa ſcripſit Papa Michaeli Bulgarorum Regi, hortatus, ut a Græcis recederet, ne Hæreſi, in quam ſæpe auctoritate Patriarcharum aut Imperatorum ſuorum impulſi laberentur, & ipſe inficeretur. Tandem ſcripſit etiam Petro Comiti, olim ab eodem Rege, ſedente Nicolao Pontifice, Romam miſſo. Epiſtolæ iſtæ decima ſexta Aprilis, Indictione undecima, nempe anno octingenteſimo ſeptuageſimo octavo datæ, & omnes Paulo & Eugenio Legatis commiſſæ. Addidit Papa & aliam ad Imperatorem Baſilium, in qua commendabat eosdem Legatos, qui ei etiam verbis expoſituri eſſent, quam gravem perſecutionem ipſe ſuſtineret, & quæ nuper Romæ contigiſſent; nempe auxilium rogare juſſi erant.

ep. 76.
Sup. Lib. L. §. 54.
Sup. Lib. LI. §. 54.
ep. 81.

§. XLIX.

Multa a Lamberto Romæ vi perpetrantur.

Hic procul dubio Summo Pontifici ſerio eſt de perſecutione, quam ei Lambertus Dux Spoletanus inferebat. Hunc Principem a Carolo Imperato-

re

re (*) cum copiis subsidiariis, quibus Civitati Romanæ adversus Saracenos præsidium præstare imperatum erat, in Italiam missum, Papa sibi amicissimum venire credebat. Sed jam mense Octobri, anno superiore, octingentesimo septuagesimo septimo, cum Lambertus nomine Imperatoris petiisset, ut Romani ex primis stirpibus obsides sibi mitterent, & Papa in solemni conventu id retulisset, hanc postulationem cuncti indignantes rejecerunt. Scripsit ergo Lamberto Pontifex: *Non expedit, te rebus necdum pacatis Romam venire.* Et in alia Epistola dicit: *Ærumnæ, quas ab annis duobus, Infidelibus & compluribus aliis hostibus nos persequentibus, sustinemus, cogunt nos in Franciam ad Regem Carlomannum proficisci.* Francia dicebatur totum Francorum tam in Germania quam

Sæculum IX. A. C. 878.

Chr. Cass.

(*) Carolus Calvus Imperator anno octingentesimo septuagesimo septimo sexta Octobris obiit. Incertum vero erat, quis ex Regibus Francorum hanc Dignitatem esset consecuturus. An non ad securitatem tam Ecclesiæ quam Reipublicæ præstandam & pacem conservandam satius fuisset, Successioni hæreditariæ in linea primigenita locum dare? Sic enim sublato uno Imperatore non defecisset alter, spes imperandi autem omnibus aliis præcisa, & cupiditas & ambitio in cunis fuisset jugulata.

Sæculum IX. A. C. 878.

quam in Gallia Imperium. *Exhortor te igitur*, ſubjungit Papa, *ne interea Territorium S. Petri hoſtiliter invadas; quod ſi feceris, a Sacræ Sedis Communione excluderis.* Et poſt alia: *Relatum eſt ad nos, quod hoſtibus noſtris auxilia para* (nempe Formoſo Epiſcopo & Gregorio Magiſtro militiæ) *eos Romam reducturus ſis, ut in Bona ſua reſtituas. Unde rogamus te, amicum noſtrum per illam ſpem, quam in te poſuimus, ne modo Romam venias, ubi tibi honorem convenientem exhibere non poſſumus. Plura tibi Gaudericus & Zacharias Epiſcopi, quos ad te mittimus, aperient. Quod ſpectat ad Marchionem Adalbertum, certiſſime ſcias, nos venientem non eſſe recepturos, utpote hoſtem noſtrum manifeſtum.*

ep. 37.

Tandem, cum Lambertus ad Papam Epiſtolam dediſſet, & loco vocis: *Sanctitas tua*, ſcripſiſſet: *Nobilitas tua*, qui titulus viris præcipuis ſed ſæcularibus tribui ſolebat, atque reprehendiſſet, quod ſine ſua licentia Legationem adornaret, Papa, audaciam exprobrans, amicitiæ ipſius ſe renunciare declaravit.

ep. 84.

Tot admonitionibus ſpretis Lambertus cum Adalberto & exercitu, adjacentes agros depopulante, Romam movit, atque a Papa in Baſilica S. Petri ut amicus exceptus eſt. Ipſe vero, ſuis portas obſidere juſſis, urbem in ſuam poteſta-

Ann. Fuld. 878.

tem

tem redegit, ipsumque Papam in Ecclesia S. Petri, illa ætate extra civitatem posita, inclusit, nec ut Optimates, Episcopi, aut Presbyteri quin & familiares ad eum accederent, nisi diu multumque rogatus permisit. Imo etiam prohibuit, ne annona inferretur. Episcopi, Presbyteri, Monachi ad Basilicam S. Petri solemni ritu procedentes ad offerendum Sacrificium, pulsi & fustibus cæsi. Mense integro nudum Altare, & Ecclesia sine luminari fuit, Officia diei noctisque cessarunt. Pontificis hostes, videlicet Formosus & quos cum ipso condemnaverat, Romam revecti. Sæculum IX. A. C. 878. *ep.* 90.

Lambertus obtendebat, se omnia hæc ita perficere, sicut a Rege Carlomanno sibi imperata essent, atque etiam Romanos Principes huic Regi fidem jurare jussit. Attamen sibi ipsi Lambertus Imperium quærere dicebatur. Postquam Roma excessisset, Papa in Palatium Lateranense transferri jussit totum thesaurum Basilicæ S. Petri, jussit Altare cilicio sterni, claudi portas, cessare Officia Divina, & quod magis horrendum videbatur, peregrinos ex omnibus orbis partibus adventantes arceri. Ceterum Lamberto & conscriis excommunicatis, constituit ad Carlomannum ceterosque Francorum Reges se conferre, & querelas movere, quod Urbis Romanæ Sanctitas *Ep.* 85. 88. *Ann Fuld.* *Ep.* 84. *Ann. Bert.* 878.

Sæculum IX. A. C. 878.

tas fuisset violata. At Lamberto omnes vias terra obstruente navem in mari Thuscio vela facturam conscendit. Priusquam itineri se daret scripserat Papa Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi, pro-

ep. 82. positum sibi esse, in Francia Concilium universale celebrare, ut tantis Ecclesiæ malis mederetur, cum illud in Italia haberi non posset, & eum cum omnibus

ep. 84. suis Suffraganeis venire jusserat. Data quoque ad Joannem Archiepiscopum Ravennatensem Epistola, omnia, quæ evenerant, edocuit, jubens, ut ea Suffraganeis scriberet, & nemo ad partes Lamberti accedere auderet.

§. L.

Joannes Papa in Francia.

ep. 89. Ubi Joannes Papa Genuam pervenit, Epistolas ad Reges quatuor, Ludovicum Balbum, & tres Ludovici Germanici filios dedit, easque Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi, qui ad Papam se contulerat, deferendas tradidit. In

ep. 87. prima Epistola Papa Lambertum membrum Antichristi appellat, & acculat, quod e suis aliquos Tarentum misisset, qui pactis cum Saracenis conditionibus

ep. 88.89.90. copias ab ipsis conducerent. Ludovicum Balbum rogat, ut tres alias Epistolas Regibus patruelibus suis mittat, declarat, quod cum sibi a consiliis deligat, sicut

sicut habuisset parentem ejus, & potestatem convocandi Concilia tribuit. Citat deinde quoddam Scriptum seu Commentarium, in quo Actionis articulos fusius exposuerat. Arelatem pervenit Papa in Festo Pentecostes, undecima Maji anno octingentesimo septuagesimo octavo, ibique a Bosone & Hermengarde uxore, Ludovici Imperatricis filia, peramenter exceptus, Imperatrici deinde Angelbergæ Hermengardis Matri collocutus gratias egit, adjiciens, cupere se Bosonem ipsius generum ad altiora honorum culmina evehere, videlicet corona Regia ornare; quod anno sequente factum. Ut precibus hujus Principis, cui denegare nihil poterat, obsequeretur, Rostangio Archiepiscopo Arelatensi, non Pallium modo sed etiam Officium Vicarii Apostolici in Galliis contulit, præcipiens; absque ipsius facultate Episcopi ab Ecclesiis suis procul non discederent, ipse Synodos convocaret, & Quæstiones Fidei, duodecim saltem Episcopis præsentibus, definiret; valde difficilia autem Pontificis Judicio reservaret. Metropolitas quemquam ordinare prohiberet, priusquam Roma Pallium accepissent.

Sæculum IX. A. C. 878.

Ann. Bert.

ep. 92.

Papa, Bosone comitante, deductus Lugdunum, inde ex suis misit ad Regem Ludovicum Balbum, Turone commorantem,

Sæculum IX. A. C. 878.

rantem, qui suo nomine rogarent, ut ad locum, qui Regi commodissimus videretur, veniret. Misit Rex Episcopos ipsius nomine rogantes, ut Papa Trecas usque procederet, ubi celebrandum erat Concilium, eumque Episcoporum Regni sui expensis sustentari jussit. Cum Papa, *ep. 97.* Cabilloni ad Ararim diversanti, equi furto nocturno fuissent abacti, & famuli cujusdam Presbyteri Pontifici ministrantis in Monasterio Flaviniacensi scutellam argenteam surripuissent, Excommunicationem contra Sacrilegiorum istorum auctores & conscios promulgavit.

ep. 98. 99. In itinere scripsit duodecim Archiepiscopis, jubens, ut Suffraganeos suos ad Concilium adducerent, videlicet Rostangio Arelatensi, Ostramo Viennensi, Aureliano Lugdunensi, Roberto Aquensi, Teutramo Tarentasiano, Sigibodo Narbonensi, Ariberto Embrodunensi, Hincmaro Remensi, Ansegiso Senonensi, Frotario Bituricensi, Joanni Rotomagensi, & Actardo Turonensi. Scripsit peculiarem Epistolam Hincmaro Remensi, quanta viri merita essent non ignarus, & eum videre cupiens. Tres quoque Archiepiscopos Germaniæ cum suis Suffraganeis, nempe Luitpertum Moguntinum, Guilbertum Colonienſem, & Bertulfum Trevirensem datis literis vocavit, rogans ut Ludovicum Regem Germaniæ

maniæ fratresque ejus ad Concilium invitarent. Verisimile est, ideo Civitatem Trecensem celebrando Concilio fuisse delectam, ut Principes & Præsules transrhenani eo facilius illuc commeare possent. Sæculum IX. A. C. 878.

§. LI.

Concilium Trecense. (*)

Nihilominus nec Archiepiscopi, nec Reges, ipsorum Domini, quamvis Papa instantissime id petiissent, advenerunt, & in hoc Concilio tam solemni ritu convocato non occurrunt plures quam triginta Episcopi, videlicet Joannes Papa, & tres Episcopi Itali, ipsius in illa profectione Comites, Walbertus Portuensis, (*) Petrus Forosempronienſis, & Paschasius Amarienſis. Octo deinde Archiepiscopi, Remensis, Senonensis, Lugdunensis, Narbonensis, Arelatensis, Turonensis, Vesuntinus, Viennensis, & tandem Episcopi decem & octo, quorum præcipui fuerunt, Isaacus Lingonensis, Agilmarus Claromontanus, Ottulfus Trecensis, Guillebertus Carnutensis, Ingevinus Parisiensis, & Hedenulfus Laudunensis. (**) Sessio

(*) Tricassinum. *ep.* 117. 118. *to.* 9. *Conc. p.* 313.

(*) Unde cognoscimus, hunc Formoso depositio fuisse subrogatum.

(**) Hincmari Laudunensis viventis Successor.

Sæculum IX. A. C. 878

Sessio prima hujus Concilii in Ecclesia Cathedrali Trecensi S. Petro Sacra, die decima Augusti, anno octingentesimo septuagesimo octavo, priusquam omnes Episcopi convenissent, celebrata.

p. 307.

p. 309.

Jubente Pontifice recitata est oratio, quam præparaverat sperans, majorem in hoc Concilio futuram esse hominum frequentiam, quippe ad omnes Principes omnesque Orbis Præsules dirigitur. Hortatur, ut doloris sui participes esse vellent, & Ecclesiam Romanam ab injuria vindicarent, quam Matri omnium Ecclesiarum Lambertus & conjurati invaliissent. *Nos*, inquit, *& Episcopi Italiæ Fratres nostri in Basilica S. Petri sceleratos excommunicavimus, & Censura hujus Decretum in eadem Ecclesia suspendimus, quod omnes ingredientes & egredientes legant. Ergo & vos, Fratres mei, flagitiosos excommunicate & mecum anathematizate.* Episcopi hanc rem differri petierunt, usque dum Collegæ sui adveniissent.

In secunda Sessione Pontifex ad Episcopos, qui supervenerant, ait: *Ceteri Fratres nostri Ecclesiæ Romanæ necessitates perceperunt, volumus, ut & vos audiatis.* Cumque deinde in actis legeretur, quam efrenata violentia Lambertus Romæ omnia susque deque vertisset, legentem turbavit Concilium acclamati-

clamando: *Secundum Leges Civiles mor-* Sæculum IX.
te afficiendus est, & anathemate perpetuo A. C. 878.
percutiendus. Tum Concilium moram sibi concedi petiit, ad deliberandum, quid ad Pontificis postulationem scripto responderendum esset. Interim jussit Papa, ut latam a se excommunicationem omnes Metropolitæ suis Suffraganeis mitterent, quam in omnibus Ecclesiis promulgarent. Hincmarus autem Archiepiscopus dixit: *Secundum Sacros Canones damno illos, quos Sacra Sedes damnat, recipio, quos recipit, & teneo quod illa tenet juxta Scripturam & Canones.* Eadem Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis, aliique Episcopi professi sunt. *p.* 308.

Surgens deinde Rostangius Archiepiscopus Arelatensis Libellum Concilio obtulit contra Episcopos & Presbyteros, qui ab una Ecclesia ad aliam transibant, & contra viros, qui rejectis uxoribus suis, iisque adhucdum aura fruentibus sacrilego conjugio aliis jungebantur. Walbertus Episcopus Portuensis quæsivit, quid de hac re Concilium sentiret, & Hincmarus Archiepiscopus omnium nomine certum temporis spatium præstitui petiit, quo Canonum auctoritas ex conquisitis textibus adduceretur. Theodoricus Archiepiscopus Vesuntinus mulierem detulit, nomine Versindam, quæ, Sessio II.

Sæculum IX. A. C. 878.

postquam Velamen monasticum recepisset, prohibitas nuptias molita erat.

In Sessione tertia omnes hujus Concilii Episcopi Papæ Decretum tradiderunt, in quo consensum suum profitebantur. Erat vero Decreti Summa hujusmodi: *Domine, & Sanctissime Pater,* (*) *nos Episcopi Galliarum & Belgicæ famuli & Discipuli tui compatimur dolori tuo, & deflemus mala, quibus Ministri Diaboli Sanctam Matrem nostram ac Magistram omnium Ecclesiarum afflixerunt. Judicium tuum, quod secundum Canones pronunciasti, cum hostes Ecclesiæ gladio Spiritus interemisti, voce & mente unanimes sequimur. Quos excommunicasti excommunicatos tenemus, quos anathematizasti anathematizatos esse judicamus, quos receperit Sacra Sedes, postquam congrue satisfecerint, recipiemus. Sed nos quoque similia mala in nostris Ecclesiis lugemus. Hinc omni mentis humilitate deposcimus, ut nos adjuves, & regulas præscribas, quid nos contra prædones Ecclesiarum nostrarum agere oporteat. Ita nos & Successores*

(*) In ipsis Actis Conc. legitur: *Domine Sanctissime & Reverendissime Pater Patrum Joannes Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ videlicet Romanæ primæ Sedis Papa, nos famuli ac discipuli vestræ auctoritatis &c.*

res noſtri auctoritate tua muniti invaſores fortius repellemus, & pœnis canonicis comprimemus. Sæculum IX. A. C. 878.

Papa hoc Decretum Epiſcoporum propriis manibus lætus accipiens viciſſim Epiſcopis aliud tradidit, in quo omnes Bonorum Eccleſiaſticorum raptores excommunicabantur, niſi ante Calendas Novembris reſtituiſſent ablata. Si non reſipuerint, anathematis vinculo conſtricti remanerent, & ſi pertinaces obierint, nemo eorum corpora ritu Eccleſiaſtico ſepeliret. Deinde Pontifici & Concilio duo Libelli oblati. Unus contra Hincmarum Archiepiſcopum, & alter contra Ratfredum Epiſcopum Avenionenſem, quocum Walfredus Epiſcopus Uzetienſis de Jurisdictione in quamdam parochiam diſceptabat. Cum Epiſcopus Avenionenſis eſſet abſens, nihil amplius in hoc Concilio contra eum motum; ſed Papa judicium in hac cauſa ferendum Epiſcoporum litigantium Metropolitis videlicet Archiepiſcopis Arelatenſi & Narbonenſi reliquit, qui cauſam convocato ſufficiente Epiſcoporum numero in ipſis locis definirent.

p. 308.
p. 310. *n.* 3.
p. 308.
Joan. ep. 122.

§. LII.

Libellus Hincmari Laudunenſis.

Hincmarus Laudunenſis Libellum contra Avunculum ſuum tradidit, in

p. 315. *n.* 9. *Sup. n.* 10.

Sæculum IX. A. C. 878.

quo, sermone ad Papam directo, conquerebatur in hunc modum: *Cum Archiepiscopus Remensis me ad Concilium Duziacense vocasset, ut ad quosdam articulos responderem, & ego celeriter iter facerem, mediam viam emensus, abstrahor ab ovibus meis armatorum violentia, omnibus bonis spolior, & Duziacum deducor. Adventum meum praeverterat Rex Carolus, aderatque manu tenens libellum in quo me accusabat perjurii, quod aliquos ex meis, non petita ab ipso licentia, Romam misissem, & contra ipsum querelas movissem. Archiepiscopus jussit me respondere. Dixi, paratum me venisse ad respondendum circa articulos, propter quos ab ipso vocatus fuissem. Cumque urgeret, ut ad Regis querelam responderem, reposui, secundum Canones virum spoliatum, & inter armatorum manus custoditum, ad respondendum non teneri. Adjeci, Hincmarum Remensem dudum & merito mihi esse suspectum, quin imo etiam hostem manifestum. Itaque tam a Rege accusante, quam ab Archiepiscopo innocentem me vexante ad Sacram Sedem appellavi. Legi Canones afferentes auctoritatem Julii & Felicis Pontificum pro appellatione Episcoporum, & projecto in terram corpore obtestatus sum, ut quod per Canones mihi liceret, non prohiberer facere.*

Sæculum IX. A. C. 878.

facere. Præterea habebam apud me Papæ Epistolas, ante breve temporis spatium mihi redditas, in quibus mihi præcipiebat, ut omissa omni mora ad se venirem. Sed frustra omnia, nam Archiepiscopus sententiam Excommunicationis in me pronunciavit, quam ceteri Episcopi flentes & ingemiscentes (omnes enim me diligebant) legere coacti sunt. Adjecerunt tamen in fine Verba salutifera: Salva inprimis Sacræ Sedis auctoritate & Judicio. Missus deinde in exilium, custodior, & non nunquam vinculis ferreis adstringor. Elapso autem prope biennio, oculorum lumine, quo nihil homini carius, privor. Quamprimum libertate uti potui, veni, & jam pedibus tuis advolutus, rogo, ut secundum Canones de me decernas.

Tum Archiepiscopo Remensi tempus constitutum, intra quod ad has querelas responderet.

§. LIII.

Acta in Concilio Trecensi.

In Sessione quarta Concilii Trecensis nihil notatu magis dignum actum, quam quod Canones a Papa Joanne conditi lecti fuerint, atque a Concilio recepti & confirmati. Sunt numero septem, & ferme omnes ad rem Ecclesiarum temporalem spectant. *p. 308.* *p. 312.*

Sæculum IX. A. C. 878.

Epiſcopos cunctæ mundi poteſtates honorent. Nemo coram eis, niſi ipſis præcipientibus ſedere audeat. Laici res Eccleſiaſticas ſine Epiſcoporum conſenſu nullo modo contingant. Nullus vel a Papa vel ab aliis Epiſcopis Monaſteria, patrimonia, domos, agros ad Eccleſias pertinentes ſibi expetere præſumat, niſi illi, quibus per Canones id licet. Hic Canones anno ſuperiore in hac cauſa Ravennæ editi confirmantur. Epiſcopi vexationes, quas Collegæ & Fratres ſui ſuſtinent, non parvipendant, ſed unanimiter conjuncti, baculo Paſtorali & apoſtolica auctoritate ſuccincti pro Eccleſia Chriſti decertent. Clerici vel Laici ab Epiſcopis ſuis excommunicati ab aliis non recipiantur, ut ſic ad pœnitentiam arripiendam adigantur. Nemo alterius Vaſallum niſi in illis cauſis, in quibus Leges civiles concedunt, ſuſcipere præſumat. Epiſcopum occulte accuſare non liceat, ſed publice, ſicut antiqui Canones præcipiunt. Si quis contra hos Canones peccaverit, Clericus Eccleſiaſtico honore privetur, & Laicus cujuslibet Dignitatis careat Dignitate. Quod ultimo loco additum eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam excedit; ſed præſentia Regis, qui huic Concilio interfuit, hunc defectum ſupplere poterat.

Can. 1.

c. 2.

Sup. n. 22.

c. 4.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

n. 311. *n.* 4.

Poſt-

Sæculum IX. A. C. 878.

Postquam lecti fuissent novi Canones, recitata est in Concilio sententia secundo pronunciata contra Formosum Episcopum Portuensem & Gregorium Militiæ Romanæ Magistrum. Anathemate feriebantur, præcisa spe absolutionis, quod Reges & Principes suis libellis importune fatigarent, & partem suam de Ecclesiarum rapinis acciperent. Cuncti eorum Fautores seu Sectatores, Episcopi, Laici, potentes, & plebeji, uno anathemate involvebantur.

Jo. Ep. 319. Sup. n. 34.

In Sessione quinta Ottulfus Episcopus Trecensis contra Isaacum Lingonensem actionem movit, ob vicum, quem ad suam Diœcesim pertinere affirmabat. Theodoricus Archiepiscopus Vesuntinus libellum obtulit contra quosdam Suffraganeorum suorum, qui ad Synodum vocati necdum venerant. Lecti sunt Canones, qui Episcopos a minore Ecclesia ad pinguiorem transire vetant. Hæc querela peculiariter spectabat ad Frotarium Archiepiscopum Bituricensem, qui sua ex parte quoque querebatur, quod Comes Bernardus armata manu sibi Biturigas intrare volenti viam præcluderet. Ambos Papa ad Concilium venire jusserat, cumque Frotarius moras necteret, præcepit ei Papa tertio, ut veniret, & afferret Pontificum Epistolas, quibus Translationem suam approbari dicebat.

p. 308.

Sup. n. 39.

Concilium Trecense.

Ep. 104. 105. Conc. Tricas. n. 10.

Sæculum IX. A. C. 878.

In hac ergo causa lecti sunt Canones Concilii Sardicensis, Decretum Leonis Papæ, de Episcopis Sedem mutantibus, & Canones Africæ, qui eodem modo Episcopos transferre ac Baptismum vel Ordinationem iterare prohibent. Tandem Concilium Decretum condidit, quod Laicis prohibet, dimissis uxoribus suis, iisque luce fruentibus, alias accipere. Jubentur primam uxorem admittere, sicut etiam Episcopi relicta Sede minore majorem non retinere, sed sine mora ad priorem redire.

n. 5. p. 311.

Jo. ep. 115.

Frotarius ad Concilium advenit, cumque aptissime causam dixisset, obtinuit, ut secundo citaretur Comes Bernardus, qui eum accusabat, quod Civitatem Bituricensem Ludovici Regis inimicis prodere molitus esset. Sed Frotarius objecta sibi a Bernardo coram Concilio & Rege, qui tunc advenerat, facile diluturum se affirmabat. Itaque Bernardum Comitem cum Vicecomite Gerardo aliisque tribus, ad judicium secundum Canones & Leges subeundum iterum citatum, & venire recusantem Concilium excommunicavit, jam prius a Frotario excommunicatum.

ep. 120.

§. LIV.

Ludovicus Rex coronatur.

Conc. n. 11. ex Ann. Bert.

His peractis Joannes Papa, septima Septem-

ptembris anno octingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Ludovicum Balbum, etſi anno ſuperiore eum Hincmarus unxiſſet, Regem coronavit, (*) atque finito ſolemni ritu invitatus eſt ad eum inviſendum in Regia arce extra civitatem poſita. Unde, menſæ adhibitus, & poſt epulas tam a Rege quam ab uxore ejus donis cumulatus, Trecas remittitur. Juſſit deinde Rex, miſſis Proceribus, Pontificem ſuo nomine rogari, ut etiam uxorem ſuam Reginam coronaret; ſed impetrare non potuit, procul dubio, quod Regis nuptiæ Papæ non probarentur. Nam Rex Ludovicus prius uxorem acceperat Ansgardem ex nobiliſſima Francorum proſapia natam, ex qua duos filios ſuſceperat. Quia vero in deligenda

Sæculum IX. A. C. 878.

Sup. n. 44.

Ann. Met. 878.

(*) In Critica P. Pagi ad hunc locum lego: *Hæc Ludovici Balbi Coronatio a Joanne Papa peracta, Baronio anno ſuperiori Num. XVII. & hoc anno Num. XXXIII. aliisque non paucis erroris cauſa fuit. Exiſtimarunt enim Ludovicum Balbum Carolo Calvo patri in Imperium ſucceſſiſſe, cum tamen hæc Coronatio Regia fuerit non vero Imperialis, licet Joannes Papa in Ludovicum Balbum Imperium transferre ſtuduerit, ob idque a Romanis vexatus Urbe hoc anno excedere coactus ſit, uti refert Sigebertus in Chronico.*

Ceterum ipſe Ludovicus a titulo Imperatoris abſtinuit.

Sæculum IX. A. C. 878.

da uxore Regis parentis sui consensum non exploraverat, ille rejecta Ansgarde filium compulerat ad ducendam Adelheidem, quam Papa corona Regia ornare recusabat. Quippe etiam Ansgardis in vivis agebat. (*)

Tum

(*) Laude digniſſima eſt in hoc loco Joannis Papæ conſtantia.

Largiſſimus in Reges eſt Joannes Launoius in ſuo Tractatu: *Regia in Matrimonium poteſtas*, edito, Paris. 1674, cum Principibus non modo jus Matrimonia legibus civilibus coercendi, ſed etiam dirimendi tribuit. Verum audiamus R. P. Natalem Alexandrum in Artic. de Joanne VIII. Pontifice. *Scripſit ad Edredum Archiepiſcopum Anglorum* (Joannes Papa Ep. LXV.) *De Matrimonii indiſſolubilitate. Præclarum legitur hac in Epiſtola teſtimonium, quod hic ſubjicio, ut innoteſcat, quænam fuerit circa hancce quæſtionem Romanæ Eccleſiæ traditio. His autem*, inquit, *quos aſſeris uxores proprias contra præceptum Domini reliquere, præcipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, niſi cauſa fornicationis, diſcedere; quod ſi ob hoc diſceſſerit, manere innuptum vel innuptam, aut ſibi mutuo reconciliari: Quoniam dicente Domino, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; & ideo cum priorem ſibi legitimo matrimonio junctam quisquam deſerere nequeat, nulla ratione illi prorſus conceditur aliam, vivente priore, conduxi;*

Tum Frotarius Bituricensis & Adal- Sæculum IX.
garius Augustodunensis Joanni Pontifici A. C. 878.
tradiderunt Caroli Imperatoris literas, *Ann. Bert* 878.
quibus Filio suo Ludovico jam morti pro- *ibid. ann.* 875.
ximus Regnum donaverat, cum gladio S. Pe-

---

re; quod si fecerit, & non emendare sub satisfactione studuerit, ab Ecclesiæ consortio maneat separatus. Hoc Testimonium Joannes Launojus in Libro de Regia in matrimonium potestate, insigni & Bonis omnibus execranda fraude corrupit; ita enim scribentem Joannem VIII. refert: pag. 488. Et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur, aliam vivente priore ducere. Expunxit tria hæc vocabula interpolator, NULLA RATIONE PRORSUS. Sic etiam refert priora verba Pontificis: *PRÆCIPIMUS NEQUE VIRUM AB UXORE, neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis, discedere, quod si ob aliud discesserit, manere innuptum, vel innuptam. Scripsit Pontifex Joannes, quod si ob hoc discesserit, sed Launojo intererat mutare HOC in ALIUD. Quod significaret, Joannem VIII. fuisse in ea sententia, ut conjux discedens quidem, ob aliam causam quam fornicationem, debeat manere ἄγαμος: at vero ob fornicationem discedens, aliarum nuptiarum habeat potestatem.*

In Editione Operum Launoji Coloniæ Allobrogum anno 1731. pag. 842. tom. 1. omnino

Sæculum IX. A.C. 878.

S. Petri in signum Investituræ. Unde dispicimus, quod de Regno Italiæ & Dignitate Imperiali ageretur, cum de Regno Franciæ jam quæstio esse non posset, postquam illa corona Pontifex Ludovicum ante paucos dies decorasset. Petebant igitur duo Episcopi nomine Regis, ut Papa illam donationem Imperii, ab Imperatore Parente suo sibi factam, datis literis confirmaret. At contra Pontifex Abbatiæ San-Dionysianæ Donationem, quam a Carolo Imperatore Ecclesiæ Romanæ factam esse dicebat, produxit, petiitque, ut hanc Ludovicus Rex confirmaret, si vellet, ut ipse Donationem Imperii ratam haberet.

Crediderunt plurimi, hanc Donationem Monasterii S. Dionysii colludente Rege pactam, ut prætextum, illud Gozelino, Cancellario suo, & S. Germani de

---

no ita lego: *Et ideo, cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur, aliam vivente priore conducere.* Additque Launojus: *Quid clarius aut expressius?* Sed ego in his verbis sensum non reperio. Quomodo enim conceditur aliam vivente priore ducere, si priorem deserere nequeat? Alteram vero depravationem, cujus eum accusat Alexander in ista Editione non video, sed lego: *Quod si ob hoc discesserit.* Forte istud in posteriore Editione correctum.

de pratis Abbati, cui memoratum Monasterium contulerat, auferendi, sibique retinendi haberet. Ita utraque Donatio effectu caruit. Sæculum IX. A. C. 878.

§. LV.

Concilii Trecensis finis.

Decima Septembris, cum Rex ad Papam se contulisset, & familiariter collocutus fuisset, ambo in Concilium ingrediuntur. Illa die Excommunicatio pronunciata est contra Principem Hugonem Lotharii filium ejusque conscios, & nominatim, Emmonem, Bernardi Comitis fratrem, in patriam adhucdum grassantes, contempto juramento fidei, quam Hugo Regi Ludovico juraverat. *Jo. ep.* 12.

Tum, instantibus quibusdam Episcopis, & Rege consentiente, statuit Joannes Papa, ut Hedenulfus, Hincmaro subrogatus, Sedem Laudunensem teneret. Hoc autem modo Hedenulfus Cathedram Episcopalem Laudunensis Ecclesiæ conscenderat. Carolus Imperator, postquam Corona Imperii redimitus fuisset, Roma abiturus, a Pontifice literas obtinuerat, eadem die quinta Januarii anno octingentesimo septuagesimo sexto datas, & ad Hincmarum Remensem directas, quibus Sententiam Concilii Duziacensis contra Hincmarum Laudunensem latam confirmabat, Archiepiscopo præcipiens, ut sine dilatione in locum ipsius alium Episcopum eligi

Sæculum IX. A. C. 878.

eligi curaret, & addens, ad hanc electionem quemquam ab Imperatore delegatum esse vocandum, qui tumultuantes coerceret. Unde, ut his mandatis satisfieret, Hedenulfus a Clero & populo consentiente Rege canonice electus, quod ex Decreto Electionis vigesima octava Martii anno octingentesimo septuagesimo sexto dispicitur, & Papæ auctoritate consecratus est. Ergo Joannes Papa in Concilio, ut diximus, decrevit, ut Hedenulfus Sede Episcopali non cederet, Hincmarus vero cœcus, si vellet, Missam cantaret, & partem de reditibus Ecclesiæ acciperet. Atque Rex consentiebat. Cumque Hedenulfus licentiam ab hac Sede discedendi peteret, quod corporis infirmitate premeretur, & in Monasterium se recipere cuperet, eam non modo non impetravit, sed etiam Papa, Rege & Episcopis, qui Hincmaro favebant, consentientibus, ei districte præcepit, ut Sedem suam teneret, & Ministerio Episcopali fungeretur. At vero amici Hincmari cœci, facultate a Pontifice ipsi facta usi, eum vestibus Sacerdotalibus indutum, Papæ subito sistunt, mirantibus ceteris Episcopis, moxque in Ecclesiam cantantes volentem deducunt, & ad benedicendum populo (*) invitant.

ep. 314.

to. 9. Conc. p. 280.

Sub

(*) Nec ex verbis Fleurii, nec ex Actis Conc. satis

Sub finem Concilii Papa Episcopos allocutus est in hunc modum: *Fratres & Coepiscopi mei, volo, ut mecum operam jungatis, cum omnibus Vasallis vestris armatis, ad defendendum Ecclesiam Romanam, donec in Sedem Beati Petri Apostoli revertar, & rogo, ut mihi certum sine dilatione detis responsum.* Tum ad Regem conversus, *rogo te, carissime fili,* inquit, *ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ celeriter opem feras, quod Antecessores tui fecerunt, & tibi, ut facias, mandata reliquerunt. Nam Ministri Dei estis, nec sine causa, sed in vindictam malorum, gladium portatis; ne forte, quod absit, eadem pœna, quæ aliquando veteres Reges, Dei inimicis intempestive parcentes, attrivit, vos & regnum vestrum maneat. Si aliud vobis videtur; per Deum & Sanctum Petrum obtestor, saltem in hoc loco sine mora respondete.* Nullum Regis vel Episcoporum legitur responsum. Non enim credebant, Pontificis esse præscribere Regi, (*) qua potissimum ratione ne

Sæculum IX. A. C. 878.

Concilium Tricassinum.

satis dispicitur, an Hincmarus cœcus exinde solus Episcopus Laudunensis fuerit, & Hedenulfus ad Asceterium convolaverit.

(*) Asper admodum in hoc loco est Fleurius Joanni Pontifici. Non enim semper præcipit, sed etiam rogat; & in tantis Ecclesiæ periculis utrumque facienti quis succenseat?

Sæculum IX. A. C. 878.

ne viribus ſuis, & jure gladii uti deberet, aut imperare Epiſcopis, tanquam rerum temporalium Dominis, Regisque vaſallis. Suæ ipſis copiæ erant neceſſariæ ad ſerviendum Regi, & ad ſe ipſos contra Normannos & pravos Chriſtianos tuendum. Nihilominus juſſit Rex, Epiſcopos ad ferendum Papæ auxilium proficiſci, ſed ſolus Agilmarus Claromontanus Papam in Italiam redeuntem comitatus eſt, quo eum Boſo cum valido præſidio deduxit. Papa hunc Epiſcopum in Franciam remittens datis literis Regem rogavit, ut ceteros Epiſcopos ſine mora cum militibus ſuis Romam contendere compelleret. Itaque hoc Concilium Trecenſe, quod Joannes Papa tanta mole coegerat, Reipublicæ Romanæ parum emolumenti & multo minus Eccleſiæ attulit.

Jo. ep. 125.

Conc. Tricaſſ. n. 11 & 13.

In Concilio Trecenſi Joannes Papa quædam privilegia diverſis Franciæ Eccleſiis, nempe Turonenſi, Pictavienſi, & Monaſterio Floriacenſi ad Ligerim conceſſit. Prorſus ſingulare autem illud fuit, quo ſexta Septembris Walam Epiſcopum Metenſem, tribuens ei Pallium, donavit; quam vero prærogativam non ipſius Eccleſiæ ſed Perſonæ annexuit. Sed cum anno ſequenti ad notitiam Bertulfi Archiepiſcopi Trevirenſis Metropolitæ, cui Eccleſia Metenſis ſuberat, perveniſſet, quod

to. 9. Conc. p. 239.

quod Wala in Festo Resurrectionis Dominicæ Officium Divinum Pallio insignis peregisset, Treviros accersitum interrogavit, quis ei hanc potestatem feciſſet. Wala privilegium Pontificium publice recitari a suis jussit, dicens, quod Antecessores sui quatuor Urbicius, Chrodegangus, Angelramus, & Drogo, Pallio usi fuissent. Contra vero Bertulfus prælegi Canonem præcepit prohibentem, ne Suffraganeus quocunque privilegio, quo non omnes Anteceſſores ejus gavisi fuissent, sine Metropolitæ sui consensu uteretur, eumque amplius Pallio indui vetuit. Unde magnum inter Metropolitam & Suffraganeum ortum dissidium. At postquam Wala Hincmarum Archiepiscopum hac de re consuluisset, suasit ille, ut se Metropolitæ sui præcepto submitteret, ambosque reconciliavit. Sæculum IX. A. C. 878. *Flod. L. III. c. 23. p. 491.*

Concilio Trecensi jam soluto, Hincmarus Remensis apud Pontificem accusatur, quod Decretales Epistolas Pontificum non reciperet. Additi erant & alii Articuli. Unde coactus est Hincmarus ad scribendum Apologeticum, quod ad nostra usque tempora non pervenit. In eo autem dicebat; quod Decretales a Conciliis approbatas reciperet. Rationem de iis reddebat, quæ in causa nepotis sui Episcopi Laudunensis & Hedenulfi Successoris ejus acta fuerant. Tandem *Flod. L. III. c. 21. p. 427. c. 29. in fi.*

Sæculum IX. A.C. 878.

etiam de illis, quæ ad Carlomannum pertinebant.

Joannes Papa in Italiam reversus de Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi querebatur, quod in cauſis Eccleſiæ ſe non adjuviſſet. Præcepit deinde, ut cum omnibus ſuis Suffraganeis, ſecunda die Decembris ad celebrandum Concilium Ticinum veniret. Joanni Epiſcopo Ticinenſi in mandatis dedit, ut Suffraganeos Eccleſiæ Ravennatis tunc defuncto Joanne Archiepiſcopo vacantis, atque inter alios, Epiſcopum Parmenſem, Placentinum, Regienſem, & Mutinenſem convocaret. Dicit Papa in illis mandatis, Epiſcopum Ticinenſem ſoli Papæ eſſe ſubjectum, eique & Succeſſoribus poteſtatem tribuit convocandi ad Synodum Epiſcopos Sedibus Mediolanenſi & Ravennati ſubjectos. His vero præcipit, ut Ticinenſi obedirent. In Sede Ravennate ſucceſſit Romanus, Diaconus, cui Papa datis literis Dignitatem Archiepiſcopalem gratulatus eſt. Sed nullus Scriptor memorat, an Concilium, Ticini indictum, locum habuerit; verum ex Epiſtolis Berengarii Comitis & Supponis videmus, in hoc Conventu tam de rebus politicis, quam Eccleſiaſticis agendum fore.

ep. 116.
ep. 117.
ep. 141.
ep. 142.
ep. 139.
ep. 134.
ep. 128. 130. 131.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LIII.

JOANNES VIII. PAPA.
CARLOMANNUS REX GERMANIÆ,
BASILIUS IMPERATOR
ORIENTALIS.

§. I.

Photius revocatur.

Ex quo Photius depositus, & in exilium missus fuerat, nempe annis abhinc octo, viam nullam intentatam reliquerat, qua ad fastigium, unde dejectus fuerat, denuo posset ascendere. Imprimis nullis ingenii sui ad fraudes facti

Sæculum IX. A. C. 878.

Nicet. vit. Ign. p. 1250.

Saeculum IX. A.C. 878.

viribus parcebat ad nocendum Ignatio Patriarchæ; sed cum viri Sanctitas nullam calumniis ansam præberet, ad alia conversus consilia, Basilii Imperatoris favorem sibi conciliandum existimavit, & nihil opportunum magis occurrit, quam, edita conficta Genealogia, hujus Principis ambitionem palpare. Ergo Basilii genus deducebat a Tiridate Armenorum Rege, quo nullus fama clarior, nomina & rerum gestarum seriem, ut lubebat, commentus, usque ad Basilii patrem, quem nuncupabat *Beclas*, voce ex primis literis nominis ipsius Basilii, uxoris ejus Eudociæ, & quatuor filiorum, Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani, composita. Huic fabulæ addidit, editum oraculum; Basilii Regnum ceterorum omnium Cæsarum, qui ipsum præcessissent, felicius & longius futurum, & sexcenta alia, quæ Basilii ingenio arridere sciebat.

Photius præclarum hoc opus in antiquissimis chartis literis Alexandrinis scripsit, quantum poterat veterum scribendi modum imitatus. Tum vetustissimi cujusdam libri tegumentum accipiens, illo volumen suum contegit, jubetque in magna Palatii Bibliotheca deponi. Fraudis conscius erat Theophanes, Imperatori ab Epistolis, qui eidem ob eruditionem carus postea ad Cathe-

dram

dram Ecclesiæ Cæsarienſis in Cappadocia evectus est. Is igitur Photio colludens, & tempus opportunum nactus, Imperatori hunc librum ostendit, tanquam omnium in Bibliotheca Cæsarea admiratione digniſſimum, nequiter adjiciens, nec se nec quemquam alium præter Photium esse, qui eum posset intelligere. Illico ad Photium mittitur, qui, nemini se indicaturum esse arcanum, respondit, quam Imperatori, de quo scilicet liber scriptus esset. Fefellerunt veteratores Basilium, qui secreta sciendi cupidine captus permisit, ut revocatus Photius in gratiam rediret. Jamque vix unquam a Principis latere avellebatur, nec ullius sermonibus magis quam Photii, nam lepidus & versutiſſimus erat, Basilius delectabatur. Sæculum IX. A. C. 878.

Præterea Photius in socium & adjutorem sibi adscivit quemdam Theodorum Sycophantam, cognomento Santabarenum, ita appellatum a nomine patris sui, qui Religione Manichæus & arte Necromantica imbutus, cum nescio quis ejus flagitia vulgasset, fugit ad Bulgaros, adhucdum paganos, & a fide defecit. Tanti patris filius Theodorus Constantinopoli relictus, juvenis, Monachis Studienſibus a Barda Cæsare traditur, apud quos professus est vitam asceticam. Photii clientibus deinde adscri- *ep. Styliam. to. 8. Conc. p. 1402.* Photii malæ artes.

Sæculum IX. A. C. 878.

ptus, cum ille primo in Sedem Constantinopolitanam fuisset intrusus, Theodorus Episcopus creatus est, & Magistro suo ex illa Cathedra pulso suasit, ut quosdam in Palatio Cæsareo præfectos sibi conciliaret. Quin Theodorus & Photius in-

Nice. p. 1253 gentibus donis quemdam nomine Nicetam Imperatori Basilio a Cubiculis corrupisse ferebantur, qui potionibus & epulis medicatis a Theodoro acceptis, & Imperatori appositis effecisset, ut odium Photii in amicitiam verteretur.

Ut ut ista se habeant, Photius Theodorum Abbatem Imperatori commendavit, tanquam virum non modo scientia & sanctitate insignem, sed etiam prophetiæ dono clarum. Unde postea nemo frequentius Theodoro Imperatoris lateri hærebat.

Photius igitur istius hominis opera usus Ignatium Patriarcham dejicere, & in Sedem suam redire conabatur; sed intelligens, id levi brachio fieri non posse, omnem lapidem movere cœpit, ut Ignatius ipsum tanquam Episcopum haberet. Ille vero importunis precibus aures occludens a Canonum præscripto nec latum unguem discessit, quibus ille restitui prohibetur, quem Concilium deposuit, nisi auctoritate majoris Concilii. Præterea Ignatius se ipsum periculo Depositionis exposuisset, si sententiam a se latam

latam id est opus suum destruxisset. At Photius, cui Canonum erat ultima cura, proprio arbitrio Ministerium Episcopale rursus usurpavit, & in Palatio, quod Magnaurus dicebatur, commorans, atque Imperatoris indulgentia abutens, Monachorum Exarchos constituebat, nec non Clericos ordinabat. Sæculum IX. A. C. 878.

§. II.

S. Ignatii obitus.

Inter hæc Ignatius Patriarcha, prope octogenarius, morbo correptus ad extrema deducitur. Media nocte, Clericis apud ipsum Officium recitantibus, & lectore de more Benedictionem petente Signum Crucis supra os ipsius formavit, quærens; *Cujus Sancti hodie memoria celebratur*? Et, qui proximi adstabant, respondentibus: *S. Jacobi, Fratris Domini, amici tui*, sancta animi humilitate dixit: *Est Magister meus*. Moxque cunctos præsentes ultimo salutans & Benedictionem impertiens, animam exhalavit, (*) vigesima tertia Octobris, quam *Id. p.* 1243.

(*) Ad hunc locum in Cardinali Baronio lego: *Offendi facile quisque poterit, qui audierit recitatam superius* † *Joannis Papæ Epistolam ad ipsum Ignatium datam, qua nimis perstringit ipsum, & a Communione Catholica*

† *L. LII.* §. 48.

Sæculum IX. A.C. 878.

diem Græci S. Jacobo Apostolo Sacram habent. Defuncti S. Ignatii corpus habitu Pontificio vestitum est, & superimposita Epomis, seu Pallium, ipsi ante aliquot annos Jerosolyma missum, quod tanto in pretio habuit, ut illud secum sepulchro inferri jusserit. Ita in feretro ligneo ad S. Sophiam deportatur, & preces consuetæ recitantur. Mox varæ, in quibus jacuerat, & pannus, quo tectus fuerat, a populo diripiuntur, cupiente reliquias Viri Sancti servare. Translatus est postea S. Ignatius in Ecclesiam S. Menantis, ubi interim quievit, & duæ mulieres a Dæmone possessæ fuerunt liberatæ. Tandem Lembo imponitur, & in Ecclesia S. Michaelis ab ipso extructa tumulo marmoreo includitur; ubi editis miraculis claruit. Agebatur annus octingentesimus septuagesimus octavus, postquam Sedem Constantinopolitanam, si etiam tempus, quo eam Photius invasit,

Menol. 23. Oct.

Sup. Lib. XLVIII. §. 38.

---

tholica segregat, nisi intra dierum triginta spatium revocet ab eo ordinatos Episcopos Bulgariæ. Quamvis autem ista ab Ignatio impleta minime inveniantur, constat tamen eumdem semper usque ad obitum & post obitum in Catholica Romanæ Ecclesiæ Communione fuisse retentum . . . . cum quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendere, juramento teneretur obstrictus. &c. Edit. Col.

sit, computetur, annis plus quam triginta tenuisset. Eum Ecclesiæ Græca & Latina honore Sanctis debito die qua obiit prosequuntur. Sæculum IX. A. C. 878.

Menol. & Mart. Rom. 23. Octobr.

§. VII.

Photius restituitur.

Necdum triduum effluxerat, cum Photius, occupata iterum Sede Constantinopolitana, defuncti Patriarchæ amicos & servulos flagris, carcere, exilio, & nullo non pœnarum genere vexare cœpit. Multos, qui ejus reditum tanquam Regulis Ecclesiasticis contrarium prohibere conabantur, variis modis afflixit, alios muneribus, Dignitatibus Translatione ab una Ecclesia ad pinguiorem in suam Communionem pertraxit. Adversarios calumniis opprimebat, accusans eos impudicitiæ, quam omnes Boni abominantur; sed crimina turpissima diluebantur, simul ac aliquis ipsius Communionem amplectebatur, & qui heri sacrilegus, fur, latro, scortator fuerat, hodie Photii Collega, Frater & Præsul venerabilis habebatur, quem non modo Dignitati Episcopali restituebat, sed etiam ad Sedem majorem evehebat. Fuere, quos hac arte sæpius a se depositos sæpius restituit. Aliqui Concilio Oecumenico adhærentes, in quo Photius depositus fuerat, eum recipere constanter recusarunt.

Sæculum IX. A. C. 879.

runt. Hos ille terrore minisque ad communicandum secum compellere tentavit, &, quos frangere non potuit, Sororio suo, Leoni *Catacalæ*, quem Prætorianis præfecerat, tradidit. Erat vero iste hominum crudelissimus, qui complures, quorum durabat constantia, necavit, alii tormentorum vi fracti sunt. Nihil magis cordi erat Photio, quam Episcopos ab Ignatio ordinatos deponere, & depositos restituere; sed quia id Imperatori non probabatur, ab Ignatio ordinatos iterato ordinare aggressus est. Cumque videret, hanc molitionem omnibus horrori esse, Palliis, Stolis, ceterisque Sacerdotii Insignibus coemptis, preces in Ordinatione Episcopi dici solitas, occulte super eos recitabat. Quod summæ gratiæ loco habendum existimabat, ab iisque, quos secundo ordinabat, Sacramenta & promissa scripta exigebat, ipsius partibus semper futuros addictissimos.

vit. Ign. p. 1258. *ep. Styl. p.* 1406.

Photius.

Photius, Euphemiano vi expulso, Sedem Euchaitensem in Natolia Theodoro Santabareno contulit, quam ille cupiebat; quin etiam Metropolitarum vicinorum Jurisdictioni tot Sedes Episcopales, quot Theodoro videbatur, subtraxit, eique subjecit, quem idcirco *Protothronum* id est, primæ Sedis, Patriarchæ Constantinopolitano subditæ, Episcopum pro-

pronunciavit, & in quolibet conventu sibi proximum considere jussit. Nicephorum, Metropolitam Nicenum, Sedi suæ renunciare, & regimine cujusdam hospitii contentum esse compulit. In Sedem vero Nicenam Amphilochum Zyzicenum imposuit, quo post breve temporis spatium fatis functo, in ejus locum Gregorium Syracusanum subrogavit. Huic etiam paulo post mortuo Photius Orationem funebrem, in qua defunctum illustrissimis Ecclesiæ Patribus æquiparabat, concinnavit. Sæculum IX. A. C. 879.

Haud diu post quam Photius Ecclesiam Constantinopolitanam denuo invasisset, nempe eodem anno octingentesimo septuagesimo nono Imperator Basilius Constantino filio suo natu maximo, quem jam primo Regni sui anno Imperatorem coronari jusserat, orbatus est. Hunc principem in flore ætatis correptum maligna febris intra paucos dies e vivis sustulerat; Photius vero, ut summum dolorem Imperatoris leniret, Constantinum Sanctorum numero adscribere, Ecclesiasque & Monasteria ejus honori consecrare ausus est. Quin ferebatur Santabarenus, Imperatori in silva iter facienti spectrum equitans, & aurea chlamide splendescens objeciisse, quod cum Parens, filium suum adesse ratus, affectu decepto fuisset amplexus, ipsius oculis ereptum

Sæculum IX. A. C. 879.

ptum fuisset. At Catholici præmaturam juvenis Regii mortem divinæ vindictæ adscribendam esse crediderunt, quod Photius fuisset revocatus. Illud quoque non sine Numine accidisse dicebant, quod magna civitas Syracusana, Siciliæ caput, Græcorum imperio erepta, a Musulmannis ex Africa capta fuisset, populus in captivitatem abstractus, Ecclesiæ incensæ, urbs tota eversa. Ceterum et illa ruina Syracusæ nunquam satis resurgere potuerunt.

Simeon. Mag. n. 17.

Ep. Stylia. p. 1403.

Qui Photium nolebant recipere, præter alia argumenta afferebant, quod in ejus reditum Papa non consensisset. (*) Ut ergo haberet, quod iis responderet, & simplices falleret, duos Legatos Paulum Episcopum Anconitanum & Eugenium Episcopum Ostiensem a Joanne Papa in causa Bulgarorum Constantinopolim missos corrupit. Hi enim Ignatio jam defuncto Constantinopolim pervenientes, primo quidem cum Photio communicare recusarunt, postea vero tum Photii muneribus illecti, tum Imperatoris comminationibus territi præsentibus Episcopis, Clericis populoque dixerunt, se

Sup. Lib. LII. §. 49. Joa. ep. 21.

(*) Invincibile fuit hoc argumentum, deductum a necessitate Hierarchiæ, sine qua sexcentas Ecclesias a Romano-Catholica temere separatas misere languescere hodieque videmus.

se a Joanne Papa fuisse missos ad Ignatium anathematizandum, & Photium in Dignitate Patriarchali confirmandum. Quæ res complures Episcopos decepit. Sæculum IX. A.C. 879.

§. IV.

Photius Apocrisiarium Romam mittit.

Tunc vero Photius Romam misit Theodorum, quem in exilio degens Metropolitam Patræ ordinaverat; sed eum deinde per contemptum Episcopum Aphantopolitanum, id est, civitatis non existentis, appellarunt. Huic igitur Romam pergere jusso tanquam suo Apocrisiaro epistolam dedit, Joanni Papæ reddendam, in qua dicebat; jam se a cunctis hominum ordinibus secundo compulsum fuisse Patriarchalem Sedem conscendere. Atque ut fidem faceret, Epistolæ addidit libellum, cui subscripserant Metropolitæ; hos enim deceperat mentitus, necesse esse, ut pactis quibusdam Ecclesiæ lucrativis sed secretis nomen apponerent. Annulos vero eorum clam surripi præceperat a Petro sibi a Secretis, qui deinde in astutiæ præmium a Photio Sedem Metropoliticam Sardensem accepit.

Præterea Photius ad Papam misit Epistolam commentitiam, Ignatii Patriarchæ, aliorumque Episcoporum nomine scri-

Sæculum IX. A. C. 879.

scriptam, in qua rogare fingebantur, ut Photium reciperet. (*) Huic junctæ quoque erant Basilii Imperatoris literæ, in quibus Photius commendabatur. Cum illi, qui hanc Legationem susceperant, ineunte mense Aprili anno octingentesimo septuagesimo nono in Italiam perveniissent, Gregorius *Bailus*, seu Imperatoris Basilii in Italia Vicarius, misso tabellario Papam monuit, Græcos hospites per civitatem Capuanam commeaep. 168. turos. Unde Papa datis ad Pandenulfum illi civitati præfectum literis, hortatus est, ut eos tuto Romam usque perep. 169. duceret. Simul ipsi Vicario scribens, profitebatur, quam ardenti desiderio teneretur, pacem in Ecclesiam Constantinopolitanam reducendi, promittebatque, se Legatos convenienti honore excepturum. Haud diu post rursus scripsit Pa-ep. 178. pa, omnia se dispositisse, quo securi iter facerent, rogans, ut eos per civitates Beneventum & Capuam dirigeret.

Hæc

(*) Non satis clare hæc narrat Fleurius; quid prius quid postea factum fuerit. Nam hanc Epistolam a Photio missam fuisse, Ignatio adhucdum in vivis agente, necesse est. Interim contra Protestantes vel ab ipso Photio argumentum clarissimum eruitur, ipsum sibi persuasum habuisse, nunquam futurum, ut ab universali Ecclesia legitimus Patriarcha haberetur, non consentiente Romano Pontifice.

Hæc Epistola sexta Maji anno octingentesimo septuagesimo nono data. Paucos ante dies Papa, cum tres Monachos a Theodosio Patriarcha Jerosolymitano ad se delegatos dimitteret, in Epistola ipsis commissa, excusabat, quod longo tempore eos detinuisset, cum se in Francia commorante venissent. Quia vero eleemosynam modicam illo mittebat, rationem reddit, quod Romani a Paganis gravissime premerentur. Sæculum IX A. C. 879. *ep.* 170.

§. V.

Concilium Romanum.

Prius autem, nempe quinta Martii anno octingentesimo septuagesimo nono, Pontifex Romanum Neo-Archiepiscopum Ravennatem cum omnibus suis Suffraganeis ad Concilium Romæ vigesima quarta Aprilis celebrandum vocaverat, quo servarentur Canones, inquiebat, præcipientes, bis in anno Synodos convocari. *ep.* 153. Distulit deinde istud Concilium ad diem primam Maji, jubens, ut etiam Anspertus Archiepiscopus Mediolanensis cum omnibus suis Suffraganeis veniret, & indicans, in illo Conventu præter causas Ecclesiasticas etiam de electione Imperatoris agendum esse, cum Carlomannus, Rex Bavariæ, aliunde quidem, nempe jure sanguinis, aptus Imperio, bella pro Ecclesiæ libertate movere *Ep.* 155.

Sæculum IX. A. C. 879.

valetudine impediretur. Tum Papa Anſperto exprobrat, quod ad Concilium, etſi ter vocatus, venire neglexiſſet.

Nempe, ad Concilium anno ſuperiore Ticini indictum. Sed nec ad Concilium Romanum Anſpertus venit, uti indictum fuerat, prima Maji anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono celebrandum. Quare Papa eum data Epiſtola acriter increpat, quod non miſiſſet ſaltem Legatum cum literis, qui abſentiæ cauſam attuliſſet. Igitur ſignificat, quod in hoc poſteriore Concilio ipſum Communione Eccleſiaſtica privaverit, & diſtricte præcipit, ut ad Concilium duodecima Octobris eodem anno Romæ celebrandum certo certius veniret.

ep. 181. 182.

§. VI.

Pontificis Literæ ad Sclavos.

Inter hæc Summo Pontifici redditæ ſunt Epiſtolæ cujusdam Principis Sclavi, nomine *Branimir* vel *Barnimer*, quem eundem ac *Predemirum* Serviæ ac Dalmatiæ Principem fuiſſe credunt. Is profitebatur, velle ſe cum omnibus ſibi ſubditis ſub obedientiam Sacræ Sedis redire, a qua ipſos a Græcis abſtractos fuiſſe conjicere licet. Hos Papa paterno affectu amplexus eſt; quod ex ipſius literis tum ad hunc Principem & ad Epiſcopos illius Regionis, tum ad populum ipſi ſubjectum

Cang. famil. p. 278.

ep. 184. 185.

jectum datis videmus. Utrique autem Epistolæ dies septima Junii anno octingentesimo septuagesimo nono apposita est. Eaque Joanni Presbytero illius Principis Legato, atque etiam altera, Regi Bulgarorum scripta, commissa. Nam Branimirum rogat Pontifex, ut eam ad illum Regem deferri curet. In ea Pontifex Regem hortatur, ut sub Jurisdictionem Ecclesiæ Romanæ redeat, ad quam conditionem implendam Legatum se missurum spondet. Idem Joannes Presbyter Epistolam ad Clericos Ecclesiæ Salonensis, Sede Vacante, & Episcopos Dalmatiæ deferebat, in qua ipsis cum comminatione excommunicationis præcipiebat, ut quem Archiepiscopum elegissent, ad se mitterent, Consecrationem & Pallium de more accepturum, nec opinionem Græcorum aut Sclavorum sequerentur.

Sæculum IX. A. C. 879.

ep. 189.

Præterea Joannes Presbyter Pontifici reddiderat Epistolam *Tuentari*, Moraviæ Principis, qui de quibusdam articulis fidei, quam sequi oporteret, dubitabat. Respondet Papa, Fidem Romanæ Ecclesiæ esse tenendam, & addit: *Quia ad nos delatum est, Methodium Archiepiscopum vestrum, ab Hadriano Papa ordinatum & ad vos missum alia docere, quam ea, quæ in ejus Fidei Confessione coram Sacra Sede deposita continentur, præci-*

ep. 194.

Sup. Lib. L. §. 54.

Sæculum IX. A. C. 879.

pimus, ut ad nos veniat; sic enim ex ore ipsius, an Orthodoxus sit, intelligemus.

Ep. 195.

Altera etiam erat Epistola ad ipsum Methodium data, in qua Summus Pontifex dicit: *Illud quoque comperimus, quod Missam cantes lingua Sclavorum, quod ut faceres jam prius in Epistolis nostris a Paulo Episcopo Anconitano delatis tibi prohibuimus. Volumus ergo, ut Missam vel Latine vel Græce, more totius Ecclesiæ in omnibus Orbis partibus recepto, celebres. Verbum Dei autem lingua, quæ illi populo patria est, prædicare licet.* Joannes Papa videtur ignorasse, Syros, Ægyptios, Armenos omni tempore Missam lingua patria celebrasse.

§. VII.

Papæ Epistolæ Constantinopolim datæ.

ep. 199.

Tandem mense Augusto, hoc anno octingentesimo septuagesimo nono Joannes Papa remisit Legatos Constantinopolitanos cum Epistolis faventibus Photio, quem ut Patriarcham legitimum agnosceret, contra omnes Regulas Disciplinæ Ecclesiasticæ & Antecessorum suorum exempla, adduci se passus est.(*)

Tanto

(*) Ad hunc locum R. P. Antonius Pagi hæc habet: *Obtinuere præter omnem spem Le-*

gati.

Tanto Joannes flagrabat desiderio Basi- Sæculum IX.
lium Imperatorem sibi conciliandi & ad A. C. 879.
subveniendum Italiæ præsertim Urbi ad- *to.* 8. *Conc.*
versus infesta Saracenorum arma per- *p.* 1415.
movendi. In Epistola ad Imperatorem
Papa dicit; quod ipsius precibus stimu-
Tt 3 latus,

gati, quæ pro Photio petierunt, indeque Baronius Num. V. arbitratus est, Joannem VIII. ob nimiam facilitatem contumeliæ loco Papissam dictum fuisse, sicque jactatam fabulam locum dedisse Joannæ Papissæ. Placuit magnis viris illa Baronii conjectura, & hujus exemplo Papebrocius in Conatu Chronico historico suspicatus est, pusillanimitatem non Joannis VIII. sed Joannis VII. in non refellendis Canonibus Trullensibus eidem Fabulæ occasionem dedisse. Verum ne utrum mihi unquam persuadere potui; cum videam fabulam de Papissa Joanna a Viro rei historicæ imperito excogitatam &c.

Addit Pagi: *Ceterum Joannem VIII. excusatione dignum jure merito censet Marca lib.* 3. *de Concord. c.* 14. Quod nempe Pontifex necessitati cessisset. Diversa est Cardinalis Baronii censura ad hunc annum Num. VI. sic loquentis: *Quanta autem mala ejusmodi factum Joannis sequuta sint, nemo puto numerare facile poterit. Utpote quod quæ tunc cœpta in hanc usque diem infeliciter eadem perseverent. Quæ enim non ausus est impius, ubi sensit, non habere ut antea adversantem Pontificem sed faventem?*

Sæculum IX. A. C. 879.

latus, cum præterea defuncto Ignatio Patriarcha Sedes vacaret, aliæque necessitates urgerent, Photio indulgeat, etsi in Ministerium Sacerdotale, sibi a Sacra Sede interdictum, eadem Sede inconsulta, se ingessisset. Existimat vero Pontifex factum satis purgari, cum dicit, ejusmodi indulgentiam in secundo Canone Concilii Niceni permitti, ubi legeretur, multa facta fuisse contra Disciplinam urgente necessitate, aut quando importunis hominum præpotentium postulationibus cedendum fuisset. Attamen Concilium Nicenum hæc refert tanquam abusus, & ne inposterum similia admittantur, prohibet. (*) Tum, postquam in eadem Epistola Joannes Papa complurium aliorum auctoritatem adduxisset, quod necessitas dispensationem a lege sæpe licitam faciat, subdit: *Nunc ergo, cum ceteri Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus, omnes Archiepiscopi, Metropolitæ & Episcopi, omnes Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ, a Methodio vel Ignatio ordinati, in Restitutionem Photii con-*

Sup. Lib. XI. §. 16.

(*) Nihilominus, quod hic ad excusandum se affert Joannes Papa, si non tanquam Regula, saltem tanquam Exemplum eorum, quæ ante ipsum contigerunt, valet.

consentiant, (*) *nos quoque eundem Episcopum, Fratrem, Collegam recipimus, ea conditione, si præsente toto Concilio misericordiam de more petierit.* Sæculum IX. A. C. 879.

Atque ut omnem litigandi materiam ab Ecclesia removeamus, Photium & omnes Episcopos, Presbyteros, ceterosque Clericos & Laicos, eodem anathemate involutos, ab omni Censura Ecclesiastica absolvimus, potestate illa freti, quam tota Ecclesia Nobis in Persona Principis Apostolorum collatam credit, atque ad omnes Fideles, nemine prorsus excepto, extensam. (**) *Cum præterea Legati Hadriani Papæ Antecessoris nostri Concilio Constantinopolitano subscripserint, addita conditione, si ita Papæ visum fuisset, atque etiam complures Patriarchas uti Athanasium, Cyrillum Alexandrinum, Flavianum, Joannem Constantinopolitanum, & Polichronium Jerosolymitanum, aliquando in Conciliis damnatos,* Sup. Lib. LI. §. 46.

(*) Hæc Joannes Papa vel a Photio deceptus, vel dissimulans, loquitur. Vid. sup. N. IV. Ceterum Photius adjectam conditionem; *Si misericordiam petierit*, & plura alia in hac Epistola delevit. Notæ ad Act. Concil.

(**) Non de potestate, quam ipse Photius nolens volens agnoscebat, sed de legitimo potestatis usu quæstio a Scriptoribus Ecclesiasticis movetur.

Sæculum IX. A. C. 879.

Sacra Sedes absolverit. Quod hic affertur de Polichronio Jerosolymitano non habet aliud fundamentum, quam Acta Concilii (ut hic dicitur) Romæ, sedente Sixto III. Papa, anno quadringentesimo trigesimo tertio habiti. Sed fabula est; nam nulla de hoc Concilio mentio prius, quam in aliqua Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem data, occurrit.

to. III. Conc. p. 1283. ep. 8. Nicol. p. 305. Baron. an. 433. in fi.

Tum Joannes Papa prosequitur in hunc modum: *Hæc vero ista conditione decernimus, ut post Photii Patriarchæ obitum nullus ex Laicis, sed Presbyter aut Diaconus Cardinalis Ecclesiæ Constantinopolitanæ secundum Canones eligatur. Addimus & alteram conditionem, ne videlicet deinceps Patriarcha ullam Jurisdictionem exerceat in provincia Bulgaria, quam Antecessor noster Nicolaus, felicis memoriæ, fidem Catholicam edocuit, a Michaele Rege rogatus, & ibi Baptismum per Episcopos suos conferri jussit. Ceterum hortamur te, ut deinceps Patriarcham Constantinopolitanum, tanquam Patrem tuum Spiritualem, & inter Deum teque Mediatorem honores, & detractatoribus aures non præbeas. Sic enim facile superiorum temporum turba componentur. Præcipimus etiam, ut ad Ecclesiæ unitatem revoces omnes Episcopos & Clericos ab Ignatio consecratos, eosque benigno favore recipias, eosdem in Eccle-*

Photius absolvitur.

Ecclesias suas reduci jubeas, quo concordia omni ex parte restituatur. Si vero aliqui sint, qui cum Patriarcha communicare recusent, & ter moniti obtemperare noluerint, hos excommunicatos, usque dum convertantur, Nos, & Concilium nostrum his literis delaramus. Hæc Epistola decima sexta Augusti anno octingentesimo septuagesimo nono data est. (*) Sæculum IX. A. C. 879.

In Epistola ad Photium Papa loquitur in hunc modum: *Quod dicas, totam Ecclesiam Constantinopolitanam quoad electionem tuam consentire, teque in Sedem vacantem rediisse, Legatos vero nostros tecum Missam non celebrare, scias illos hac de re a nobis nulla mandata accepisse, quia res ad Sedem Constantinopolitanam pertinentes ignorabamus.* Hi Legati erant Paulus & Eugenius anno superiore missi. Tum Papa Photium exhortatur, ut in spiritu lenitatis animos divisos conjungeret, & ab Imperatore obtinere conaretur, ut exules revocarentur. *Epist.* 201. to. 8. *Conc.* p. 1478. *Sup. Lib. LII.* §. 48.

Joannes Papa responsorias quoque dedit ad Episcopos Sedi Constantinopolitanæ subjectos, sermonem ad tres alias

(*) Hæc Epistola, quam Fleurius numero 199. citat, in Actis Conc. Edit. Paris. ponitur numero nonagesima tertia. Et sic de aliis.

Sæculum IX. A.C. 879.

quoque Ecclesias Patriarchales dirigens. Dicit, ipsorum summis precibus se dare, ut Photius restituatur, ea ratione, qua id sine majore scandalo fieri posset, iisque conditionibus, ut deinceps Canones observarentur, qui Neophytos ab Ordinibus arcent, ut Jurisdictio in Bulgariam, quæ Sacræ Sedi competit, a nemine violaretur, & Photius coram Concilio veniam rogaret. Hac in causa putat Papa, se exemplum sequi Antecessoris sui Innocentii I. qui ut Episcoporum Macedoniæ precibus obsequeretur, Photinum Episcopum recepisset. Tandem Joannes Papa datis ad tres Patricios Joannem, Leonem & Paulum, ad tres Metropolitas, Stylianum, Joannem & Metrophanem, ad omnes Clericos, populumque Constantinopolitanum Epistolis, hortatur comminans pœnam excommunicationis, ut ad Photii Communionem redeant, nec se excusent, quod subscriptione contraria se obstrinxissent, quia Ecclesia ab omni vinculo absolvendi potestate gauderet.

Ep. 200. *to.* 8. *p.* 1474.

Innoc. ep. 22. *c.* 7.

Sup. lib. XXIII. §. 33.

ep. 202.

ep. 203.

§. VIII.

Mandata Legatis data.

Has Epistolas omnes mense Augusto, Indictione duodecima datas Petrus Presbyter Cardinalis detulit; quem in isto negotio socium dedit Paulo & Eugenio

genio Episcopis jam prius a se Constan- Sæculum IX.
tinopolim missis. His vero scripsit in A. C. 879.
hunc modum: *Quamvis contra voluntatem nostram egeritis, & postquam Constantinopolim perveniſtis, in ea inquirere debuissetis, quæ ad pacem & concordiam Ecclesiæ pertinebant, tum Romam redire, nobis omnia accurate relaturi, nihilominus volumus, ut operam jungatis cum Petro Presbytero Cardinali ad concordiam & pacem reducendam juxta tenorem Epistolarum nostrarum & mandata in articulos divisa, quæ vobis mittimus, ut ista meliore fide quam priora exequentes nobis reconciliari mereamini.* Habemus hæc Mandata de quibus hic est sermo, eorumque initium descriptum videtur ex illis, quæ Hormisdas Papa Legatis suis anno quingentesimo decimo quinto tradidit, a me suo loco memorata. Mandata vero Joannis Papæ in articulos undecim dividuntur, & postquam præscripsit, quæ a Legatis in conspectu Imperatoris essent proferenda, adjicitur: *Altera die, invisite sanctissimum Photium, & Epistola reddita dicite: Joannes Papa, Dominus noster, salutem tibi dicit, teque ob preces Imperatoris, atque amore pacis Ecclesiasticæ, Fratrem & Collegam habere cupit.* Tum addetis: *Jubet Papa, ut omnes in diversis locis Exules, Episcopi, Presbyteri aliique, qui*

to. 9. Conc. p. 322. & ap. Allat. de Syn. p. 221. Sup. Lib. XXXI. § 22 to. 4. Conc. p. 1416.

Art. 2. 3.

art. 5.

Sæculum IX. A. C. 879.

qui huc usque tecum communicare noluerunt, tua potissimum cura Ecclesiæ & tibi reconcilientur. Si veniant, tanquam pater filios recipe, & hortare, ut voluntati Papæ obsequantur. Et infra: *Adeste Concilio, quod cum Patriarcha, cum Legatis Orientis, ceterisque Episcopis celebrandum est. Primo legantur Epistolæ ad Imperatorem missæ & quæratur ex Patribus an eas recipiant. Si receperint, dicetis: Misit nos Papa ad reducendam inter vos pacem & concordiam. Tunc autem illos, qui redire in pacem recusaverint, excommunicatos atque ab omni gradu Ecclesiastico dejectos pronunciate. Volumus, ut, secundum Canones post obitum Photii Patriarchæ nemo ab Officiis & Dignitatibus sæcularibus in Sedem Constantinopolitanam transferatur. Volumus, ut coram Concilio Photium rogetis, ne cuiquam Pallium in Bulgaria conferat, & neminem in illa provincia ordinet. Volumus etiam, ut Concilia contra Photium habita, tam Romanum sub Hadriano Papa, quam Constantinopolitanum ex hoc tempore nulla declarentur, & ex numero Conciliorum expungantur.* (*) Co-

art. 6.

art. 7.

art. 8.

9.

10.

11.

vetis,

(*) Quæ sincera, quæ adulterata sint in Epistolis Joannis Papæ in hac causa Constantinopolim missis quis dispiciat? Tanta fuit Photii impro-

vete, ne vos vel muneribus, vel adulationis illecebris, vel minis perverti patiamini, sed a via recta non deflectite, & cogitate, quod nomine nostro & auctoritate nostra pro pace & utilitate Ecclesiæ hoc negotium susceperitis. Sæculum IX. A.C. 879.

His mandatis illi Episcopi subscripserunt, qui Concilio Romano, in quo conscripta sunt, intererant, videlicet Episcopi septendecim, quorum præcipui erant, Zacharias Episcopus Anagnienſis, Sacræ Sedis Bibliothecarius, Gaudericus Episcopus Velitrenſis, Petrus Forosempronienſis, & Walpertus Episcopus Portuenſis, loco Formosi depositi. Aderant etiam Presbyteri quinque, & duo Diaconi, Cardinales. Ceterum cuncti suspicantur, exemplar istorum Mandatorum, quod nobis supereſt, a Photio fuisse depravatum.

§. XI.

Concilium Romanum alterum.

Angelbergæ Ludovici Imperatoris viduæ, cujus magna erat apud Papam auctoritas, instantissime roganti, ut Anspertum Archiepiscopum Mediolanenſem ab *ep.* 204.

improbitas! Ceterum constat, Ecclesiam Universalem Concilium Oecumenicum VIII. sub Hadriano Papa celebratum semper recepisse, Synodum vero istam Photianam rejeciſſe.

Sæculum IX. A.C 879. ab excommunicatione absolveret, respondit, id sibi habere constitutum proxima Imperatoris Ludovici anniversaria die. Cum vero hæc censura contra Anspertum in Concilio fuisset pronunciata, non oportere eam sine consensu Episcoporum illius Concilii tolli. *Attamen*, subjungit, *duodecima Octobris aliud Concilium celebrabimus. Veniat, aut suo nomine Episcopos mittat, & postquam Concilio satisfecerit, procul dubio & lubentes ipsum absolvemus, & tanquam Fratrem recipiemus.*

Hæc verba Joannis Papæ auctoritati Conciliorum faventia notatu admodum digna sunt. Ceterum dies anniversaria Ludovici Imperatoris trigesima prima Augusti agebatur.

ep. 218. *ep.* 309. Summus Pontifex in Epistola ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem vigesima prima Sept. data jubet, ut cum suis Suffraganeis ad hoc Concilium veniat. In alia Epistola jam prius ad eundem data hunc Præsulem increpat, quod ab Ecclesia sua discessisset, & ob injurias ab Adversariis suis acceptas, ad Sacram Sedem non confugisset. Concilium, quod Romæ indictum fuerat, decima quinta Octobris celebratum est, cumque Anspertus Archiepiscopus nec ipse veniisset, nec misisset, qui ipsius nomine causam dicerent, depositus est.

Tum-

Tumque Papa datis ad Clericos Mediolanenſes, & Epiſcopos illius provinciæ literis alium Epiſcopum eligi juſſit. *Et ſi virum idoneum elegeritis*, ſubdit Papa, *Decretum Electionis ad nos mittite, ut fert mos antiquus, & Regum Conſtitutiones præſcribunt. Mittimus vobis Joannem Epiſcopum Ticinenſem, & Weltonem Ariminenſem, qui vobiscum Præſulem eligant.* Quamvis contrarium putet Joannes Papa, tempore S. Gregorii mos vigebat, ut Archiepiſcopus Mediolanenſis ab aliquo ſuorum Suffraganeorum conſecraretur.

Sæculum IX. A. C. 879.

II. Indict. II. ep. 29. Sup. Lib. XXXV. §. 32.

Anſpertus, nullam habens rationem excommunicationis in Concilio prima Maji contra ſe pronunciatæ, non abſtinuerat a Miniſterio Epiſcopali cumque Eccleſia Vercellenſis vacaret, Epiſcopum, nomine Joſephum, ordinaverat.

Igitur Papa in Concilio quinta Octobris hanc Ordinationem nullam declarat, atque ſuis ipſe manibus Epiſcopum Vercellenſem ordinat Cunſpertum, cui Carlomannus tanquam Rex Italiæ, more Regum Anteceſſorum ſuorum, hanc Eccleſiam contulerat. Quia vero Carlomannus morbo preſſus languebat, Papa hac de re Carolo ejus fratri, cui Imperium deſtinabat, ſcripſit, rogans, ut Cunſpertum ſua potentia defenderet. Scripſit quoque Clericis, populoque Vercellenſi

Anſpertus Mediolanenſis.

Ep. 222. ep. 261. ep. 223.

Sæculum IX. A. C. 879.

cellenſi jubens, ut eum reciperent; dicebat enim, quod oporteret, felices ſe credere Vercellenſes, cum Epiſcopum a Papa conſecratum acciperent, & refractariis excommunicationis pœnam comminabatur.

Permulti crediderunt, jurgia inter Anſpertum usque adeo pertinacem, & Papam tantopere indignantem inde ortum traxiſſe, quod in negotio maximi momenti, nempe, quis Princeps in Regem Italiæ & Imperatorem eligendus eſſet, diſſiderent. Vidimus enim, hanc

ep. 150. quæſtionem in Conciliis a Pontifice frequenter convocatis moveri, & Archiepiſcopus Mediolanenſis ex conſuetudinis jure, quo gaudebat, Regem Longobardiæ a ſe coronandum eſſe contendebat. Illud quoque alii conjiciebant, Papam cepiſſe conſilium, Boſonem, quem in Filium adoptaverat, Imperatorem proclamandi. Sed Boſo aliam ſibi coronam comparavit.

§. X.

Boſo Rex coronatur.

Ann. Bert. 879.

Boſonis uxor Ermingardis ſæpe muliebri ambitione dicere audita fuerat; ſibi, ex Imperatore Italiæ natæ, & olim Imperatori Græcorum deſponſatæ, vitam fore intolerabilem, niſi efficeret, ut maritus ſuus in Regum numerum aſſereretur.

retur. Inter hæc vero Ludovicus Balbus Compendii in paraſceve, decima octava Aprilis anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono e vita diſceſſerat, cum non plus menſibus octodecim regnaſſat, annos natus triginta quinque, relictis duobus filiis, Ludovico & Carlomanno, genitis ex Ansgarde, ad quam dimittendam, ut memoravimus, & ducendam Adelheidem eum parens compulerat. Porro Adelheidis, cum Rex maritus moreretur, uterum ferebat. Nihilominus Ludovicus & Carlomannus Reges ſalutantur, & ab Anſegiſo Archiepiſcopo Senonenſi in Monaſterio Ferrarienſi coronantur. Ergo Boſo, occaſione uſus & tempore, quo Regum puerorum ferme nulla erat auctoritas, Epiſcopos Provinciæ aliarumque regionum adjacentium usque ad Burgundiam tum minis tum promiſſis (nam Monaſteria & agros iisdem poſtea donavit) coegit, ut ſe Regem coronarent.

Sæculum IX. A. C. 879.

Ann. Met. 878. *Sup. Lib. LII.* §. 54.

Inaugurationis ſolemnia in loco vulgo *Mantale* ſeu *Mante* prope Viennam decima quinta Octobris anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono peracta. Illo Epiſcopi viginti tres convenerant, quorum Diœceſes hujus novi regni latitudinem indicant. Inter Epiſcopos eminebant Archiepiſcopi ſex Ottramus Viennenſis, Aurelianus Lugdunenſis, Teutra-

Tom. IX. Conc. p. 331.

Sæculum IX. A. C. 879.

mus Tarentasianus, Robertus Aquensis, Rostangius Arelatensis, Theodoricus Vesuntinus. Ceteri erant istorum Suffraganei. De Actis hujus Concilii tria habemus, Decretum electionis, Epistolam ad Regem, ejusque responsum. In Decreto hæc leguntur; Rege defuncto (nempe Ludovico Balbo) cum populus Defensorem non haberet, Episcopos & Optimates oculos conjecisse in Bosonem Principem, virum ad protegendam rempublicam præ ceteris idoneum, cujus sub Carolo Imperatore & Ludovico Rege maxima fuisset auctoritas, quem hodie Joannes Papa summo in pretio haberet, & tanquam filium diligeret; quare eundem invitum fuisse electum, & reluctantem unctum & coronatum. In Epistola, petunt Bosonis consensum, & conditiones, id est, boni Regis officia, ponunt. In Responso, Boso Regnum recipit, quamvis se tali honore indignum profiteatur, *ne Divinæ voluntati*, inquit, *resistere videar*. An utrinque sincere locuti fuerint, ex iis, quæ paulo ante retuli, lector judicet.

§. XI.

Res Italiæ.

ep. 109. Pontifex vero adhucdum ad pacta cum Saracenis rescindenda Principes Italiæ permovere conabatur. Datis ad Pulcarium

carium Amalfiæ Præfectum literis expro- Sæculum IX.
bravit, quod decem millia marcarum ar- A. C. 879.
genti accepiſſet, ut S. Petri agros defen-
deret, & petiit, ut reſtitueret. Sed tan- *ep.* 125.
dem videns, quod Amalfitani fœdera
cum Infidelibus inita reſcindere nollent,
excommunicatos declaravit, data Epiſto-
la vigeſima quarta Octobris anno octin-
genteſimo ſeptuageſimo nono, donec o-
bedirent. In alia rurſus Epiſtola, quam *ep.* 121.
etiam ad Athanaſium Epiſcopum Nea-
politanum & Epiſcopum Cajetanum, &
ipſos fœdere Saracenis junctos, deferri
juſſit, ſpatium pœnitentiæ usque ad pri-
mam Decembris extendit.

Sub idem tempus cives Capuani E-
piſcopum ſuum Landulfum haud diu an-
te canonice electum, cujus etiam ele-
ctionem Papa confirmaverat, ejecerunt;
potentiſſimi enim illius civitatis viri ei
adverſabantur. Electo deinde in depul-
ſi locum Landenulfo Laico & uxorem
habente, Pandenulfi eorum Præfecti fra-
tre, Papam rogarunt, ut eum conſecrari
curaret. At Leo Epiſcopus Teanenſis
& Bertharius Abbas Montis Caſſinenſis
Romam profecti, ne id fieret, omnibus
viribus contendebant, rogantes Pontifi-
cem ne conſentiret; ex hac quippe Or-
dinatione illicita, ſi locum haberet, in-
gentes turbas Capuæ orituras, & eſſe
timendum, ne fax diſcordiæ, Capuæ ac-

Sæculum IX. A. C. 879.

censa, Romam quoque corriperet. Papa vero, quamvis his argumentis moveretur, nihilominus a malorum factione flecti se sustinuit, & consensit, ut Landenulfus, Neophytus, Episcopus consecraretur. Vix pauci dies exinde effluxerant, cum Saraceni, comperto, quod Capuæ seditio arderet, adsunt, & Regionem totam diripiunt. Tum Papa, intelligens, se errasse, postquam Episcopos ad consilium adhibuit, Landulfum revocat, & Episcopum veteris Capuæ consecrat, titulo Parochiæ Suricensis in illa civitate positæ, concedens, ut Landenulfus in civitate nova Episcopus esset, Diœcesi inter ambos in æquales partes duas divisa. Cum postea Pandenulfus Capuæ Præfectus, Papæ Vasallus, rogasset, ut sibi Cajetam, illa tempestate soli Papæ subditam, submitteret, & Joannes Papa consensisset, ille cives Cajetanos tam dire habuit, ut Docibilis eorum Præfectus ad Saracenos, Agropolim tenentes, conversus, ipsorum opem expetierit. Illi itinere maritimo solerter advecti, fundos usque adversum Lirim † navigant. Tum lembis descendentes, expilata regione vicina Cajetam veniunt, & prope Formias in collibus amœnissimis castra metantur. Tunc vero Papam pœnitentia subiit, quod Pandenulfo potestatem feciſſet in urbem Cajetam, tandemque conti-

ep. 248.

Chron. Cass. c. 43.

† Garigliano

continuo hortatu & literis datis Docibili persuasit, pacta cum Saracenis abjicere, & arma in ipsos convertere. Complures cives Cajetenses in hoc bello occisi, multi capti. Cum vero Saraceni fœdera iterum exoptarent, volentes remittere captivos, nullo accepto pretio, consensit Docibilis, ut Sedem ad Lirim sibi deligerent, ubi illi annis quadraginta commorantes illatis innumeris malis Christianos vexaverunt. Sæculum IX. A. C. 879.

§. XII.

Concilium Constantinopolitanum falso dictum octavum.

Inter hæc cum Petrus Legatus, Presbyter Cardinalis, Constantinopolim perveniſſet, Photius frequentiſſimam Synodum menſe Novembri anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono convocat, cujus Acta omnia necdum edita ſunt; ſed eruditus & rerum hiſtoricarum ſtudioſus Dominus Baluzius accuratum exemplar manuſcriptum Roma accepit, quod in locupletiſſima ſua Bibliotheca ſervat. Unde ego, ipſo benevole permittente, ad utilitatem publicam excerpſi, quæ referam. Primæ Seſſioni nulla dies appoſita eſt, & incipit in hæc verba: *Photius præſidens in magna aula ſecreta, aſſiſtente Elia Presbytero Legato Jeroſolymitano, Metropolitis præſentibus, videlicet,*

Sæculum IX. A. C. 879.

cet, Gregorio Ephesino, Joanne Heracleensi, & altero Joanne Heracleensi (nempe duæ Ecclesiæ Metropolitanæ hujus nominis erant, altera in Thracia, altera in Ponto) *Gregorio Cyziceno, Gregorio Niceno, Daniele Ancyrano, Theophylacto Sardensi, Georgio Nicomediensi, Marco Sideno, Zacharia Calcedonensi.* Sequuntur nomina ceterorum, trecentorum octoginta trium, Episcoporum.

Silentio imperato, Petrus Diaconus & Protonotarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixit: *Petrus, Presbyter Cardinalis, Sanctissimi Papæ Joannis Legatus, & ipsius Collegæ nempe Paulus & Eugenius adsunt; Petrus vero Cardinalis, qui nuper advenit, literas Papæ affert.* Photius dixit: *Benedictum sit Nomen Domini, qui Papam nobis sanum & incolumem præstat, intrent.* Et postquam ingressi fuissent, Photius pronunciata oratione iterum Deo gratias egit, respondit que Concilium: *Amen.* Tum Petrum duosque alios Legatos amplexus dixit: *Acceptus sit Domino Deo labor, quem suscepistis, benedicat & sanctificet animas vestras & corpora vestra!*

Pand. Can. Eccles. Gr.

acceptam habeat solicitudinem Sanctissimi Fratris nostri, Collegæ, & Patris (*) *secundum*

(*) Patet Photium aliquam prærogativam supra

cundum Spiritum, Beatissimi Papæ Joannis! Tum postquam Legati, Papæ nomine, Photium salutassent, ille ait: *Sincerissimo cordis affectu Sanctissimum Papam Oecumenicum* (*) *Joannem salutamus,* Sæculum IX. A. C. 879. *Bevereg.to. 2.p.253. c. p.274.*

supra se in Romano Pontifice agnovisse, & Communionem cum Ecclesia Romana omnibus viribus quæsivisse. Horrent Protestantes Libellum editum cum Titulo: Candide, ou l' Optimisme, traduit de l' Allemand de Mr. le Docteur Ralph. 1759. quod dicat Auctor, hunc Mundum optimum esse non posse, quia mala innumera in eo reperiuntur. Si vero Mundus hic optimus est, etiamsi Deus plurima & abominanda mala permittat, quomodo ita dicti Fidei Reformatores tempore Lutheri negare potuerunt, Ecclesiam Romanam esse Optimam, licet abusibus fœdatam, cum, maculis non obstantibus, in nulla alia, a JEsu Christi ætate usque ad illos dies, veræ Ecclesiæ Notas & Signa, vel ipsi videre, vel aliis ostendere, valuerint?

(*) Cum hic Photius Joannem VIII. Papam Oecumenicum vocat, sequitur, Patriarchas Constantinopolitanos invidiosum Titulum nullatenus in eo sensu usurpasse, quod illum sibi solis competere, aut Jurisdictionem in universam Ecclesiam tribuere, crederent, bene autem soli convenire Romano Pontifici, quia eum, in illa utique etiam Ecclesia (nempe Constantinopolitana) Oecumenicum esse oportuit, in qua eundem Patriarcha Patrem suum spiritualem appellabat.

Sæculum IX. A. C. 879.

mus, & Deum oramus, ut nobis fructu Sanctæ ejus orationis, & pretiosa Charitate frui concedatur. JEsus Christus, communis Magister noster, & verus Deus noster, ei sinceræ charitatis præmia retribuat.

M. S. His communis humanitatis signis exhibitis Petrus Legatus dixit: *Papa tuæ Sanctitati misit Epistolam, unde curam paternam, qua Ecclesiam vestram complectitur, erga te vero amicitiam & fiduciam omnes Fideles cognoscerent.* Photius respondit: *Priusquam hæ literæ afferrentur, ex ipsis factis sciebamus, quo animo in nos esset Papa; misit enim his ad nos Episcopos & Presbyteros, primo Paulum & Eugenium, & nunc etiam te, ut illos, qui rebelles sunt veritati, quæreretis, monita salutaria daretis, & Schismaticos ad unitatem revocaretis.* Ita Photius callide in rem suam vertit Legationem Pauli & Eugenii, qui neutiquam ad ipsum, sed ad Ignatium missi fuerant. Cum deinde Petrus toti Concilio nomine Pontificis salutem dixisset, & paria respondissent Episcopi, Zacharias Episcopus Calcedonensis in hunc ferme modum peroravit: *Pacis in Ecclesia nostra perturbatæ causam, incredibilem quidem, veram tamen, referam. Jurgiorum origo, sapientia viri Divini fuit, solida Sacrarum Scripturarum scien-*

Sup. Lib. LII. §. 48.

✝ Photii

tia,

Sæculum IX. A. C. 879.

tia, & omnium artium humanarum Encyclopædia inſtructiſſimi. Ingenii elegantia, capacitas, & vis, qua prope ſupra humanæ naturæ conditionem extollitur, rurſusque ejusdem viri lenitas & moderatio, in cunctos pravos affectus, quibus alii in transverſum agi ſolent, imperium, charitas in pauperes, animi demiſſio, cujus ſpecimina veſtris oculis uſurpatis, veniam adverſariis concedendi prona voluntas, indoles ab omni cupiditate libera, zelus, quo Hæreticos, Infideles, totas Nationes ad Fidem convertit, denique virtutum omnium, quæ hominem ornare poſſunt, admirabilis ſocietas, hæc omnia, hæc, inquam, in Sanctum noſtrum Patriarcham, ſicut olim in JEſum Chriſtum in hac terra ambulantem, inimicorum invidiam excitarunt. Vir tantus e Throno ſuo pulſus talia ſuſtinuit, quæ memorare animus perhorreſcit; ſed vicit Imperatoris noſtri pietas obſtacula omnia. Superſunt pauci in ſchiſmate perſeverantes, qui Romanæ Sedis auctoritatem obtendunt. Ad iſtorum pervicaciam frangendam & nos convocavit Imperator, & vos huc veniſtis. Etenim, ut nihil diſſimulem, veſtro & Eccleſiæ Romanæ bono hoc Concilium celebratur, quo a paucorum Schiſmaticorum calumniis vos vindicetis. Nam quod ad nos ſpectat,

Sæculum IX. A. C. 879.

sint Laudes optimo Deo, cum unanimes simus, Concilio nobis opus non est. Audite totius Concilii mentem.

Mox Concilium dixit: *Omnes Patriarcham nostrum sequimur. Aliqui ab initio Pastorem suum tanto amore prosequebantur, ut etiam pro ipso sanguinem fundere parati fuerint. Alii qui ab ipso recesserant, redierunt.* Zacharias subjunxit: *Schismatici supra Ecclesiam Romanam sapere volunt, eamque suæ voluntati esse subjectam, Decreta Nicolai, & Hadriani Papæ recipiunt, Decreta vero Joannis Papæ rejiciunt.* His dictis, complures Episcopi atque inter alios Elias Legatus Jerosolymitanus Deo Gratias pro concordia Ecclesiarum egerunt, & Petrus Cardinalis dixit, mandatum sibi a Papa, ut declararet, quod Photium deinceps ut Fratrem & ut propriam animam diligere vellet. Tum surgens tradidit illi dona a Papa transmissa, videlicet, vestes Sacerdotales & præter alia, Pallium & calceos. Porro Episcopis significantibus, cupere se ea inspicere, tres Papæ Legati, quæ attulerant, coram toto Concilio exponunt, exclamante Photio: *Jesus Christus, Deus noster, qui tegit cælum nubibus, qui nostram naturam indutus est, ut eam repararet & sanaret, protegat & custodiat in hac vita Fra-*

Sessio prima.

Bever. p. 274

trem

trem noſtrum & Patrem Spiritualem, & in futuro Sæculo tribuat veſtem nuptialem, qua dignus fiat in Sponſi cubiculum recipi. Sæculum IX. A. C. 879.

Petrus Cardinalis deinde dixit: *Attulimus Photio Patriarchæ Epiſtolam,* & converſus ad Epiſcopos: *alterum vobis, tertiam Schiſmaticis. Illam, quæ ad te data eſt, hic in manibus noſtris non habemus; ſed diem præſtitue, qua eam producamus.* Ergo dies indicitur, moxque Photius dixit, jam ſolvendam eſſe Seſſionem, quia Legati longa mora fatigarentur. Nihilominus Petrus Cardinalis proclamavit: *Si qui Schiſmatici præſentes ſunt, prodeant.* Reſpondit Concilium: *Omnes in una ſententia ſumus, pauciſſimi repugnant Schiſmatici.* Tum Seſſioni finis impoſitus acclamando: *Plurimos annos magnis Imperatoribus Baſilio, Leoni, Alexandro! Eudociæ piiſſimæ Imperatrici annos plurimos! Stephano Porphyrogenito & Syncello!* Hic erat Imperatoris filius natu minimus, cui Clericatus deſtinabatur. *Photio & Joanni Sanctiſſimis Patriarchis vitam felicem & longam!* Notandum, quod prius Photio, quam Papæ, acclament. *M. S.*

§. XIII.

Seſſio ſecunda, Epiſtolæ Papæ corruptæ.

Seſſio ſecunda die Martis decima ſeptima *M. S.*

Sæculum IX. A.C. 879.

ma Novembris Indictione decima tertia anno octingentesimo septuagesimo nono in majore Ecclesia Constantinopolitana in parte dextra superioris porticus, qui Catechumenia dicebatur, celebrata. Posito in medio Evangelio, præsidente Photio, & apud ipsum sedentibus tribus Legatis Romanis, Paulo, Eugenio & Petro, Elia Legato Jerosolymitano, Cosmo Presbytero & Apocrisiario Alexandrino, Procopio Metropolita Cæsarienſi, Gregorio Ephesino, ceterisque sicut in prima Sessione, cum Photius preces solemnes pronunciasset, & Romani latine cantassent, Petrus Cardinalis profatus est; quia vero latine loquebatur, Leo Protospatharius & Imperatori a secretis Interpretis vices subibat. Dixit ergo Petrus: *Cum Imperatores Legatos bis Romam, atque etiam Patriarchæ Alexandriæ, Jerosolymæ & Antiochiæ miserint, rogantes, ut vestræ Ecclesiæ pacem confirmaret, Epistolas in hunc finem attulimus, & petimus, ut præprimis Epistola Papæ ad Imperatorem data legatur.* Hæc in Græcum translata, ab eodem Notario Leone lecta, atque Actis inserta est. Sed nimium quantum diversa est ab autographo latino, cujus retuli Summam, ut in collectione Epistolarum Joannis VIII. Papæ legitur. Quin & ipsi Græci diversitatem agnoscunt. In

Sup. n. 7. ep. 199.

In Græca verſione nulla mentio obitus Ignatii Patriarchæ, & ſilentio præteritur, quod Photius inconſulta Sacra Sede iterum Miniſterio Sacerdotali fungi præſumſerit. Contra, inducitur Papa ad Imperatorem dicens: *Egit Pietas tua, quod nos facturi eramus, cum, antequam advenissent Legati noſtri, Photium ad recipiendum Patriarchæ munus compuliſti; nihilominus ſi quid deficiat, illud non ex noſtra auctoritate, quamvis poſſemus,* (*) *ſed ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſupplemus.* Tum citatur Concilium Nicenum, & reliqua, quæ in Epiſtola genuina occurrunt. At iterum in Græco premitur mandatum Papæ, quo Photius coram toto Concilio miſericordiam flagitare jubebatur, & abſolutio, quam Papa concedebat, cujus loco multæ Photii laudes inſeruntur. Denique hæc Epiſtola non tam translata quam ad Photii nutum conficta dici meretur. Conjectura eſt, id ſcientibus Legatis factum; quippe, cum depravatam Epiſtolam recitari audirent, nec uno verbo reclamaſſe leguntur.

Sæculum IX. A. C. 879.

Bevereg. p. 275. to. 8. Conc. p. 1461 to. 9. p. 135.

Hac qualicunque Epiſtola perlecta, Procopius Cæſarienſis profeſſus eſt, nihil

(*) Etiam ex iſto loco, ut ut a Photianis corrupto, Summa Romani Pontificis poteſtas probatur.

Sæculum IX. A. C. 879.

hil esse, quod in ea carperet. Idem Elias Legatus Jerosolymitanus dixit, & Procopius iterum: *Pauci Schismatici, qui supersunt, ob subscriptionem, quam tradiderunt, prohibentur nobis accedere.* Petrus autem Cardinalis ad totum Concilium conversus ait: *An receptis Papæ Epistolam?* Concilium respondit: *Omnia, quæ ad concordiam cum Photio & causam Ecclesiæ pertinent, recipimus, quæ autem ad Imperatorem & divisionem Provinciarum ipsius pertinent, non recipimus.* Volebant dicere, ut ex sequentibus dispiciemus, quod Jurisdictionem in Bulgariam Papæ competere non crederent.

17. *Nov.* *M. S.*

Acta Pseudo-Concilii VIII.

Porro Petrus Diaconus & Protonotarius Constantinopolitanus Epistolam Papæ ad Photium, etiam depravatam, Græce prælegit. In ea omittitur, quod Papa dicebat, oportuisse ipsum consulere, priusquam in Sedem Constantinopolitanam, etsi vacaret, rediret. Item deleta erat illa conditio, ut Photius coram tota frequentia veniam rogaret. Sed in ista Epistola illud solum affertur, quod Papa irritet & rejiciat Concilium contra Photium celebratum, quia ei Hadrianus Papa non subscripsisset. Illud quoque premitur, quod ad Jurisdictionem in Bulgariam spectabat.

to. 8. Conc. to. 9. p. 144.

Post-

Sæculum IX. A. C. 879. *M. S.*

Postquam Epistola ista fuisset recitata, Petrus Cardinalis ex Photio quæsivit, an haberet, quod opponeret. Respondit, nihil se habere, & adjecit de Exulibus, quos ut revocari curaret, Pontifex per Legatos suos hortabatur, *duos non plures Imperator misit in exilium, & nec istos quidem ob causas Ecclesiasticas. Nihilominus suppliciter rogamus, ut eos ad sua redire clementer indulgeat.* Tunc vero Petrus Cardinalis: *In mandatis habemus, Jurisdictionem in Bulgariam repetere*, respondit que Photius: *Semper pacis amantissimi fuimus. Nullum Pallium in Bulgariam misimus, neminem ordinavimus, ex quo in Sedem nostram restituti fuimus, cum jam exinde annus tertius volvatur.* Videmus, quod Photius restitutum se crediderit, etiam priusquam Ignatius vita functus fuisset, cum eum Imperator ab exilio redire jussit. Addidit sermonem multis ambagibus involutum, quo tamen promittebat nihil. Tum Procopius Cæsarienſis: *Speramus, Deum maximum omnes mundi nationes Imperatori nostro subjecturum. Tunc autem, Ecclesiarum Metropoliticarum limites, ut lubebit, constituet.* Eadem verba repetiit Concilium.

Petrus Cardinalis dixit: *Papa nos jussit inquirere, quomodo Photius Patriar-*

Sæculum IX. A. C. 879.

triarcha ad Thronum suum redierit; non enim hoc ipsi ante adventum nostrum licuisse credit. Tum Elias Legatus Jerosolymitanus: *Photium nunquam non pro suo Patriarcha habuerunt tres Patriarchæ Orientis, & omnes ferme Episcopi Clericique Constantinopolitani; quid ergo obstabat, quo minus Thronum suum denuo conscenderet?* Addidit Concilium: *Rediit Photius, consentientibus tribus Patriarchis, ab Imperatore rogatus, quin potius vi compulsus, & tota Ecclesia Constantinopolitana summis precibus id expetente. Ergo si vobis credimus,* ait Petrus Cardinalis, *nemini vim intulit Photius? neminem afflixit, ut Tyrannus? tantum hoc abest,* respondit Concilium, *ut potius mansuete & tranquille omnia peracta.* Petrus Cardinalis: *Sit Nomen Domini benedictum!*

§. XIV.

Apologia Photii.

Tunc vero Photius: *Deum testem invoco, quod Sedes Constantinopolitana nunquam mihi in desiderio fuerit. Et id plerique adstantium norunt. Prima vice tantum onus invitus flens largiter, & ineluctabili imperio Principis tunc regnantis compulsus suscepi, postquam diu repugnassem, consentientibus vero Episcopis & Clericis, qui, me inscio, Decreto*

creto subscripserant. Tandem, ne fugæ locus esset, custodiæ traditus sum. Hic Concilium loquentem interpellans dixit: *Hæc omnes scimus, quod nempe ipsi vidimus, vel a testibus præsentibus audivimus.* Tunc rursus Photius: *Deo permittente pulsus sum deinde de Sede mea. Nihil movi, nihil tentavi, quod in eam iterum eniterer. Non seditiones excitavi. Quieti me dedi, Deo gratias agens, ejusque judicio me submittens. Non aures Imperatoris importunus fatigavi; tandem pristinam Dignitatem recuperandi nec spes, nec cupido mihi supererat. Sed cum Deus, miraculorum omnium Auctor, cor Imperatoris non propter me, sed propter populum suum movisset, ab exilio me revocavit. Nihilominus, Ignatio felicis memoriæ spirante, eo adduci non potui, ut Cathedram meam conscenderem, quamvis multi, ut facerem, hortarentur atque vehementissime instarent, & quamvis, quod maxime dolebam, Fratres mei exilium & duram persecutionem sustinere cogerentur.* Acclamavit Concilium: *Vera dicit!* & iterum Photius: *quin cum Ignatio pacem conservare omnibus, quibus potui, modis, conatus sum. In Palatio collocuti sumus, alter alterius pedibus advoluti, erratorum veniam mutuo dedimus & accepimus. Morbo correptus vocavit me, accessi sæpius, solatia*

Sæculum IX. A. C. 879.

Sæculum IX. A. C. 879.

tanquam Fratri dilectissimo suggessi. Complures sibi in vita carissimos moriturus meæ curæ commisit; feci, quod sincerum amicum oportebat. Postquam e vivis excessit, Imperator, an animus esset onus Episcopale iterum subeundi, primum secreto mihi collocutus exploravit, deinde Patriciis publice ad me missis, se id cupere significavit. Illi jussu Imperatoris adjecerunt, Episcopos consentire, & Clericos id exoptare; unde nihil supereſſet, quod omnium voluntati obsicere possem. Tandem honor mihi obtigit, ut ipse Imperator ad me veniret. Cessi, ne Divinæ providentiæ resistere viderer, mutationem, prodigio similem, admirans. Concilium dixit: *Res ita se habuit, ut refers.*

Bevereg. p. 279.

Petrus deinde Cardinalis dixit. *Non ignoratis, quod Ecclesia Romana Flavianum Constantinopolitanum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum Jerosolymitanum & Polycronium e Sedibus suis pulsos restituerit, S. Gregorius vero DIALOGUS, postquam Episcopum Dalmatiæ, a calumniatore impetitum, persecutus fuisset, Ecclesiæ suæ reddiderit.* Conjicere pronum est, hic Petro de causa S. Gregorii cum Maximo Salonensi sermonem esse. Tum prosequitur: *Zachariam a Nicolao Papa depositum Hadrianus Papa in Sedem suam remisit, & qui*

Sup. Lib. XXVI. §. 8.

qui hodie Petri Cathedram tenet eundem Bibliothecæ præfecit; unde nec Nicolao nec Hadriano inferior, Dispensatione, ubi Ecclesiæ emolumentum id poscere videtur, uti potest. Addidit plura alia, quibus Papam Photii amicitiam exoptare publice profitebatur, acclamante Concilio. Sæculum IX. A. C. 879. *M. S.*

§. XV.

Epistolæ Orientalium.

Ubi exaudiri potuerunt, Legati Pontificii petierunt, ut Epistolæ Patriarcharum Orientalium legerentur, & annuente Concilio, lecta est primo Epistola Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem data, quam Cosmus Presbyter attulerat. Qui eam scripsit, in laudibus Imperatoris plurimus est; tum subjungit Elogium Cosmi, quem ab Imperatore Alexandriam missum, Michael Patriarcha datis literis ad eum iterum direxerat. Contra, hæc Epistola Josephum, qui anno octingentesimo septuagesimo Concilio interfuerat, omnibus diris devovet in hunc modum: *Ille se Archidiaconum Michaelis Patriarchæ Alexandrini mentitus est, qui eum anathematizavit.* Is fuit Antecessor illius, qui hanc Epistolam scripsit; alter enim ejusdem nominis successerat. Postea in hac Epistola legitur: *Ita etiam res se* *Sup. Lib. LI. §. 41.*

Sæculum IX. A. C. 879.

habuit, cum Elias, homo impius, Syncellum Sergii Patriarchæ Jerosolymitani se finxit, qui domum reversus, lepra contabuit. (*) Tum Michael Patriarcha, postquam Photium laudibus immodice celebrasset, dicit: *Quicunque cum Photio non communicat, eumque Patriarcham sine exceptione legitimum non recipit, pars ejus sit cum Deicidis!* Tandem, rogat Imperatorem, ut si ipsi aliquam Benedictionem, id est, eleemosynam, transmitteret, eam Cosmi Presbyteri fidei committeret. Hac epistola perlecta Concilium dixit: Novimus, Ecclesias Orientis nunquam Communionem Photii rejeciisse. Tum etiam addidit, quod hanc epistolam recipiat.

Lecta deinde est epistola ejusdem Patriarchæ Alexandrini ad Photium data. Totus erat in laudibus Photii & Imperatoris, & sermone ad Photium directo

17. *Nov.* dicebat: *Quandoquidem a Michaele Antecessore nostro percepimus, quam praeclare de Ecclesia meritus fueris, recipimus, & profitemur publice, te esse legitimum Patriarcham Constantinopolitanum.*

(*) Obstupescendum, quanta Orientalium inconstantia fuerit. Hos Cave in Concilio VIII. homines miscellos vocat; quasi vero in posteriore hoc Concilio major fuisset illorum auctoritas?

tanum. Idem nobiscum sentiunt Metropolitæ Vicini, quos ad Synodum convocavimus, prout conditio & fortuna nostra miserabilis permisit, videlicet, Zacharias Thamiatensis, † *Jacobus Babylonicus, Stephanus Thebanus, Theophilus Barensis* (vel forte Barcanus) *& plures alii Episcopi. Vestram Communionem amplectimur, omnibus, quicunque eam non recipiunt, anathema dicimus, Nomenque tuum Diptychis Sacris inseruimus nunquam delendum. Quod ad Eliam & Josephum spectat, qui rabie occupati olim tibi nocere ausi sunt, eos mors venia nec impetrata nec petita in peccatis suis abstulit. Thomas vero Episcopus Berytensis, qui erat tertius, resipuit, atque ut videbis facta retractavit. Hinc ignovimus deprecanti, rogamusque, ut & tu veniam concedas. Ceterum accepimus dona tua, & si iterum aliquam Benedictionem nobis mittere volueris, placeat, eam Cosmo Presbytero deferendam dare.* Huic epistolæ inserta erat retractatio Thomæ Berytensis, in qua veniam rogabat, quod in Concilio, anno octingentesimo sexagesimo nono celebrato, ab Elia & Josepho, ut ipse dicebat, seductus contra Photium stetisset. Istam quoque, sicut priorem Patriarchæ Alexandrini Epistolam, Concilium approbavit. At, quid

Sæculum IX. A. C. 879.

†Tamianthie

Orientalium Inconstantia.

Sæculum IX. A. C. 879

de Thoma retractante ſtatuendum eſſet, Legati Papæ Concilii arbitrio reliquerunt, quod rurſus hanc cauſam ad Photium tanquam ad Partem læſam remiſit. Ille vero poſcenti veniam ignovit.

Lecta deinde eſt epiſtola, etiam Synodica, Theodoſii Patriarchæ Jeroſolymitani ad Photium data, quam Andreas Presbyter & Monachus atque Elias Presbyter & Stylites fratres attulerant. Eadem ferme continebat, quæ in epiſtola Patriarchæ Alexandrini lecta fuerant; nempe Photius legitimus Patriarcha Conſtantinopolitanus proclamabatur. Lecta quoque ſimilis epiſtola Patriarchæ Antiocheni, qui & ipſe Theodoſius vocabatur, ad Photium data. Dicit, quod, referente Coſmo Abbate, optatiſſimum nuncium de Photio reſtituto accepiſſet, & ſubjungit: *Gravis perſecutio nobis ſuſtinenda fuit ab Ebintaeloum, qui nos dire vexavit. Cumque Thomas Metropolitanus Tyro ad nos adveniſſet ad ſolatium ſuggerendum, veniam a nobis & a Michaele Patriarcha Alexandrino petiit.* Nempe Thomas ab Eccleſia Berytenſi ad Archiepiſcopatum Tyrienſem translatus fuerat. Ceterum qui hic *Ebintaeloum* vocatur, Achmet fuerit de *Tulun*, qui circa illud tempus in Ægypto & Syria copiis præerat. Lecta præterea eſt epiſtola Abrahami, Metropolitæ Amidæ & Samo-

Sup. Lib. LI. §. 3.

Samosatæ in Armenia ad Photium data. Gratulabatur ei reditum, & addebat: *Cosmus Abbas reddidit mihi epistolas Patris nostri Theodosii Patriarchæ Antiocheni, & Michaelis Abbatis Papæ Alexandrini. In illis mentio fiebat Thomæ Archiepiscopi Tyriensis, Eliæ, & Josephi, qui se ipsum, quod non erat, mentitus a Deo sicut & Elias, quod merebatur, recepit. Archiepiscopus vero Tyriensis culpam suam coram Patriarchis confessus est.* Tum Abrahamus in illa epistola dicit, se Photium recipere, & quemcumque eum non recipientem omnibus diris devovet. Illud quoque Photio perscribit, fatis functum esse Patriarcham Jerosolymitanum, eique Eliam Damascenum successisse. Nempe Theodosius obierat, cujus epistola modo lecta fuerat; unde conjicere est, ob hanc causam Abrahamum Photio scripsisse. His perlectis Concilium Deo Gratias egit, & solitis acclamationibus Sessioni finis impositus.

Sæculum IX. A. C. 879.

19. *Nov.*

§. XVI.

Sessio tertia.

Elapso biduo celebratur Sessio tertia, nempe die Jovis decima nona Novembris, præsidente Photio, & omnibus reliquis sicut in Conventu præcedente sedentibus. Petro Cardinale petente, ut

ep. 209.

Sæculum IX. A. C. 879.

legeretur epistola Papæ ad Episcopos Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjectos, ceterosque Patriarchas data, legit eam Petrus Diaconus & Protonotarius, sicut epistolæ priores, corruptam, in illo præsertim loco, ubi dicebatur, Photio petendam esse misericordiam coram Concilio, quibus alia verba subrogaverant, nempe, ut non gravaretur coram Concilio profiteri, se lenitate & misericordia Ecclesiæ Romanæ (*) recipi. Ubi lecta fuit epistola, edixit Concilium, se eam recipere, illis exceptis, quæ ad Imperatorem (videlicet ad Jurisdictionem in Bulgariam) pertinerent. Procopius Cæsarienſis de iis, quæ ad promotionem Laicorum ad Sacerdotium pertinent, disseruit, Concilii Sardicensis auctoritatem adducens. Tum Zacharias Calcedonensis de eadem causa verba fecit, inter alia dicens: *Sæpe consuetudo contra legem pugnat, cum Laici ad Sacerdotium elevandi sunt. Quod ex Concilii Oecumenici secundi non tam dictis quam factis eruo; namque Nectarium, illis diebus baptizatum, Patriarcham elegit. Habetis hujus rei exempla in magno Ambrosio, in Ephrem Antiocheno, Eusebio Cæsa-*

to. 8. Conc. p. 1486.

Bevereg. 281.

(*) Iterum ex his verbis Epistolæ corruptæ satis probatur, & Photium, & Sedem Constantinopolitanam Romanæ fuisse subjectam.

Cæsarienſi, & tot aliis, quorum numerus iniri haud facile poſſit. Refert etiam locum alicujus epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochum, atque ut oſtendat, hos Canones ad Photium proprie non pertinere, dicit, virum fuiſſe negotiis ſæcularibus nunquam implicitum, ſed literarum ſtudioſiſſimum, cujus Pater & Mater pro Religione multa ſuſtinuiſſent, atque ipſum in Armenia & Meſopotamia plurimos homines ab errore revocaſſe; quin, complures Barbarorum nationes ad fidem convertiſſe. Sæculum IX. A. C 879.

Lecta deinde epiſtola Synodica Theodoſii Patriarchæ Jeroſolymitani defuncti ad Imperatorem data. In ea & ipſe ſicut ceteri ærumnas ſuas generatim exponebat, & opem flagitabat. Photium recipiebat, addens: *Synodice congregati ſtatuimus, & omnibus tanquam Canonem perpetuum & inconcuſſum promulgamus; Si quis lubenti animo non recipiat Sanctum & illuſtrem Fratrem noſtrum Photium civitatis Imperialis Patriarcham, & cum ipſo Sacra Myſteria non celebret, Anathema ſit, atque auctoritate Thronorum Apoſtolicorum depoſitus.* (*) Perlecta epiſtola Concilium dixit: *Bevereg. p. 281.*

(*) Quam leviter damnant, quod probaverant! ſed, Romanorum exemplum præ oculis habebant.

Sæculum IX. A. C. 879.

xit: *Recipimus, quæ Synodice a Sanctiſſimo Patriarcha Theodoſio acta ſunt, & contrarium ſentientibus Anathema dicimus.* Tum Papæ Legatis quærentibus, quando hæc Epiſtola allata fuiſſet, Elias Legatus Jeroſolymitanus dixit: *Theodoſius Patriarcha eam in Synodo me præſente ſcripſit, eamque deinde, commodam occaſionem nactus, Andreæ Monacho fratri meo, non tantum ſuo, ſed etiam Patriarchæ Antiocheni, qui id fatetur, nomine, deferendam dedit.*

M.S.

Petrus Cardinalis dixit: *Scimus quidem, omnes Patriarchas Papæ conſentire, ſed tamen hos Legatos ad examen vocandos exiſtimamus, quia priores, a Saracenis ad redimendos captivos miſſi, Legatos Patriarcharum ſe eſſe dixerunt.* Paulus & Eugenius Legati Papæ adjecerunt: *Novimus Andream, & per aliquot dies cum ipſo verſati, examinavimus ejus fidem, cujus Confeſſionem ſcriptam nobis tradidit.* Dixitque Photius: *Vetera jam oblivioni danda ſunt. Solus hoc pectus perſecutioni objicere paratus eram, quo ceteri omnes liberarentur, & gratum Infidelibus ſpectaculum non præberetur. Sed verba perdidi. Nunc vero omnia oblivione ſepeliantur.* Elias Legatus dixit: *Teſtis eſt mihi Deus, quod nunquam Photium Patriarcham antea vidi, nunquam locutus fui, nunquam epiſto-*

epistolas accepi; sed ob Ecclesiæ emolumentum, Viri merita, persecutionem, quam innocens sustinuit, & ad damnandos illos impios falsosque Legatos adveni. Sæculum IX. A. C. 879.

Legati Paulus & Eugenius dixerunt: *Nec præjudiciis, nec proprii commodi amore turbati agimus.* Et Petrus Cardinalis ad Photium: *Doctrinam Evangelii factis imples, non quæro gloriam meam; est qui quærat, & judicet. Et jam tempus veritatem occultam revelavit: Sed, si videtur Concilio, legantur Mandata, quæ a Joanne Papa accepimus, & quibus omnes Episcopi nostri subscripserunt.* Respondit Concilium: *Legantur.* Ergo surgens Petrus Cardinalis ea a Leone Interprete Græce recitari jussit, qualia superius retuli. Lecto articulo decimo, in quo Concilia contra Photium celebrata abrogabantur, Concilium dixit: *Abrogavimus, rejecimus, & anathematizavimus ipsis factis illum Conventum, qui Concilium dicebatur, cum Sanctissimum Patriarcham Photium recepimus, & illis jam qui illum Conventum non rejiciunt, anathema dicimus.* (hic de Concilio Constantinopolitano anni octingentesimi sexagesimi noni ipsis fermo est) Elias Metropolita Martyropolitanus, & Elias Legatus Jerosolymitanus dixerunt: *Et quomodo Concilium vocari*

Ap. Leon. Allat. de Syn. Phot. p. 221.

Joan. 8. 50.

Sup. n. 8.

Pseudo-Synodus VIII.

Sæculum IX. A. C. 879.

vocari possit Conventus, qui totam Ecclesiam schismate turbavit? in quo a Saracenis missi sederunt, ut Judices? in quo talia sunt acta, quæ omnibus Conciliis adversantur? qui innocentes inauditos damnavit? omnesque Leges tam Ecclesiasticas quam Civiles violavit? unde Ecclesiæ Orientis ista acta pronunciarunt nulla, & anathemate percusserunt.

Perlectis Mandatis Concilium dixit: *Videmus, quod mandatis Papæ accurate obsecuti sitis. Tantus Pontifex optimis Legatis dignus erat.* Et Nicetas Metropolita Smyrnensis ad Legatos: *Rebus in eum modum constitutis ad nos venistis, ut si quis Dei Ordinationi & mandatis Papæ resistere auderet, ne quidem legitimæ causæ speciem posset obtendere.* Responderunt Legati Papæ: *Dicit Prophe-*
Jerem. 1. 7. *ta: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis. Ideo venimus, ut voluntatem Dei & Papæ impleremus.* Concilium dixit: *Perspectum habemus, quod implevistis.* Tum Photius: *Hæc fuit voluntas Dei, qui de Cælo descendit, & nostram naturam assumpsit, ut Genus humanum Patri suo reconciliaret. Videtis, omnia Papæ voluntati fieri consentanea, & neminem obsistere.* Legati: *Officii nostri fuit per labores & certamina Ecclesiæ vestræ conjungi. Ideo tot ærumnas in itinere sustinuimus. Attamen, labores &*

& ærumnas ferendo Sancti JEsu Christi gratiam meruerunt. Photius: *Hinc JEsus Christus magnam mercedem vobis in regno suo præparavit.* Cumque Cardinalis Petrus dixisset: *En adsunt subscripta nomina Episcoporum; unde liqueat, quam unanimes Sanctissimum Patriarcham Photium cum tota Ecclesia Romana receperint.* Igitur leguntur nomina in infima parte mandatorum subscripta. Tum Petro Cardinale quærente, an hæc probarentur Concilio, & Concilio respondente, omnia sibi, præsertim subscripta nomina probari, more solito acclamatum, atque soluta Sessio. Sæculum IX. A. C. 879.

§. XVII.

Sessio quarta.

Sessio quarta, Feria quinta, vigesima quarta Decembris in Vigilia Nativitatis Domini, in magna aula, sicut prima Sessio, celebrata. Petrus Diaconus & Protonotarius dixit: *Metropolita Martyropolitanus modo advenit, missus a Patriarcha Antiocheno, a quo Legationem suscepit. Literas quoque Patriarchæ Jerosolymitani affert, & stat ad portam.* Is Basilius (*) vocabatur, & intrare jussus dixit, *Bevereg. p.* 282. 293. 24. *Dec.* *M. S.*

(*) In Paragrapho præcedente aliquis Metropolita Martyropolitanus loquens inducitur, Elias

Sæculum IX. A. C. 879.

dixit, afferre se epistolas Theodosii Patriarchæ Antiocheni, & Eliæ Patriarchæ Jerosolymitani, nuper electi, adjiciens, neutrum conscium fuisse eorum omnium, quæ contra Photium acta fuissent. Lecta est epistola Patriarchæ Antiocheni ad Photium, summatim eadem, quæ in prioribus audivimus, continens. Præter alia damnantur Thomas Berytensis, & Elias, qui falsi Legati dicuntur. Hac epistola a Concilio approbata, lecta est epistola novi Patriarchæ Jerosolymitani ad Photium data, cujus itidem eadem erat Summa; & quam approbans Concilium addidit: *Non ignorabamus, Sedes Orientis semper Photium recepisse.* Tum Elias Legatus Jerosolymitanus: *Tanta concordia cæleste donum est. Etiam Saraceni ad Photium miserunt, alii petentes doceri, alii baptizari, & cupientes Imperatori subjici.*

Petrus Cardinalis dixit: *Duo Patricii, qui a Communione Photii recesserant, hodie redierunt. Petunt vero veniam, dicentes expectare se reditum nostrum, & velle Auctoritatem Ecclesiæ* (*) *Roma-*

Elias nomine, & hic vocatur Basilius superveniens. Non capio, nisi forte in superiore §. sit error Typi.

(*) Ex istorum Patriciorum testimonio iterum

Romanæ sequi. Concilium respondit: *Novimus, & recipimus eos. Non aliam culpæ obtendebant speciem, prout ex ipsorum ore accepimus, quam quod a falsis Legatis & quibusdam aliis decepti subscripsissent. In qualibet alia causa, inquiebant, absolutio, quam nobis Patriarcha dedisset, suffecisset, sed quia in propria ipsius causa subscripsimus, ab alia Sede absolvi petimus. Nullius alterius delicti nobis conscii sumus. Cum igitur nos absolvatis, Communionem vestram recipimus maximo lætitiæ sensu, eosque, qui non recipiunt, rejicimus.* Unde eos, subjungit Concilium, *ut filios nostros, & membra nostra propria recepimus.* Sæculum IX. A. C. 879. *Bevereg. p. 283.*

§. XVIII.

Articuli Reconciliationis.

Legati Papæ postea quæsiverunt, an Concilium in omnibus Articulis in epistola Pontificis ad Imperatorem propositis consentiret; tum quinque enumerant, quorum primus ad res Bulgariæ pertinet. Ad eum respondit Concilium: *Diximus vobis, & iterum dicimus; non istud hic agimus, ut provinciis limites ponamus. Hæc quæstio aliud tempus poscit.* *M. S.* *Allat. p. 238.*

rum clare probatur; cujusnam Ecclesiæ, etiam in hac Pseudo-Synodo, præcipua fuerit auctoritas.

Sæculum IX. A.C. 879.

ſcit. Nihilominus preces noſtras precibus veſtris jungemus apud Imperatorem, & quod, Deo inſpirante, ſua auctoritate decreverit ſalvis Canonibus approbabimus, & demum acquieſcemus. Articulus ſecundus circa Ordinationem Laicorum verſabatur. Ad quem Baſilius Metropolita Martyropolitanus, & Legatus Antiochenus, Elias Legatus Jeroſolymitanus, & Coſmus Legatus Alexandrinus dixerunt: *Iſtud contra Leges Eccleſiæ non pugnat. Alexandriæ, Antiochiæ, & Jeroſolymæ cujuscunque conditionis vir ſive ex populo ſive ex Clericis, ſi ſit virtute inſignis, ſine hæſitatione ad Epiſcopatum evehitur.* (*) *Non enim pro ſolis Clericis JEſus Chriſtus in terram deſcendit, nec iis ſolis, ſed omnibus Chriſtianis, virtutis præmia præparavit. Si Regula veſtra approbaretur & reciperetur, inde omnium Cathedrarum Epiſcopalium ultima calamitas & ruina ſequeretur. Quippe plerique Epiſcopi, qui inter nos vel pietatis vel Doctrinæ laude maxime floruerunt, ex Laicis vocati fuere. Huic igitur Regulæ ſtabiliendæ aſſenſum noſtrum præbere non poſſumus, ne Præſules noſtros damnare videamur.* Concilium dixit: *Cuilibet Sedi ſuæ ſunt con-*

p. 239.

(*) Admodum inepte ad rem argutantur Orientales.

consuetudines, de quibus disceptare nullum affert emolumentum. Servet suos mores Ecclesia Romana, & prudenter. Sed etiam servet Ecclesia Constantinopolitana sua Instituta, a suis Majoribus recepta, & sibi propria. Sic etiam Ecclesiæ Orientales. Si ergo Ecclesia Romana nunquam Laicos ad Episcopatus fastigium admisit, servet Institutum suum; æquum enim est Patrum limites non transilire. Quia vero nec Orientales, nec Ecclesia Constantinopolitana hunc morem servarunt, quamvis omnino optandum esset, ut semper in Clericis viros Episcopatu dignos reperire possemus, nihilominus si non adsint, & in Laicis ad tantum onus magis idonei existant, minus digni exclusis dignioribus eligendi non sunt.

Sæculum IX. A. C. 879.

In Articulo tertio statuebatur, ne Patriarcha Constantinopolitanus ex alia Ecclesia advocaretur, sed ex Cardinalibus Presbyteris & Diaconis ejusdem Ecclesiæ eligeretur. Ad quod Concilium dixit: *Hæc res in priore Articulo comprehendebatur, faxit Deus, ut Ecclesia Constantinopolitana felicia adeo semper agat tempora, quibus Presbyteros & Diaconos habeat, in toto Romano Imperio præstantissimos, unde assumantur viri prima* (*) *Sede digni; si vero in hac Ecclesia,*

Allat. p. 242.

(*) Eho! primæ Sedi. Quin Sedes Constan-

Sæculum IX. A. C. 879.

sia, & isto tempore, tanto oneri parem invenire non sit, in tota Ecclesia quærendus est, qui præesse possit.

In quarto Articulo Concilia, Hadriano Papa sedente, contra Photium Romæ & Constantinopoli celebrata, damnabantur. Hic Basilius Legatus Antiochenus dixit: *Dudum Sanctissimus Papa Michael Alexandrinus cum suis Episcopis omnia, quæ contra Sanctissimum Patriarcham Photium acta sunt, omnesque illos, qui hæc Acta recipiunt, damnavit & anathematizavit. Theodosius quoque, Patriarcha meus damnat & anathematizat.* Tum Cosmus Legatus Alexandrinus dixit: *Papa Alexandrinus in Epistolis suis mentem suam sincere aperuit; nimirum hæc Acta, & recipientes illa, divis omnibus tradit.* Elias Legatus Jerosolymitanus dixit: *Anathema dico illis, qui Photium, legitimum Patriarcham, non recipiunt, sicut eos olim S. Patriarcha Jerosolymitanus Theodosius anathematizavit, & hodie Elias ejusdem Successor anathematizat. Rejicio pariter omnia antehac contra ipsum acta, inprimis illa, in quibus Saracenorum Missi sederunt ut Judi-*

Allat. p. 217.

stantinopolitana nec prima, nec secunda, nec tertia de Jure erat, quia ne quidem Apostolica, sed Titulus Patriarchalis cum Jurisdictione arrogata denique tolerari debebat.

Judices. Concilium acclamavit: *Omnibus nobis eadem mens est. Id profitemur, & plaudimus. Hic articulus in Epistola Joannis Papæ nobis præ ceteris gratus est; nam priusquam ipse præcepisset, omnia contra Photium dicta scriptave damnaveramus, eidem inviolabili animorum nexu inhærentes.* In Articulo quinto excommunicabantur Schismatici, nempe illi, qui Photium recipere nolebant. Quæ excommunicatio in hoc Concilio facile confirmata. Sæculum IX. A. C. 880. *M. S. Bevereg. p. 283.*

Sub finem Sessionis Petrus Cardinalis dixit: *Cum per Dei gratiam jam omne scandalum sit sublatum, veritas post examen magis eluceſcat, atque pax & concordia Ecclesiæ redierit, quia Officii Divini hora instat, si vobis videtur, eamus & cum Photio Patriarcha celebremus.* Concilium respondit: *Optima propositio, & Deo grata. Fiat, quod dicis, conservet Deus Sanctum Magistrum nostrum, & pro Salute Ecclesiæ suæ, annos vitæ plurimos adjiciat.* *Id. p. 294.*

§. XIX.

Sessio quinta.

Sessio quinta anno sequente octingentesimo octogesimo die Martis vigesima sexta Januarii in porticu editiore ad dextram majoris Ecclesiæ celebrata, præsidente Photio cum tribus Papæ & tribus *ibid.*

Sæculum IX. A.C. 880.

Ecclesiarum Orientalium Legatis. Is profatus dixit: *Concilium Oecumenicum Nicenum secundum sub Hadriano Papa & Tarasio Patriarcha celebratum Ecclesia nostra ut Concilium septimum habet, & ceteris sex æquiparat. Ecclesia Romana & tres Sedes Orientales nobiscum hujus Concilii Decreta recipiunt. Sed forsan adhucdum sunt, qui dubitent, an Conciliorum Oecumenicorum numero accensendum sit. Id enim ferunt, & usque in hanc diem non satis veritatem cognovimus. Nunc igitur, Fratres mei, si vobis videtur, simul omnes decernamus, Concilium Nicenum, Oecumenicum septimum, habendum esse, atque ceteris sex Conciliis æquale.*

26. Jan.

Petrus Cardinalis respondit: *Monitum ergo te volumus, quod Sancta Ecclesia Romana, cum omnibus ceteris consentiens, nunquam non Decreta illius Concilii sub Hadriano Papa, & Tarasio Patriarcha in causa Sanctarum Imaginum celebrati receperit, hodieque Concilium septimum vocet, & parem auctoritatem ac in sex aliis in eo esse existimet. Quicunque illud non recipit, Anathema sit!*

p. 295.

Concilium dixit: *Postquam Ecclesiæ Romanæ iterum conjuncti sumus, cujus rei auctor Photius Patriarcha fuit, nos in hac quoque causa consentire oportet. Itaque quicunque secundum Concilium Nicenum,*

num, ſeptimum Oecumenicum non recipit, anathema ſit! Eundem anathematiſmum Eugenius primus Legatorum Pontificiorum, Baſilius Legatus Antiochenus, & Elias Legatus Jeroſolymitanus pronunciarunt. Sæculum IX. A.C 880.

Legati Papæ deinde dixerunt: Rogamus, ut aliqui ſe conferant ad Metrophanem & dicant: *Concilium vocat te, Legatorum nomine, ad explorandam mentem tuam, de reducenda Eccleſiæ pace.* Erat is Metropolita Smyrnenſis, præcipuus Photii Adverſarius, cui præter duos alios Papa ſcripſerat. Concilium igitur ad Metrophanem miſit Baſilium Epiſcopum Cretenſem, Nicetam Metropolitam Smyrnenſem, quem Photius Metrophani ſubrogaverat, & Gregorium Archiepiſcopum Pergenſem. Cumque in ejus conſpectum perveniſſent, *Legati Romani & Concilium*, inquiunt, *noſtro miniſterio te interrogant, quid ſentias, & cur ab Eccleſia diſcedas. Mihi*, reſpondet Metrophanes, *graviter ægrotanti vix ſuperſunt loquendi vires. Dicam tamen breviſſime, cur a vobis diſcedam. Ipſe veniſſem, cauſam dicturus, ut æquum eſt, verum, ita nos Deus amet, peſſime mihi eſt. Nec ingredi, nec coram vobis ſtare valeo. Hinc rogo vos, ſi fieri poſſit, differte quæſtionem, donec mor-* *v. to. 8. Conc. p. 1386. Ep. 202.* Metrophanes Smyrnenſis.

Sæculum IX. A. C. 880.

bo utcunque levatus fuero. Tunc causam defendam.

Hoc Metrophanis responso ad Concilium relato Legati Romani dixerunt:

p. 296. *Ut obsequeremur mandatis a Papa acceptis non semel modo, sed ter quaterque huic viro suasimus, errorem dimittere & ad Ecclesiæ sinum redire. Hodie vero valetudinem simulat, ob quam non impeditur longum sermonem texere, in quo nihil dicit, sed prohiberi se putat unam vocem proferre, ipsi maxime salutarem, videlicet; redeo ad Ecclesiam, quod Papa jubet. Quare, secundum Canones Metrophanem ab omni Communione Ecclesiastica ejicimus, donec pœnitens ad Pastorem suum redeat. Notum*

p. 284. *enim sit vobis, quod Joannes Papa illam*

p. 296. *potestatem ligandi & solvendi, quam a S. Petro accepit, Photio Patriarchæ communicaverit, qua nobis absentibus Metrophanem damnare possit.* Tumque Photius ad Legatos: *Vos, Patres nostros, Legatos Papæ, sicut ipsum Papam Patrem nostrum Spiritualem, amplectimur.* (*) Adje-

(*) Ad quem alium Episcopum vel Patriarcham Photius ita locutus est, sicut hic ad Romanum Pontificem? vel quis alius Episcopus præter Romanum Papam ita ad Photium loqui ausus fuisset? Unde Caveus aliique Protestantes, qui

Adjecerunt Legati: *Juſſit Pontifex, quod jam prius declaravimus, ut Photius excommunicatos habeat, quos Joannes Papa excommunicavit, & contra, Joannem Papam pro depoſitis habiturum, quoscunque Photius depoſuiſſet. Si vobis videatur, hac de re Canonem condemus.* Sæculum IX. A. C. 880.

§. XX.

Canones.

Concilium dixit: Conſcribatur Canon. Quo conſcripto, Petrus Diaconus & Protonotarius eum recitavit in hæc verba: *Primus Canon. Sancta Synodo Oecumenica jubente, Laicos, Clericos, aut Epiſcopos Italiæ, in Aſia, Europa, aut Africa exiſtentes, a Joanne Papa depoſitos, excommunicatos, vel anathematizatos, Photius Patriarcha tanquam iisdem Cenſuris innodatos habeat, & etiam quoscunque Photius Patriarcha excommunicaverit, depoſuerit, aut anathematizaverit, in quacunque Diœceſi exiſtant, Joannes Papa, & Romana Eccleſia, tanquam anathemate percuſſos cenſeat, ſalvis Sacræ Romanæ Sedis Prærogativis.* Tum Le-

qui Photii repugnantia contra Summum Pontificem mire delectantur, ex ipſius Photii confeſſione refelluntur. At, corrupta ſunt hæc acta. Non ego, ſed in nullum alium facinoris ſuſpicio, quam in ipſum Photium cadit.

Sæculum IX. A. C. 880.

gatis interrogantibus, an Canon lectus approbaretur, & respondente Concilio, quod omnino reciperetur, Elias Legatus Orientis iterum dixit, hunc Canonem sibi probari. Adjecit Basilius Legatus Antiochenus: *Episcopi nostri Photio, ex quo Episcopus est, indissolubili vinculo nexi, cum nos ad eum mitterent, jusserunt ei liberam potestatem dare, qua, prout luberet, quoscunque ab Ecclesia discedentes, puniret, auctoritate sibi a Sedibus Orientis & Romana collata.* Quod ubi Legati Papæ audierunt, dixerunt: *Benedictus Deus, qui omnes Patriarchas unius voluntatis effecit.*

Concilium his addidit: *Si Ecclesiæ refractarii, soluto deinde Concilio, a Matre pœnitentes se recipi rogaverint, quid de his fieri jubetis?* Legati Papæ responderunt: *Diximus jam vobis, Joannem Papam Photio Patriarchæ potestatem* (*) *concessisse, illos recipiendi, qui redituri sunt, & contumaces excommunicandi.*

p. 297. *Sed jam ad Metrophanem mittendi sunt, qui Responsum nostrum, & Censuram, qua eum perstrinximus, significent.* Tum mittuntur Joannes Metropolita Heracleensis, Daniel Ancyranus, & Georgius Nico-

(*) Ex hac interrogatione & responsione iterum suprema Romani Pontificis in Photium potestas elucet.

Nicomedienſis. Metrophanes vero, ſi- Sæculum IX.
cut nuper, morbum obtendens, adjecit, A. C. 880.
ſi vellent tres Delegati Epiſcopi ad privatum colloquium ſe inviſere, animi ſui ſenſa iis explicaturum.

Quo reſponſo ad Concilium relato & perlecto, Legati Papæ dixerunt: *Tanta vis morbi plane non eſt, ut loco tot verborum unicum illud; volo Eccleſiæ reconciliari, pronunciare non potuiſſet. Unde iſta tergiverſatione Cenſuram neutiquam effugiet.* Subjunxerunt; Photium a Papa (*) liberam poteſtatem Metrophanem, etiam ipſis abſentibus, condemnandi accepiſſe.

Photius dixit: *Quid vobis de illis ſtatuendum videtur, qui dimiſſo Epiſcopatu Inſtitutum Monaſticum amplectuntur, an Miniſterium Epiſcopale repetere poſſunt?* Reſponderunt Legati: *Hoc iis in Eccleſia noſtra non conceditur. Sed ſi Epiſcopus ad Monachorum* (id eſt, Pœnitentium) *ordinem ſe demittat, tali ad Officium Epiſcopale denuo obeundum via præcluditur.* Legati Orientis Baſilius & Elias addiderunt: *Apud nos quoque id aliquando factum, memoria non eſt. Monachi ſæpe ad Dignitatem Epiſcopalem evehuntur, ſed Epiſcopus, ſi Monachum*

(*) Iterum notentur verba: Photium a Papa poteſtatem accepiſſe.

Sæculum IX. A. C. 880.

chum induat, Episcopus esse non amplius potest. Tum dicente Concilio: *Edendus est hac de re Canon, quia multæ in nostra Ecclesia lites ex hac causa oriuntur,* Legati consenserunt.

Concilium deinde dixit: *Rogamus vos, ut etiam Canon edatur ad reprimendos Laicos, qui usque adeo insolescunt & furunt, ut Episcopos vel Presbyteros ferire vel in carcerem mittere audeant. Quamvis enim hæc raro fiant, ante paucos tamen annos id eveniſſe scimus. Liberius temerarii in tantum scelus ruunt,*
p. 298. *ubi nulla legibus statuta est pœna.* Tum consentientibus Legatis Orientis extemplo conscripti sunt duo Canones, quos Photius recitari jussit, in hunc modum: *Canon secundus. Quamvis huc usque non nulli Episcopi tolerati fuerint, qui postquam ad ordinem Monachorum descendissent, rursus ad Dignitatis Episcopalis apicem revecti sunt, nunc tamen Concilium hunc abusum emendavit, & decrevit, Episcopum, si ad vitam Monasticam transierit, ad obeundum rursus Ministerium Sacerdotale redire non debere. Quippe Monachorum est discere & subjici, non vero docere aut regere. Canon tertius. Si quis Laicus contemptis Legibus Cæsareis & Regulis Ecclesiasticis Episcopum, vel sine causa, vel sub quocunque prætextu percutere aut in carcerem*

cerem detrudere ausu temerario præsum- Sæculum IX.
pserit, Anathema sit! repetiit Concilium: A. C. 880.
Anathema sit.

§. XXI.

Subscribitur.

Tandem Photio interrogante, an quidquam in Concilio agendum restaret, Legati Papæ dixerunt: *Mementote, quod* p. 299.
ex Mandatis nostris, vobis prælectis, appareat, omnes Episcopos Concilio Romano ad recipiendum Photium, & Acta ipsi adversantia rescindenda, celebrato subscripsisse. Unde rogamus, ut & vos hodie omnes subscribatis. Si vero adhucdum Schismatici occulti dentur, Photius vel pœnitentes recipiat, vel obstinatos castiget.

Cum igitur ad ista Photius & Legati Orientis humanissima respondissent, Legati Papæ accepta membrana, in qua Acta Concilii erant exarata, subscripserunt; moxque subscriptiones in hunc modum recitantur: *Paulus Episcopus Anconitanus, Sacræ Sedis & Joannis Papæ in hoc Concilio Oecumenico Legatus, ex Papæ mandato, Ecclesia Constantinopolitana, Legatis Orientis, & toto* 8. *Martii.*
Concilio consentientibus, Reverendissimum Photium, Legitimum Patriarcham recipio, & cum ipso communico. Concilium vero contra ipsum Constantinopoli

convo-

Sæculum IX. A. C. 880.

convocatum, & omnia contra ipsum tempore Hadriani Papæ acta rejicio & anathematizo. Si aliqui Schismatici necdum ad Photium Pastorem suum redeunt, excommunicati sint, usque dum ad ejus Communionem revertantur. Præterea secundum Concilium Nicenum, in quo de Sacris Imaginibus agebatur, recipio, Concilium Oecumenicum septimum appello, & sex aliis æquale credo.

Postquam Eugenius Episcopus Ostiensis, & Petrus Cardinalis simili modo subscripsissent, & subscriptio publice fuisset recitata, Concilium dixit: *Benedictus Deus! qui Joanne Papa cooperante concordiam in Ecclesiam suam revocavit.* Tum Legati Orientis in eundem sensum subscripserunt, hoc adjecto, quod Patriarchæ sui Photium, antequam hoc Concilium celebraretur, recepissent. Post Legatos subscripserunt Metropolitæ, Procopius Cæsarienſis in Cappadocia, Gregorius Ephesinus, Joannes Heracleensis, Daniel Ancyranus, Theophylactus Sardensis, Georgius Nicomediensis, ceterique Episcopi numero trecenti quadraginta. p. 300.

Itaque more solito acclamatum, & quinta Sessio soluta.

§. XXII.

Sæculum IX.
A. C. 880.

§. XXII.

Sessio sexta Imperatore præsente.

Sessio sexta die Martis octava Martii celebrata est, non in Ecclesia, ut præcedentes Sessiones, sed in Triclinio aureo, quia nempe intererat vel potius præerat, ut Acta loquuntur, Imperator cum duobus filiis Leone & Alexandro, quos jusserat Augustos proclamari. Episcopis omnibus considentibus Basilius Imperator dixit: *Forsan oportuisset nos Concilio interesse, & vobiscum pacem & concordiam Ecclesiarum curare; verum quidam improbi criminari potuissent, præsentiam nostram Concilii libertati nocuisse, & multa tanquam vel ex timore, vel assentatione facta sugillare. Hinc nobis satius visum, tempus dare, quo omnia liberrime & sine nobis definiretis, quæ deinde reciperemus, & nostra subscriptione confirmaremus. Illud tantum non abs re fore credidi, si vobis videtur, edendam esse Fidei Confessionem, non novam, sed veterem Concilii Niceni, ab omnibus ceteris Conciliis approbatam.* p. 301.

Basilius Legatus Antiochenus dixit: *Cum schismata & scandala tuis curis, Imperator Deo dilecte, & precibus Patris nostri spiritualis Photii Patriarchæ sublata sint, æquitas postulat, ut una Confessio*

Sæculum IX. A.C. 880.

fessio Fidei in universa Ecclesia sit. Omnes ceteri Episcopi, atque etiam ultimo Legati Papæ annuerunt. At vero, contra Ecclesiam Romanam cudebatur hæc faba, ut nempe sub specie confirmandi Nicenum Concilium additio, *Filioque*, damnaretur.

Ergo Photius Symbolum Nicenum legi jubet addita Præfatione in hæc verba: *Divinam JEsu Christi Doctrinam & Apostolorum ejus, atque Decreta septem Conciliorum Oecumenicorum servamus. Ab his Conciliis damnatos rejicimus, & ab iisdem receptos recipimus. Unde Definitionem Fidei a Patribus nostris acceptam tenemus, nihil omittimus, nihil addimus, nihil mutamus, aut corrumpimus, ne Patres nostros damnemus & injuriam inferamus manifestam.* Tum sequebatur Symbolum Nicenum, sicut Constantinopoli reformatum fuit, & addebatur Epilogus: *Hæc omnes credimus, in hac fide baptizati sumus, illos, qui hæc credunt, fratres & patres nostros recipimus. Si vero aliquis ausu temerario aliam Fidei Confessionem procuderit, eam Fidelibus aut Hæreticis conversis proposuerit, aut istam vocibus peregrinis, aliquid addendo vel demendo vitiaverit, eum, si Clericus est, deponimus, si Laicus est, secundum Decreta Concilii anathematizamus.*

Sup. lib. XVIII. §. 6.

p. 305.

His

His perlectis exclamavit Concilium: *Omnes hæc credimus, in hac Fide baptizati & ordinati sumus. Anathematizamus cunctos aliud credentes.* Elias Legatus Jerosolymitanus, & Cosmus Legatus Alexandrinus dixerunt: *Anathema omnibus, qui commune Fidei Symbolum non confitentur!* Sæculum IX. A. C. 880.

Quæsivit postea Photius, an Concilio e re esse videretur, ut Imperator, sicut promiserat, Actis subscriberet. Et Metropolitis respondentibus; *non solum consentimus, sed etiam supplices rogamus*, subscripsit Imperator manu propria, acclamante Concilio & rogante, ut tres quoque filios, Imperatores duos, & tertium, cui Dignitates Ecclesiasticæ destinabantur, subscribere juberet. Cum ergo & ipsi nomina apposuissent, Theophanes Diaconus quatuor Principum subscriptiones legit. Basilius Imperator subscripserat in hunc modum; quod ex Decreto præsentis Concilii septimam Synodum Oecumenicam confirmet, Photium Patriarcham Constantinopolitanum recipiat, & omnia contra ipsum olim dicta scriptave rejiciat. Ejusdem tenoris sunt trium Principum subscriptiones; Stephanus vero se Subdiaconum dicit. Tum Daniel Metropolita Ancyranus, ceterique Episcopi preces pro Imperatore fuderunt, easque secutæ sunt

p. 304.

Sæculum IX. A. C. 880.

sunt consuetæ acclamationes, quarum ultima fuit: *Sanctis Patriarchis Photio & Joanni* (præposito Photii nomine) *annos plurimos!*

§. XXIII.

Sessio septima & ultima.

Sessio septima & ultima in magna Ecclesia Die Dominica decima tertia Martii celebrata. Photius dixit: *Opportunum mihi videtur coram toto Concilio recitari Fidei Definitionem, heri editam, cum non omnes fuerint præsentes.* Vult dicere, quod tantum aliqua pars Episcoporum Sessioni in Palatio habitæ interfuisset, cum tamen ex Actis appareat, omnes, trecentos & octoginta, consensisse. Tum Concilio ad Photii verba plaudente Petrus Diaconus Fidei Expositionem legit, qua confirmata, iterum anathema dictum omnibus, qui quidquam addere vel omittere auderent. Cunctis deinde silentibus, Procopius Cæsariensis Allocutionem exorsus, quam tenero amore Imperator Photium prosequeretur, & quanti tantum virum faceret, memoravit, indeque in Laudes ipsius Photii effusus, eum JEsu Christo comparare non erubuit, S. Pauli verba detorquens, habemus *Pontificem, qui penetravit Cælos.* Subjunxerunt Legati Papæ: *Si quis Photium Patriarcham non*

p. 305.

13. *Martii.*

p. 286.

Hebr. 4. 14.

non recipit, & cum ipso non communicat, pars ejus sit cum Juda proditore, & nemo talem pro Christiano reputet. Tandem plaudente & acclamante Concilio, ad ultimum rursus additum: *Photio & Joanni Patriarchis annos plurimos!* Talia sunt Acta Synodi Photianæ, si tamen fidem merentur, utpote quibus Photius impudentis audaciæ, & exercitatissimus Veterator præfuit. (*) Sæculum IX. A. C. 880.

§. XXIV.

Epistola Papæ de voce, Filioque.

Actis Concilii Photiani subjuncta visitur Joannis Papæ Epistola ad Photium data, cujus hæc est Summa: *Non ignora-* *Bevereg. p. 306.*

(*) In Epistola CVIII. quam Joannes Papa ad Photium haud dubie dederit, in Act. Concil. Edit. Parisiensis. hæc inter alia leguntur: *Sed cum nos Scriptis & verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus; mirandum valde est, cur multa, quæ nos statueramus, aut aliter habita, aut mutata esse noscantur.* Et in fine Epistolæ: *Nam & ea, quæ pro causa restitutionis Synodali Decreto Constantinopoli acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri Legati in eadem Synodo contra Apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.*

Sæculum IX. A. C. 880.

Joan. ep. 320.

ignoramus, quod non nulli eorum, qui apud vos sunt, de nostra Ecclesia & de nobis ipsis, veritate neglecta, male locuti sint talia, quæ speciem aliquam veri habent. Hac de causa etiam antequam tua Fraternitas aliquid nobis significet, ista tibi manifesta facere decrevimus. Novit quippe tua Fraternitas, quod cum nuper ad nos accessit qui a te missus est, & de Sancto Symbolo nos consuluit, invenerit, nos illud inconcussum, sicut nobis ab initio traditum est, conservasse, neque aliquid addidisse vel detraxisse, cum noverimus, quod eos, qui talia facere audent, gravis condemnatio expectet. Reverentiæ itaque tuæ iterum significamus, ut de additione ista, quæ scandali in Ecclesiis causa fuit, tibi satisfaciamus, quod non solum hoc non dicamus, sed etiam quod eos, qui principio hoc dicere sua insania ausi sunt, quasi transgressores Divini Verbi condemnemus, & tanquam eversores Theologiæ Christi Domini, Sanctorum Pontificum, & reliquorum SS. Patrum, qui nobis Symbolum tradiderunt, eosque unacum Juda collocemus, quia JEsu Christi membra schismate dividunt. Arbitramur autem tuam Reverentiam recte nosse, cum sis sapiens & Doctrina præditus, quod dum, ut reliqui nostri Episcopi nobiscum idem sentiant, totis viribus contendi-

tendimus, non mediocrem id nobis moleſtiam afferat & res adeo gravis tam cito commutari non poſſit, tot (*) *annorum ſpatio confirmata. Hac de cauſa rationi congruum nobis viſum eſt, ne aliquis violenter cogatur additionem illam in Symbolo dimittere, ſed potius manſuetudine Chriſtiana hujusmodi homines admonendos eſſe, & paulatim a blaſphemia* (**) *revocandos. Qui igitur nos accuſant, quod male ſentiamus, contra veritatem peccant. Illi vero non aberrant, qui dicunt, inter nos adhucdum aliquos invenire eſſe, qui hoc dicere audeant. Tuum ergo eſt nobiſcum laborare, ut cum prudentia & longanimitate diſſentientes reducamus.* Sæculum IX. A. C. 880.

Obſervavimus in Collatione Legatorum Caroli Magni & Leonis III. Papæ Additionem, *Filioque*, in Symbolo Niceno Romæ non fuiſſe receptam, & diſplicuiſſe Papæ, quod eam Franci recepiſſent, quamvis de veritate Doctrinæ, quam continet, videlicet S. Spiritum a Patre *Sup. Lib. XLV. §. 48.*

(*) In ipſa Epiſtola contrarius eſt ſenſus: *Licet brevi tempore ortum habuerit, nec multorum annorum ſpatio fuerit confirmata.*

(**) Non ſatis ſibi ipſi conſtare videtur Joannes Papa. Si enim addentes: *Filioque*, cum Juda collocandi fuiſſent, homines Blaſphemiæ rei, nec uno momento tolerari debuiſſent.

Sæculum IX. A. C. 880.

Patre Filioque procedere, non dubitaret. Unde Joannes Papa, cum sciret, hanc Additionem Græcis scandalo esse, salva veritate dicere poterat, eam ab Ecclesia Romana non esse receptam, eosque vituperare, qui additionis auctores erant. Si vero in reprehendendo nimius est, illud adscribendum est vehementissimo Photio & Imperatori placendi desiderio, quo in plures errores pertrahi se passus est. Sed Doctrinæ substantiam in hac Epistola non delibat. Nihilominus posteriore tempore Græci Schismatici tam istam Epistolam, quam omnia in Photiana Synodo circa hanc Doctrinam acta in rem suam traxerunt, & Photianam hanc Synodum, Oecumenicam, Concilium vero Oecumenicum anni octingentesimi sexagesimi noni, nullum jactitarunt.

Bever. p. 290

Post Concilium Photianum occurrunt tres Epistolæ a Photio Episcopis Italiæ, Concilio jam soluto & utraque Ecclesia reconciliata, scriptæ, videlicet Marino Castellensi, Gauderico Velitrensi & Zachariæ Anagnensi. Dona etiam mittit, & amicitiæ vinculum tempore sui exilii disruptum renovari cupit.

§. XXV.

Res Orientis.

Sed iterum convertamur ad res Orientis,

tis, quo illa, quæ de Legatis ad hoc Conciliabulum ex Oriente missis dicta sunt, facilius intelligantur. Califa Mutazius, cum rerum potitus esset annos tres & dimidium socors & voluptatibus immersus, regno se abdicare cogitur. Tum ergastulo inclusus, & inedia consumptus est. Agebatur tunc annus Hegiræ 255. JEsu Christi 869. Ei successit Mahomet, filius Califæ Watheci, dictus a suis *Mutadi*, qui cum esset amans virtutis, mores in pejus lapsos emendare cogitabat. Omnes a vino abstinere jussit, cantores, mimos, sortilegos ejecit, tributa minuit, & bis in hebdomada Alcoranum manu tenens jus populis dicebat. Sed Turcæ elapso spatio undecim mensium seditione commota indignis modis habitum interfecerunt. Ejus Successor *Mutamid*, Califæ *Mutevaquel* filius anno Hegiræ 256. salutis nostræ 870. regnum consecutus, voluptati totum se dedit; unde sub Religionis specie multæ seditiones ortæ. Nihilominus annis viginti tribus usque ad annum Hegiræ 279. salutis 892. imperavit. Illa tempestate Achmet Filius *Tulon* Ægypto præfectus Antiochiam Califæ, a quo defecerat, potestati ereptam sibi subjecit; cumque *Muaffec*, Califæ frater, cui illius Provinciæ præfectura commissa erat, Achmetem armis opprimere non posset, in omnibus fanis

Sæculum IX. A. C. 880.

Sup. Lib. LI. §. 7 Elmac. II. c. 14. p. 160. c. 15.

c. 16.

Sæculum IX. A. C. 881.

Bagdati rebellem excommunicari jussit. Quippe Musulmanni in ferendis censuris Christianos imitari non abhorrebant. Achmet anno Hegiræ 265. Salutis 879. Antiochiam cepit; nec est dubitandi locus, hunc ipsum esse, quem Theodosius Patriarcha in aliqua Epistola *Ebintaeloum* nominat. Sed potius *Ebin-Tulon* seu Tulon-filius, legendum est.

Sup. n. 15.

Eutych. p. 471. *tom.* 2.

Theodosius seu Thadous Patriarcha Melchita Antiochenus primo anno Califæ *Mutamid*, nempe anno 870. defuncto Stephano, qui una die sederat, ordinatus, hanc Sedem annis viginti tenuit. Patriarcha Melchita Jerosolymitano, cui etiam nomen Theodosius erat, anno decimo ejusdem Califæ, nempe octingentesimo octogesimo fatis functo, successit Elias, cujus parens *Mansour* Civitatem Damascenam Musulmannis prodiderat, ob hanc causam ab omnibus Christianis excommunicatus. Elias vero Sedem annis viginti novem obtinuit, a quo habemus Epistolam anno octingentesimo octogesimo primo, Indictione decima quarta, ad Reges, ad omnes Episcopos & Fideles Franciæ datam. In ea dicit, Principem illius Regionis, ad Christiana Sacra conversum, Ecclesias ruinam minantes reparandi potestatem fecisse. *Cum vero*, inquit, *ad hos sumtus pecunia non suppetat, nec mutuam dare quis-*

tom. 2. *Spic. p.* 272. *& præf.* 1. *Sæc.* 6. *Act. Ben. n.* 8.

Patriarchæ Orientis.

quisquam velit, vineas & oliveta ad Ecclesiam pertinentia, atque etiam Vasa sacra pignori dedimus creditoribus. Sed nec istud sufficit, & interim nec luminare Ecclesiarum alere, nec pauperibus aut Monachis subvenire, nec captivos redimere possumus. Unde denique ad vestram charitatem confugimus. Quis iste Princeps conversus fuerit, nec conjicere quidem licet, & nescio, an Orientales sibi licere non putaverint, calamitates comminisci, quo facilius eleemosinam impetrarent. Hæc Epistola delata est a duobus Monachis Gisperto & Rainardo; eorumque nomina satis produnt, Francos fuisse, qui se in Terram Sanctam receperant. Sæculum IX. A. C. 880.

Patriarcha Melchita Alexandrinus tunc temporis erat Michael, *Bacam* filius, quo, anno Hegiræ 256. JEsu Christi 870. fatis functo, duobus exinde annis elapsis, nempe 258. in ejus locum suffectus est alter Michael, qui annis triginta quatuor sedit. At Patriarcha Jacobita Alexandrinus erat Osanius, seu *Sanut*, qui postquam sedisset annis undecim usque ad annum 877. Successorem habuit Michaelem. Eum per annos viginti quinque Sedem tenentem Achmet, *Tulon* filius, dure vexavit, & tam gravia imperavit tributa, ut quartam partem Ecclesiarum Alexandrinarum Judæis *Chr. Orient. p. 111.* *Elmac. p. 176.*

Sæculum IX. A. C. 880.

vendere, & a Christianis pensionem in singulos homines exigere coactus fuerit. Bona Monachorum quoque ære permutavit, & nihilominus non plus quam mediam partem imperatæ pecuniæ, videlicet viginti millium *Dinars* seu Solidorum aureorum, dare potuit.

Hæc de Ecclesis Orientalibus literis prodita invenio. Ceterum cum hos Patriarchas sub dira servitute degisse videamus, obstupescendi non est locus, quod tam facile Legatos nunc pro, nunc contra Photium, dicturos miserint; ut illis Principibus velificarentur, a quibus largiorem stipem acciperent. Qua autem fide digni sint testes, adeo leviter, quod prius probaverant, damnantes, Lector judicet.

Basilius Imperator auxilia, ut Papæ spem fecerat, in Italiam misit, Gregorio Spathario, Theophilacto Turmarcha, & Diogene Comite ducentibus; quos ubi Papa Neapolim perveniisse, & multas Saracenorum copias profligasse comperit, datis literis victoriam gratulatus petiit, ut aliquot triremes ad defendendam contra hostes eosdem Romam deligerent. Simul datis ad Athanasium Archiepiscopum Neapolitanum & populum Amalfiensem Epistolis vehementer instabat, ut fœdera cum Infidelibus rumperent.

ep. 240.

Ep. 241. 242.

§. XXVI.

Sæculum IX.
A. C. 880.

§. XXVI.

S. Methodii Sclavorum Apoſtoli obitus.

Cum Methodius Moravorum Epiſcopus, acceptis a Papa mandatis, anno ſuperiore Romam veniſſet, & Papa ejus fidem moresque approbaſſet, data ad Comitem Suentopulchrum Sclavorum Principem in Moravia degentium Epiſtola eundem remiſit. Laudat vero in ea Epiſtola, Principem Sancto Petro & Sacræ Sedi devotum. *Archiepiſcopum veſtrum*, inquit, *præſentibus Fratribus noſtris Epiſcopis ad examen vocavimus, an credat Symbolum Fidei, illudque in Miſſa cantet, quale Eccleſia Romana tenet, & in ſex Conciliis Oecumenicis receptum eſt. Reſpondit, ſe vero illud tenere, & cantare, quale ab Eccleſia Romana traditum accepiſſet; cum ergo Orthodoxum invenimus, & Eccleſiæ veſtræ erudiendæ idoneum, remittimus eum ad vos, ut commiſſum ſibi gregem cuſtodiat, & rogamus, ut eum honorifice ſuſcipiatis, nam eundem in Dignitate Archiepiſcopi confirmavimus; unde ſecundum Canones ipſius jam eſt, omnes cauſas Eccleſiaſticas definire.* *Sup. n. 6.* *ep. 194.* *ep. 247.*

Epiſcopum Nitrienſem quoque conſecravimus Wichinum Presbyterum, quem ad nos miſiſti, & volumus, ut in omnibus

Sæculum IX. A. C. 880.

bus secundum Canones Archiepiscopo suo obediat. Porro tempore opportuno & alium Presbyterum vel Diaconum, consentiente Archiepiscopo, ad nos mitte, quem pro alia Ecclesia, in qua Cathedram Episcopalem erigendam esse censueris, ordinemus. Tum cum his duobus Episcopis Archiepiscopus vester alios ordinare poterit in talibus locis, ubi salvo honore Episcopis debito residere possint. Episcopatus Nitrienſis hodieque exiſtit in Hungaria ſuperiore, Archiepiſcopo Strigonienſi ſubjectus. Unde diſpici poteſt, quo usque Suentopulcher dominatus fuerit. Tum Papa proſequitur: *Volumus, ut Presbyteri, Diaconi, aliique Clerici, sive Sclavi, sive ex alia ratione procreati, in regno tibi subjecto existentes, in omnibus, quæ præceperit, vestro Archiepiscopo obtemperent. Si qui refractarii, aut Schismatici fuerint, & secundo admoniti non emendaverint errorem, ex Ditionibus tuis expellantur.*

Tandem Literas Sclavonicas a Constantino Philosopho inventas approbamus, & jubemus, in eadem lingua facta & laudes JEsu Christi denunciari; cum S. Paulus dicat: Philip. 2. 11. *Omnis lingua confiteatur, quod Dominus JEsus in Gloria Dei Patris sit. Nec Fidei repugnat in eadem lingua Sclavonica Missam celebrare, Evangelium aliasque Scripturas tam veteris quam*

Sæculum IX. A. C. 880.

S. Methodius

quam novi Testamenti a perito Interprete versas legere, aut ceteras Divini Officii horas cantare. Qui tres linguas primævas, Hebraicam, Græcam, & Latinam condidit, etiam ceterarum omnium ad Gloriam suam auctor fuit. Volumus tamen Sancti Evangelii honori dari, ut prius lingua Latina, deinde Sclavonica, quo consulatur populo Latinæ linguæ ignaro, legatur, more aliarum quarumdam Ecclesiarum. Si vero vel tua Excellentia, vel Præfecti tui mavultis, Missam lingua Latina vobis præsentibus celebrari, jubemus, ut fiat. Ex hac Epistola, mense Junio anno octingentesimo octogesimo, Indictione decima tertia, data, videmus, Joannem Papam, postquam Methodii argumenta percepisset, a sententia sua abiisse, nec amplius prohibuisse, ne Divina Officia in lingua vulgari peragerentur. In quibusdam Dalmatiæ & Moraviæ (*) locis hodieque Missa lingua Sclavonica celebratur.

Ergo Methodius in Moraviam reversus incepta persecutus est, multis adversis fatigatus; id enim cognoscimus ex Joannis Papæ Epistola, anno sequente ad eum data, in qua titubantem consolatur & forti animo esse jubet.

S. Me-

(*) Id forsan de Moravia antiqua non vero de nova accipi potest.

Sæculum IX. A. C. 880.

S. Methodius Borivojum seu Wosiwojum, Ducem Bohemiæ, cum triginta Comitibus, ad Fidem convertit, quos postquam satis in Doctrina Catholica erudiisset, & jejunia solemnia servare jussisset, baptizavit, & Presbytero, qui Neophytos in fide suscepta confirmaret, tradidit. Ludmilla quoque Borivoji uxor fidem amplexa, & Martyrii palmam consecuta est. Hæc fuere Ecclesiæ Bohemorum initia. (*) Tandem Metho-

ep. 268. *vit. ap. Boll.* 9. *Mart. tom.* 7. *p.* 24.

(*) Hic iterum videmus, quod passim in Historia Ecclesiastica occurrit, Ecclesias Bohemiæ & Moraviæ, sicut etiam ante annos non adeo multos Daniæ & Sueciæ, Romanorum Pontificum cura & paterna solicitudine ad Fidem Christi, non sine singulari utique Dei providentia, fuisse conversas. Sed audiamus, quam temere homines Lutherani de Divina Dispositione pronuncient. Im Windmonde 1759. im III. Stücke. Indessen ist es allerdings zu bedauren, daß der Aberglauben und die Dummheit derer, welche die Christliche Religion in Schweden gepflanzet haben ꝛc. Ist das nicht ein unchristliches Urtheil? solte man nicht billig sagen können, daß diese Leute die Religion Christi, welche sie von ihren Voreltern überkommen, verhönen?

Religionssachen gehören, nach ihrem eigenen Geständniße zu der Absicht dieser Monatschrift gar nicht; allein, der wilde Religionseifer, den sie

Methodius, Romam redux, obiit, & in Ecclesia S. Clementis apud fratrem suum Cyrillum sepultus est. Ambo Sanctis adscripti, eadem die, nempe nona Martii, coluntur. Sæculum IX. A. C. 880. *Mart. Rom.* 9. *Mart.*

§. XXVII.

Literæ Papæ Constantinopolim datæ.

Postquam Joannes Papa subsidiis in Italiam a Græcis missis adjutus fuit, &, quæ in Concilio Constantinopolitano acta fuissent, comperit, Epistola ad Basilium *Ep.* 251.

sie sich anmassen an den Katholicken zu tadeln, verleitet sie selbst immer etwas unartiges und ausschweifendes einzumengen. Wenn die von der Römischen Kirche berufenen und nach Schweden im IX. Jahrhundert geschickten Glaubensprediger aberglaubige und dumme Leute gewesen sind, so sage uns doch ein Protestant; wo denn eine andre Kirche, eine andre Gemeine, im IX. Jahrhundert gewesen sey, welche das Gebot JEsu Christi: *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium.* Marc. XVI. halten, und rechtglaubige Lehrer nach Schweden hätte senden wollen oder können? Kann aber ein Protestant keine solche Kirche bestimmen, so bitten wir, er möchte uns einen kleinen Zweifel unschwer benehmen, und die Wahrheit der Worte JEsu Christi zu Petro retten. *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum.* Matth. XVI.

Sæculum IX. A.C. 880.

silium Imperatorem decima tertia Augusti anno octingentesimo octogesimo, Indictione decima tertia, data, laudat Principis zelum, qui in labore reducendi Ecclesiam ad pacem & concordiam enituisset, & hortatur ad constantiam. Gratias agit, quod triremes ad defendendum patrimonium S. Petri miserit, quod Ecclesiæ Romanæ Monasterium S. Sergii in Civitate Constantinopolitana, & Jurisdictionem in Bulgariam rediderit. Vult dicere, id ab Imperatore fuisse promissum; quamvis hujus promissi effectum nullum videamus. Sub finem addit: *Approbamus, quod Concilium Constantinopolitanum gratiæ causa Photio concessit, cum eum rursus in Sedem Constantinopolitanam reduxit. Si vero Legati nostri quidquam contra mandata a nobis accepta egerunt, non recipimus, & illud aliquatenus valere nolumus.*

ep. 250. Papa Photio quoque scribens, lætitiam profitetur, ob reconciliationem Ecclesiæ Constantinopolitanæ; sed queritur, quod sua mandata fuerint neglecta. *Consensimus*, inquit, *ut secundum viscera misericordiæ ab Ecclesia recipereris. Tu vero scribis, misericordiam ab illis solum, qui deliquerunt, esse implorandam. Noli istam excusationem afferre, ne ex numero illorum sis, qui co-*

rana

ram hominibus justi videri volunt. Diceris vir esse, cui virtus humilitatis Christianæ sit familiaris; noli igitur impatienter ferre, quod ab Ecclesia misericordiam rogare jussus fueris, Sæculum IX. A. C. 880.

In fine Epistolæ Papa dicit, quod Concilium Constantinopolitanum recipiat, sed iisdem conditionibus, quas in Epistola ad Imperatorem apposuerat. Unde dispicitur, quod fidem Legatorum suorum suspectam habuerit.

Has Epistolas detulisse creditur Marinus Episcopus, qui olim Diaconus & Hadriani II. Papæ Legatus Concilio Constantinopolitano octavo Oecumenico, anno octingentesimo septuagesimo celebrato, præfuerat. Illud satis exploratum, quod a Joanne Papa missus Constantinopolim, cum ad abrogandam Synodum VIII. consensum præbere nollet, carceri datus, & unius mensis spatio detentus fuerit. (*) *Sup. Lib. LI. §. 26.* *Steph. Pap. ep. 1.*

§. XXVIII.

Carolus Crassus Imperator.

Quamvis Imperatoris Basilii Classiarii in Italia Saracenos prœlio fudissent, illa tamen victoria Roma non fuit liberata.

(*) Ex his omnibus plane conficitur, pleraque in Synodo Photiana peracta nullius roboris fuisse.

Sæculum IX. A. C. 880.

rata. Id enim discimus ex Epistola Papæ, die trigesima Octobris anno octingentesimo octogesimo, ad Carolum Regum Germaniæ alterum data. *Nihilominus*, inquit, *a Saracenis, quin & a civibus nostris dire vexamur, nemini ex Urbe pedem efferre, nec ad laborem obeundum alendis hominibus necessarium, nec ad pia Religionis opera peragenda, licet. Unde nisi opem feras, non sine tua culpa peribimus.* Easdem preces in pluribus aliis Epistolis repetit; unde dispicitur, quod ab eo potissimum Principe auxilium speraverit. In quadam Epistola decima Sept. anno 880. ad eundem data, dicit Papa, quod eum Romæ expectet, & impleturus sit, quod promisisset; nempe quod Imperatorem esset coronaturus. Carlomannus Caroli frater vigesima secunda Martii ejusdem anni 880. naturæ debitum solverat, Ludovico autem fratri ejus alteri satis hostium in Normannis continuo incurrentibus & Sclavis a se deficientibus erat. Cum itaque Rex Carolus sub finem hujus anni Romam venisset, eum Pontifex in Festo Nativitatis Domini Imperatorem coronavit. Is est, qui cognomento Crassus dicitur.

ep. 246. 249.

ep. 252.

Ann. Fuld. 880.

Ann. Bert 880.

Metens. 881.

Conjicere pronum est, Anspertum Archiepiscopum Mediolanensem de hac Coronatione cum Papa consensisse; is quippe

quippe eodem tempore in gratiam rediit. Paulo ante data Epistola Anspertum durius reprehenderat Papa, quod duos Monachos in carcerem conjecisset. At decima quinta Februarii anno octingentesimo octogesimo primo Ordinationem Josephi, quem Anspertus Episcopum Astensem consecraverat, confirmavit, etsi antea ejusdem Josephi Ordinationem ad Ecclesiam Vercellensem, ab Anspertо factam, nullam pronunciasset. Simul Papa Anselmo Archidiacono Mediolanensi præcipit, ut ad Communionem Ansperti, a quo secesserat, redeat, alterique Dynastæ, nomine Attoni, ut Bona Ecclesiæ Mediolanensi subtracta, restituat, & utrique, nisi obtemperet, excommunicationem comminatur. Anspertо anno sequente octingentesimo octogesimo secundo fatis functo Anselmus successit.

Sæculum IX. A. C. 881.

ep. 256.

ep. 260.

ep. 261.

ep. 262.

§. XXIX.

Athanasius Neapolitanus excommunicatur.

At Papa Athanasium Episcopum Neapolitanum in Concilio ad S. Petrum Romæ, mense Aprili, anno 881. habito, fulmine Ecclesiastico perculit. Sententia erat hujusmodi: *Cum Athanasium Episcopum Neapolitanum, sæpe monuerimus, ut fœdera cum Saracenis inita reji-*

ep. 265. *to.* 9. *Conc. p.* 336 *Epist.* 270.

Sæculum IX. A. C. 881.

ceret, atque in hanc ſpem ei non modicam pecuniæ vim miſerimus; cum ipſe quidem fidem dederit, ſe illa pacta reſciſſurum & ab impia ſocietate receſſurum, conſentiens, ut a Sacerdotio depoſitus anathemate percuteretur, ſi fœdere cum Infidelibus iterum admiſſo pollueretur; cum præterea datam fidem fregerit, nos ſæpe eluſerit, & cum Saracenis ſpolia a Chriſtianis detracta partitus fuerit, eum omni Communione Eccleſiaſtica privavimus, & tanquam Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſſimum anathematizavimus, usque dum a Saracenorum turpiſſima communione penitus abſtineat. Hanc ſententiam Papa etiam ad Epiſcopos vicinos Cajetanum, Capuanum, Verolanum, Amalfienſem, Beneventanum & Salernitanum miſit.

ep. 294. Athanaſius paulo plus anno uno excommunicatus tandem miſſo e ſuis Diacono Papam rogari juſſit, ut ſe abſolveret, inviſa cum Saracenis fœdera rupturum. Illico Papa Neapolim mittit Marinum Epiſcopum, Sacræ Sedis theſauro Præfectum, aliumque virum ſpectabilem, nomine Siconem, cum Epiſtola, in qua Athanaſium ab excommunicatione & ſuſpenſione abſolvebat, *ea conditione*, inquiebat, *ut præſentibus noſtris Legatis captos, quotquot poteris, Saracenorum præcipuos, quorum nomina tibi ſignificamus,*

mus, aliis jugulatis, (*) *ad nos transmittas.* Hæc conditio a Papa in absolutione Episcopi adjecta ab antiqua Ecclesiæ mansuetudine abhorret. Sæculum IX. A. C. 881.

§. XXX.

Concilium ad Sanctam Macram.

Eodem tempore, quo Romæ in Concilio Athanasius condemnabatur, Episcopi quarumdam provinciarum in Francia Synodum celebrabant in loco, qui *Finibus* † dicebatur, Diœcesis Remensis in Ecclesia S. Macræ Martyris, quam Ecclesia sexta Januarii colit. Huic Concilio initium datum secunda die Aprilis anno octingentesimo octogesimo primo, Indictione decima quarta, Hincmaro Archiepiscopo Præside, cujus Stilus in octo Articulis, ad nos usque delatis, facile dignoscitur. Hos potius prolixas exhortationes quam Canones dixeris. In primo de diversitate utriusque Potestatis, Sacerdotalis & Regiæ, agitur, atque celebratissimus locus S. Gelasii Papæ affertur. Longus textus citatur ex S. Gregorio negligentiam Episcoporum vitu- *to. 9 Conc. p. 337. Mart Rom. 6. Jan.*

† Fîmes.

c. 4.

(*) Ioannis Papæ verba sunt: *Si Majores Saracenorum, quanto melius potes, quos nominatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, & jugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis absolvimus. &c.*

Sæculum IX. A. C. 881.

perante. Præcipitur, ut Regis Mandatarii cum Episcopo Diœcesano, illis quoque consentientibus, qui reditibus fruebantur, Monasteria tam Canonicorum quam Monachorum & Monialium visitent. Numerum pensent, & mores Religioforum virorum, alimenta, locorum Regularium fabricam, Thesaurum, Bibliothecam, hospitalitatem, & quas largirentur eleemosynas. Hæc omnia in tabulas referant, Regi mittendas, ut adhibito Episcoporum consilio, quid agendum sit, decernere valeat. Nempe Monasteria à viris potentibus possessa sæpe in statum calamitosissimum dejiciebantur. c. 2. Tum afferuntur complures textus Scripturæ & SS. Patrum adversus prædones, quorum in dies crescebat audacia. c. 6. Adjiciuntur excerpta ex Capitularibus, unde Rex, ejusque Præfecti discerent, qua ratione reprimendi essent. Docentur Fideles, quam necessaria sit pœnitentia, & rerum male partarum restitutio. c. 7.

Tandem Concilium, sermone ad Regem directo (erat vero Rex in illis Franciæ partibus Ludovicus, hujus nominis tertius, nam frater ejus Carlomannus in Burgundia & Aquitania regnabat) ei proponit exemplum Caroli Magni, qui ex numero illorum virorum, cum quibus consultare solitus erat, tres sapientia præ- c. 8. stantes,

stantes a latere suo nunquam avelli pa- Sæculum IX.
tiebatur, & ubicunque noctu somnum A. C. 881.
capturus erat, pulvinari tabellas suppo-
nebat, quibus cogitationes suas vel Ec-
clesiæ vel Reipublicæ utiles inscriberet,
& postea viris, sibi a consiliis, communi-
caret. Tum Princeps juvenis monetur,
multos ipsum potestatis Regiæ socios ha-
bere & vix nisi solo nomine Regem esse.
Excitatur, ut prudentia & fortitudine æ-
tatem superaret.

Tandem Concilii nomine amplissima *Ap. Hincm.*
exhortatio Regi missa, ad comprimen- *opusc. 16. to.*
dos prædones, qui viduas, puellas invi- *2. p. 25.*
tis parentibus, quin & Virgines Deo Sa-
cras rapiebant, & complures Canones
excerpti.

Odone Episcopo Bellovacensi fatis *Hincm. ep.*
functo, Concilii Patribus ad S. Macram *12. tom. 2.*
oblatum est Decretum, quo Clerici po- *p. 188.*
pulusque quemdam Clericum, Odacrum
nomine, Episcopum eligebant. Et huic
quidem Rex favebat; sed cum eum Con-
cilium tanto gradu indignum judicaret,
missi sunt ad Regem Episcopi cum Epi-
stola, in qua causæ, cur Odacer rejice-
retur, exponebantur, & Rex libertatem
eligendi sibi Episcopum, quem vellent,
populis concedere rogabatur. Hæc res
Regem offendit, relatumque per amicos *n. 3.*
est Hincmaro Archiepiscopo, permultos
passim jactare; quoties Rex electioni E- *n. 4.*

Sæculum IX. A. C. 881.

piscopi locum concederet, non alium eligendum esse, quam quem ipse vellet. In ipsius potestate esse Bona Ecclesiastica, quæ dare posset, cui sibi videretur.

n. 6. Reddita deinde est Hincmaro Regis Epistola, in qua dicebat; propositum sibi

n. 7. esse tam in negotiis ad Rempublicam quam ad Ecclesiam pertinentibus Hincmari consilia sequi. Rogare, ut eadem charitate, qua antea Reges Antecessores suos, ipsum prosequeretur, *cupio etiam,*

n. 8. 9. adjiciebat, *te consentiente & ordinante Episcopatum Bellovacensem Odacro, dilecto filio tuo, & fidelissimo subdito meo conferre. Si in gratiam mei consenseris, & ego iis omnibus, quos tibi carissimos scivero, bonorem habebo.*

§. XXXI.

Hincmari Epistolæ pro libertate Electionis.

ep. 12. Hincmarus respondit data Epistola in hunc ferme modum: *In Epistola,*

n. 2. *quam Concilium nostrum ad te dedit, Rex, nihil est, quod Reverentiam Principis lædat, aut Saluti Regni tui adversetur; sed Metropolitæ & Episcopis Provinciæ jus electionem Episcopi ad examen vocandi & confirmandi secundum Canones asseritur. Noli audire dicentes, tuo arbi-*

n. 5. *trio eligendos esse Episcopos, tibique Bonorum*

norum Ecclesiæ competere Dominium; quippe ejusmodi sermones Infernus & os serpentis exhalat. Memento promissi tui editi, cum in Regem unctus es, cui tua manu subscripsisti, & Deo super Altare præsentibus Episcopis obtulisti. Illud tibi, tuis ad consilium adhibitis, relegi jube, & cave ne in Ecclesiam malum invebas, quod Progenitores tui, maximi Imperatores, cum viverent, ausi non sunt. Ego quidem fidissimus & addictissimus tibi semper ero. Labores non modicos subii, ut Rex esses. Absit ergo, ut injurias pro accepto beneficio reddas, cum Archiepiscopum & senem abstrahere vis a sancta semita, quam per annos triginta sex, ex quo Episcopatum suscepi, Deo immortali laudes! secutus sum. Promittis, fautorem te futurum eorum, quos amavero. Sed nibil unquam a te petam, nisi pro pauperibus, & quod Saluti animæ tuæ prodesse possit. Perpende autem, o Rex! Ordinationes Episcoporum, si contra Canones fiant, esse Simoniacas, & omnes consentientes eodem involvi crimine. Ne credas, banc Doctrinam in meo cerebro natam; nam ea est, quam JEsus Christus, Apostoli & Sancti ejus, qui cum ipso regnant in Cælo, nobis tradiderunt. Væ tibi, si eam contempseris. Itaque Episcopi in Synodo congregentur, & cum Clericis & populo, te consentien-

Sæculum IX. A.C. 881.

n. 7.

n. 9.

n. 10.

Sæculum IX. A. C. 881.

te, Episcopum Ecclesiæ Bellovacensis eligant.

Ep. 13. *p.* 190

Hoc responso ad Regem perlato, Hincmarus decima tertia Junii alteram Epistolam stilo vehementiore exaratam accepit, in qua Rex adolescens a suis ad dicendum impellebatur. *Nisi de Ordinatione Odacri nobiscum consentias, satis exploratum erit, nos tibi viluisse, nec ullam nostri reverentiam, aut jura Regia conservandi curam superesse, sed te nobis in cunctis adversandi studio agi. Si nobis æqualis litem moveret, viribus omnibus Dignitatem asserere contenderemus; nunc vero, cum lædamur a subdito, injuriam contemptu ulcisci oportet. Interim a sententia non abibimus, donec rem ad Regem fratrem nostrum & Reges propinquos nostros perscripserimus, omnesque regnorum nostrorum Episcopi congregati fuerint, qui utique, quod Dignitati nostræ competens est, pronunciabunt. Denique, si opus fuerit, nec alia etiam, quæ ratio suggeret, nobis remedia deerunt.*

n. 5.

Hac Epistola Hincmarus acrius incensus, ad illud sibi objectum, quod in reverentiam Regis peccasset, & obedientiam non præstitisset, respondet, Notarium, qui Epistolam scripsisset, impudenter mentiri. Ad illum Epistolæ locum ubi contemnebatur, quod Regi æqualis non

Sæculum IX. A. C. 881.

non esset, potestatem spiritualem laudibus effert, *non tu me*, inquit, *o Rex, ad regendam Ecclesiam vocasti; ego vero cum Collegis meis & ceteris Fidelibus te elegi, ut regno præesses ea conditione, si Leges servares. Neutiquam pertimescimus rationem factorum nostrorum in Concilio Episcoporum reddere, quia nihil contra Canones egimus. At nisi tu, quod perperam factum, emendaveris, justus Dominus, quando visum fuerit, corripiet. Ludovicus Imperator ad annos Caroli † parentis sui non pervenit, Avus tuus Carolus † pauciores annos numeravit, quam pater suus, & brevior vita parentis tui fuit, quam Avi. Cum Compendii versaris, ubi Majores tui quiescunt, demitte oculos, & quære; ubi jaceat pater tuus, & ubi conditi sint cineres avi tui, & cave, ne superbia te inflet in oculis illius, qui pro te mortuus est, & resurrexit, jamque amplius non moritur. Tu quidem cito transibis; sed Ecclesia cum Pastoribus suis sub JEsu Christo Capite suo, sicut promisit, in æternum manet.*

Hincmarus pro Libertate

† Magni

† Calvus

Ista Hincmari comminatio vaticinium cœlitus suggestum videri potuit, cum anno sequente hunc Regem Ludovicum adolescentem mors rapuit.

Tum prosequitur Hincmarus: *Quod deinde subjicis; si necessarium fuerit, fa-* ep. 19. II.

Sæculum IX. A. C. 881.

turum te præterea, quod ratio postulaverit. Satis intelligo, hæc ad timorem mihi incutiendum fuisse addita. Verum plus potestatis non habes, quam a cælo accepisti. Et faxit Deus, ut vel tua vel alterius opera liberer ex hoc carcere corporis veteris & fracti! utinam, me vocet ad se, quem ex totis præcordiis videre cupio, non quidem meritis meis confisus, nihil enim nisi pœnam mereor, sed spero in ejus misericordia & gratia, etiam immerito concedenda. Si vero peccavi, cum, permultis invitis & metuenda multa minantibus, de te in Regem eligendo consensi, oro Deum, ut tu ipse conciliati tibi Regni pœnas a me expetas in hac vita, nec luere cogar in altera. Cumque nihil magis tibi cordi sit, quam Odacri electio, tempus mihi indica, quo Episcopi Provinciæ Remensis cum illis, quos Concilium ad S. Macram ad te delegavit, conventuri sunt. Illo etiam a famulis deportari me curabo, si superstes fuero. Jube venire Odacrum illosque, qui eum elegerunt, sive ex Regia tua, sive ex Ecclesia Bellovacensi sint. Tu ipse adsis, si visum fuerit, vel Legatos mitte, & exploretur, an Odacer per portam in ovile intraverit. Sciat vero, si non venerit, nos eum esse quæsituros, ubicunque in Provincia Remensi extiterit, & secundum Canones Ecclesiæ invasorem damnaturos.

turos. *Nunquam in quocunque hujus provinciæ loco munere Ecclesiastico fungi licebit, cuncti vero, ipsius criminis conscii, a Communione repellentur, donec Ecclesiæ satisfecerint.* Sæculum IX. A. C. 881.

§. XXXII.

Odacer excommunicatur.

Tandem cum annus integer præteriisset, ex quo Odacer fuisset intrusus, Hincmarus cum Episcopis suæ provinciæ sententiam in eum edidit, in qua dicit: *Dei Judicium non timuit, nec doluit, quod hoc anno in Cœna Domini multi, quibus Odo Episcopus pœnitentiam publicam injunxerat, reconciliari non potuerint, nec Communionem accipere.* Opusc. 52. p. 811. Quod compluribus solemni ritu Baptismus & Confirmatio non fuerit collata, quod compluribus parochis in Ecclesiis ruralibus defunctis, forsan multi infantes sine baptismo mortui sint, aut alii sine Absolutione, sine Extrema unctione, sine Viatico, sine precibus solemnibus pro quiete animarum suarum decesserint. (*) Cum

(*) Ecce iterum usus omnium Sacramentorum tam vivorum, quam morientium, atque preces pro mortuis contra Protestantes manifeste comprobantur. Quid ipsi respondent? Superstitio-

Sæculum IX. A. C. 881.

Cum Oeconomo incumbat, Reditus vacantis Ecclesiæ solicite custodire, Odacer via facti & potentia sæculari subnixus non solum reditus, sed etiam Bona omnia Ecclesiæ Bellovacensis occupavit; quin scimus, quod ad obtinendam hanc Dignitatem pecunias resque alias per amicos suos, nobis non ignotos, dederit. Unde, quia provinciæ Remensis Clericus non est, eum secundum Canones excommunicatum declaramus, & si in contumacia perseveraverit, indignum, qui in hac provincia quocunque tempore Ministerio Clericali fungatur, aut Communionem, nisi ad extrema deductus, tanquam Viaticum accipiat. Ceterum, vicit Hincmari constantia; nam Odacer Episcopis Ecclesiæ Bellovacensis non adnumeratur.

§. XXXIII.

Forma in Electione Episcoporum servanda.

Sup. Lib. XLVI. §. 47. to. 2. Conc. Gall. ap. to. 8. Conc. general. p. 1866

Libertas eligendi Episcopos a Ludovico Pio restituta adhuc dum stabat; nam ejus usum dispicimus ex compluribus Actis illius ætatis a Patre Sirmondo colle-

---

sitiosa jam tunc erat Ecclesia Romana. Quid vero? Ecclesia Romana erat superstitiosa, & nulla alia extra ejusdem Romanæ Ecclesiæ Communionem existebat, ubi promissum Christi?

collectis, quorum mentionem in hac historia facere, omnino operæ pretium existimo. Sæculum IX. A. C. 881.

Quamprimum Episcopus mortuus erat, mittebantur nuncii, qui Ecclesiæ vacantis nomine rem Metropolitæ significarent. Id cognoscimus ex Epistola Hincmari ad Regem Carolum Calvum data, in qua dicit: *Clerici tres & Laici duo Ecclesiæ Silvanectensis ad me venerunt, indicantes, quod Frater noster Erpoinus e vita discessisset, & afferentes Libellum Cleri, populique rogantium, alium sibi Pastorem secundum Canones dari. Quæsivi, an in mandatis haberent, virum nominandi ad eam Dignitatem promovendum, & responderunt, nihil aliud sibi præceptum, quam me rogare, ut curarem, ipsis a te libertatem more solito Episcopum eligendi concedi. Etiamsi vero obitus Erpoini jam die præcedente mihi nunciatus fuisset, id tibi perscribere nolui, priusquam illius Ecclesiæ Delegati de more ad me venissent. Igitur rogo te, ut in Epistolis tuis quemcunque volueris ex Episcopis Fratribus nostris nomines, quem datis literis Canonicis in hac Ecclesia Visitatorem constituam. Is curabit Episcopum eligi, mihique vel ipse afferet, vel mittet Decretum ab omnibus subscriptum. Ego vero omnia ad te deferam. Te* n. 1.

consen-

Sæculum IX. A. C. 881.

consentiente postea mittam mandatum meum ad Episcopos Remensis provinciæ, præstituta die locoque, quo ad ordinandum Episcopum electum congregentur, & ipsi veniant, vel misso Presbytero aut Diacono in Epistolis consensum suum indicent.

n. 2. Forma mandati, quod Episcopo Visitatori dabatur, occurrit in Epistola ejusdem Hincmari data ad Hedenulfum Episcopum Laudunensem, cui defuncto Joanne Episcopo cura Ecclesiæ Cameracensis committitur. *Ad hanc Ecclesiam*, inquit, *celeriter te confer, hortare publice populum, ut pravis affectibus depositis unanimi consensu illum eligant, quem dignum invenerint, & nulla Irregularitate impeditum. Mitto tibi Electionis Formulam, quam publice prælegi jubeas, ne quis ignorantiam prætendat. Non solum Clerici illius Civitatis eligant, sed etiam omnia illius Diœcesis Monasteria, omnes Parochi rurales delegatos mittant, qui unanimem eorum consensum deferant. Laici nobiles & Cives præsentes sint; ab omnibus enim eligendus est, cui omnes deinde obediant. Si de viro idoneo consentiant, cura, ut Decretum edant, cui singuli subscribant, cumque petiero, mittant ad me Electum cum Decreto electionis, & delegatis sufficien-*

ficienti numero, ad reddendum omni exceptione majus teſtimonium. Sæculum IX. A. C. 881.

Eodem tempore Metropolita Clericis populoque Eccleſiæ vacantis ſcribebat; quod diſpicimus ex duabus Hincmari Epiſtolis, una, memorata occaſione, nempe Joanne Cameracenſi defuncto, altera ad Eccleſiam Bellovacenſem, poſt obitum Odonis Epiſcopi, data. *Jejunate*, inquit, & *inter ſolemnes preces ad templa procedite. Deinde ad eligendum Epiſcopum mature convenite; Decretum autem non niſi præſente, quem vobis miſimus, Epiſcopo Viſitatore conſcribatur. Eligetis Presbyterum vel Diaconum ex gremio Eccleſiæ veſtræ, ſive ex Civitate, ſive ex Monaſteriis. Sed ſi in Diœceſi, quod abſit, virum dignum non inveneritis, aliquem ex alia Diœceſi noſtræ provinciæ, vel etiam alterius advocate; tunc autem neceſſario, ſcripta illius Epiſcopi, cujus Clericus fuerit, licentia obtinenda eſt. Inprimis cavete, ne in iſta Electione Simoniæ vitium irrepat.* n. 3. n. 4. Electio Episcoporum.

Hincmarus poſt hæc adnotat omnes cauſas Irregularitatis, quæ in Decretalibus leguntur, & Dotes, quibus Epiſcopum ornatum eſſe decet, & ſubjicit: *Electum ad nos deducetis examinandum, & ſcitote, quod ſi indignus judicetur, eum non modo veſtrum Epiſcopum non futurum, ſed vos etiam cenſuris Eccleſiaſticis*

Sæculum IX A. C. 881.

sticis innodandos. Nos vero cum Episcopis Fratribus nostris, rejecta electione vestra illegitima, Episcopum vobis daturos, qui vitia vestra non dissimulet.

Postquam Episcopus Visitator advenisset, & Clericos populumque Ecclesiæ vacantis convocasset, dicebat pro concione. Habemus ejusmodi sermonis exemplum, cum Ludovici Pii ætate quidam Episcopus eligeretur. *Notum vobis facimus*, inquit ille Visitator, *nos huc missos venisse, ut significaremus, libertatem Episcopum eligendi ab Imperatore vobis concedi, & jussisse Principem, ut vobis explicaremus, quibus virtutibus instructum, & a quibus vitiis immunem oporteat esse Episcopum.* Tum citat S. Paulum ad Titum & Timotheum, subjungitque: *Afferatur Liber, & hi Textus coram nobis legantur. Volumus etiam, ut nobis Canones prælegantur, ne quis se ignorantia excuset.* Lectis postea compluribus Canonibus sermone ad Presbyteros directo, inquit, *Memineritis Ordinationis vestræ, Presbyteri, quorum est animas regere, qui columnæ Ecclesiæ existitis, qui ore vestro JEsu Christi Corpus consecratis, & homines impositione manuum vestrarum e captivitate Dæmonis liberatis. Cavete ne malis artibus infernalis veteratoris seducti potestate eligendi abutamini.*

n. 6.

Tit. 1. 1.

Tim. 3.

Tum

Tum ad reliquos Clericos, ad Virgines, ad Viduas, tandem ad Nobiles ceterosque Laicos, qui uxores habebant, conversus, *Orate*, inquit, *ut non ex alia, sed ex hac Familia Episcopum det vobis Deus; sæpe enim dissensiones & scandala inter Episcopum aliunde advocatum, & gregem suum oriri solent. Si indignum elegeritis, non consentiemus, sed rem ad Imperatorem deferemus, qui deinde salva Canonum auctoritate, cuicunque voluerit Clerico hanc Sedem conferre poterit.* Tandem omnes Fideles præsentes alloquitur, ad jejunium triduanum, ad dandas eleemosynas, & preces ad Deum devotissime peragendas excitat, unde Cœlo favente illum virum eligere valerent, quem optimum, doctissimum & virtutis amantissimum cognoscerent. Quod Episcopus Visitator hic dicit, in potestate Imperatoris futurum, Sedem illam, cui vellet, dare, nihil supra comminationem est; nam contrarium paulo ante ex Epistola Hincmari didicimus.

Sæculum IX. A. C. 881.

Sup. n. 31.

Decretum Electionis erat in forma Epistolæ, ad Metropolitam ejusque Suffraganeos nomine Clericorum populique Ecclesiæ vacantis directæ. Ejusmodi literarum tria nobis suppetunt exempla. Primo Decretum Electionis Hedenulfi in Sede Laudunensi, Hincmaro deposito, vigesima octava Martii anno 876. datum.

Form. n. 7.

Sup. Lib. LII. §. 34. De Electione Episcoporum.

Sæculum IX. A. C. 881.

In eo exponitur, quanta utilitas sit in electione libera; videlicet, ne populus Episcopum a se minime expetitum vel contemnat, vel oderit, & ne rerum sacrarum vilipensio succedat, si Episcopus, cujus desiderio tenebatur, denegetur. Sic etiam ordinantes Iubentius Electo manus imponere, cum videant, hunc Pastorem ab omnibus unanimi consensu ex-

n. 8. optari. Secundum, est Decretum Electionis Æneæ in Sede Parisiensi, Ercan-

Sup. Lib. XLIX. §. 13. rado fatis functo. In quo Æneas, Rege id desiderante, electus dicitur, ita ut potius consentiat populus, quam vere eligat. Exemplum tertium est Ansegisi

Form. n. 9. Archiepiscopi Senonensis e Provincia Remensi & Diœceesi Bellovacensi, ubi Abbas S. Michaelis erat, evocati. In Decreto legitur, quod Episcopis provinciæ Senonensis permittentibus, & Rege consentiente, eligatur. Datum est vi-

Hinc. opusc. 43. c. 2. p. 717 gesima septima Junii anno 871. Ceterum, Electionis Decretum in membrana scriptum esse oportebat, in qua Clerici, Monasteriorum Delegati, Parochorum Ruralium præcipui, & primores populi subscribere possent.

Ubi Electus erat Diaconus, præstituto tempore Presbyter ordinabatur. Et postquam in locum, in quo ordinandus erat, advenisset, pridie, nempe in Sabbato, omnibus illius provinciæ Episcopis

in

in Ecclesia Metropolitica collectis Decretum Electionis promulgabatur. Quærebant Episcopi ex Delegatis, an unanimis fuisset eligentium consensus, sicut in Decreto legeretur, & an bonas dotes, quas in Electo reperiri affirmarent, revera in ipso agnoscerent. Responso audito, rursus quærebant, an nemo adesset, qui in re quacunque Electum accusare vellet, aut contra ejus electionem reclamare. Tum Electus ad examen vocabatur. Hunc in modum procedendum esse, Hincmarus Episcopum Metensem Adventium monuit, eidem Formulam Consecrationis Episcopi transmittens. Sed quale hoc examen fuerit, melius capiemus ex Actis Ordinationis Guillelberti Episcopi Catalaunensis ad Matronam, quæ sunt hujusmodi.

Sæculum IX. A.C. 881.

§. XXXIV.

Examen Episcopi electi.

Anno octingentesimo sexagesimo octavo, tertia Dec. nempe feria sexta, Cadurci in Ecclesia convenerunt Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Hincmarus Episcopus Laudunensis, Odo Bellovacensis, cum Delegatis aliorum ex illa provincia Episcoporum afferentibus literas, quibus absentiæ causam indicabant. Ex aliis quoque provinciis aderant Episcopi, Venilo Rotomagensis,

Form. provot. n. 11.

Sæculum IX. A.C. 881.

Herardus Turonenſis, Egilo Senonenſis, & Fulricus Trecenſis; ita ut hic Conventus non immerito Conciliis accenſeri poſſet. Eſtque veriſimile Epiſcopos Comitiorum celebrandorum cauſa conveniſſe. Igitur, cunctis Epiſcopis congregatis, Clerici, Magiſtratus, populusque Catalaunenſis (nempe Mandatarii) Decretum Electionis obtulerunt, petentes, ut Guillebertus Presbyter Eccleſiæ ſuæ Epiſcopus ordinaretur.

Hincmarus Archiepiſcopus, poſtquam eos objurgaſſet, quod alii in denunciando Epiſcopi defuncti obitu ipſis diligentiores fuiſſent, rationem expoſuit, cur in eorum Eccleſia ad alteram electionem procedendum fuiſſet, quod nempe in prima contra Canones peccatum fuiſſet. Tum Decretum Electionis publice lectum cum ſubſcriptionibus. Quæſitum ex Canonicis, Monachis, Parochis & Laicis nobilibus, an de Electione Guilleberti conſentirent, quibus id tam ſuo quam abſentium nomine affirmantibus, Hincmarus dixit: *Non novimus virum, oſtendite eum nobis, quo ſcire poſſimus, an tanto gradu dignus ſit.* Ergo conſpectum Epiſcoporum ſubeuntem Hincmarus interrogat, unde eſſet; reſpondetque Guillebertus: *Sum ex Regione Turonenſi.* Hincmarus: *Cujus conditionis homo?* Guillebertus: *Etſi pecca-*

peccator, liber natus sum. Hincmarus: *Ubi literis operam dedisti?* Guillebertus: *In Scholam Turonensem ad literas humanas discendas missus sum.* Hincmarus: *Quem Ordinem habes, & a quo ordinatus es?* Guillebertus: *Herardus, Pater meus, quem hic vides, omnes Ordines atque etiam Diaconatum mihi contulit, literis postea ipsius munitum Erpoinus Presbyterum me ordinavit.* Hincmarus: *Quare in nostram provinciam venisti?* Guillebertus: *Ad Regiam Principi serviturum miserunt me parentes mei, Herardo Archiepiscopo meo licentiam concedente.* Hincmarus: *Quod tibi apud Regem ministerium?* Guillebertus: *Redituum commentariis præfectus eram.* Sæculum IX. A. C. 881.

Tunc Hincmarus: *Quia rei alienæ administrator fuisti, ausculta, quid de iis Concilium Calcedonense dicat, & illum Canonem legi jussit.* Guillebertus respondit: *Non fui Quæstor, a nemine quidquam exegi, nec ad pendendum debitum compuli, sed comportatæ pecuniæ numerum in tabulas relatum Regi exhibebam.*

Examen.

Tum interrogati, qui in Regia versabantur, an Guillebertus in illo ministerio aliquod factum perpetrasset, quod eum Sacerdotio indignum redderet. Complures nobiles Laici responderunt, eum nihil unquam feciſſe, quod suo of-

Sæculum IX. A. C. 881.

ficio aut legibus Ecclesiasticis adversare-tur. Rursus Hincmarus interrogat; an aliquando officio Ecclesiastico functus fuisset? Respondit; fuisse se Præpositum Monasterii S. Vedasti Attrebatensis, jubente Episcopo suo Joanne, & Monachis consentientibus. Tumque literas Joannis Episcopi & Monachorum legi petiit, qui ejus mores commendabant. Hincmarus iterum: *Cum aliquod Munus apud Regem obieris, explorandum est, an non Regis debitor existas.* Tum productæ sunt Epistolæ cum sigillo Regis, in quibus Rex profitebatur, Guillebertum sibi commissi muneris rationem accurate reddidisse, nec se unquam ab eo aliquid amplius exacturum; quin si Episcopali fastigio dignus inveniretur, petere se, ut Episcopus Catalaunensis ordinaretur.

His omnibus per Epistolas & testes probatis, Hincmarus ad Archiepiscopum Turonensem: *Cum in tua Diœcesi sit natus, educatus, & ordinatus, petimus a te licentiam, qua eum examinabimus, an Episcopatu dignus sit.* Atque Herardo hanc licentiam lubentissime concedente, Guillebertus coram Episcopis considere jubetur, traditur ei Liber Pastoralis S. Gregorii, ut primum Caput legeret; interrogatur, an illud intelligeret, an eadem docere, & vitam suam ad

ad eam normam instituere vellet. Cumque respondisset, quod vellet, traditur ei legendus quartus Canon Concilii Carthaginensis, respondit que, se eum capere, & observare velle. Tum prælegun-tur ei Documenta, quæ Neo-Episcopus ab Ordinatoribus suis recipere debebat, Regulas vitæ ejus morumque continentia, & interrogatur, an iis conformem vitam ducere vellet, ipsoque respondente, quod vellet, tandem Fidei suæ Confessionem publice recitare jubetur, eique subscribere, si ita crederet, si vero non crederet, libere discedere. Legit, & professus est, hanc esse Doctrinam, quam gregi suo explicaturus esset. Sæculum IX. A. C. 881.

Expositio Fidei, quam Guillebertus professus est, non est inserta, sed Formulam habemus illius ætatis communem, & etiam peculiarem Adalberti, ab Hincmaro in Episcopum Teruanensem ordinati. In ea primo ponitur Articulus de Ecclesia Catholica, in qua sola esset remissio peccatorum, & extra quam nemo salvari posset. (*) *Recipio reverenter*, inquit profitens, *sex Concilia Generalia, Nicenum contra Arium, Constantinopolitanum contra Macedonium, Ephesinum contra Nestorium, Calcedonense contra* *Form. prom. n. 13. n. 12.*

(*) Hujusmodi Testimoniis omnium Sæculorum Protestantium Sophismata jugulantur.

Sæculum IX. A. C. 881.

Electio Episcoporum.

Eutychem, Constantinopolitanum contra Theodorum aliosque Hæreticos, & tandem Constantinopolitanum de Quæstione duarum Operationum JEsu Christi celebratum. Ultima duo Concilia prætent silentio, & subjungit: *Damno omnes illos, qui in his Conciliis damnati fuerunt. Recipio Epistolam S. Leonis ad Flavianum, & S. Athanasii Symbolum, quod sæpissime in Ecclesia cantatur. Unde credo tres Personas in una Divinitate.* Tum explicat Fidem Trinitatis & Incarnationis, & addit: *Anathematizo omnes Hæreses & Schismata, quæ Ecclesia anathematizat, & omnia recipio, quæ Ecclesia recipit. Canones & Constitutiones Conciliorum præsertim Privilegia Metropolis Remensis me servaturum & defensurum promitto.*

Postquam Guillebertus, electus Episcopus Catalaunensis, in hunc modum fuisset examini subjectus, & apparuisset Catholicus, literatus, Episcopatu denique dignus, lecti sunt Canones de iis agentes, qui ex alia provincia evocantur, tumque Archiepiscopus Hincmarus cum suis Suffraganeis, Clericis, populoque Catalaunensi, humilibus precibus eum ab Herardo Archiepiscopo expetierunt, & obtinuerunt. Monuit Hincmarus Guillebertum, Fidei suæ professioni, quam modo legisset, subscribendum esse.

Illico

Illico subscripsit. Mox lectæ sunt Epistolæ Episcoporum, qui ob diversa impedimenta huic examini præsentes esse non potuerant. Dicebant, consentire se de omnibus, quæ in causa examinis & Ordinationis Guilleberti Canonice fierent. Exemplum ejusmodi Epistolarum, quibus absentes se excusabant, habemus a Prudentio Episcopo Trecensi, quod suo loco memoravi. In illa Epistola conditiones addit, quibus positis de Ordinatione Æneæ Episcopi Parisiensis consentiret.

Sæculum IX. A. C. 881.

n. 14.

Sup. Lib. XLIX. §. 13

§. XXXV.

Forma Consecrationis.

His Epistolis perlectis præstituta est dies ad ordinandum Guillebertum, nempe quinta Decembris, in quam illo anno 868. Dominica secunda Adventus incidebat. Indictus etiam locus nempe Monasterium Bratiniacense in Diœcesi Noviodunensi, & Hincmarus Archiepiscopus Guillebertum monuit, confessionem generalem de tota vita sua coram Deo esse deponendam, quo aptior ad recipiendam consecrationem Episcopalem redderetur. Ubi dies Ordinationis illuxit, Archiepiscopus, duo Episcopi Suffraganei, Hincmarus Laudunensis, & Odo Bellovacensis, atque Delegati Episcoporum absentium ad Monasterium me-

n. 11.

Sæculum IX. A. C. 881.

moratum se conferunt, cumque Archiepiscopus die Veneris in examine ad populum de Electo satis verba feciſſet, & hora urgeret, illa Dominica pro concione non dixit, sed Introitu, *Gloria in excelsis*, prima Oratione de Adventu, secunda pro Ordinando, & Litaniis decantatis, Guillebertus Episcopus consecratus est. Lecta deinde est Epistola & reliqua Missæ solemnia peracta. Tum Neo-Episcopo Documenta, die præterita eidem prælecta, ab Archiepiscopo, duobus Episcopis & Delegatis subscripta traduntur.

Adverto, quod in Adventu *Gloria in Excelsis &c.* fuerit recitatum. (*)

n. 15. Præterea Neo-Episcopus accipiebat literas Ordinationis suæ ipsa die & anno datas, quarum exemplum habemus in Literis Electramo Episcopo Redonensi traditis. In iis legebatur, quod 29. Sept. anno 866. ordinatus fuisset ab Herardo Archiepiscopo Turonensi, Actardo Episcopo Nannetensi, & Roberto Cenomanensi, consensum suum per literas profitentibus, Rege Carolo, & aliis illius provinciæ Episcopis. In Actis Ordinationis Hedenulfi Episcopi Laudunensis præterea

(*) Plane, singulare est Fleurii in rebus omnibus, ad Ritus Ecclesiæ spectantibus, adnotandis studium & diligentia.

terea continentur mandata, quibus Metropolita Neo-Episcopum instruebat. Sunt in forma epistolæ ab Hincmaro Archiepiscopo ad Clericos, Magistratus, populumque Ecclesiæ Laudunensis datæ, & Documenta in iis contenta ex Tabulis Ecclesiæ Remensis deprompta, Episcopi officia omnia in compendio exhibent, tum admonitiones non nullæ contra abusus illius ætatis adduntur. In fine Libri Pontificalis Romani similia documenta leguntur. In literis vero ordinationis Hedenulfi, quibus Odo Bellovacensis, & sex alii illius provinciæ Episcopi subscripserunt, legitur exhortatio ad ejus Clericos populumque, qua ei ut filii patri obedire jubentur. Sæculum IX. A. C. 881.

Sed fusius Ordinationis Episcoporum Ritus in epistola Hincmari Archiepiscopi ad Adventium exponuntur. Die Dominica Episcopi illius provinciæ, Clerici, populusque ad locum Ordinationis mature pergant. Omnibus præparatis, Episcopis, sacris vestibus indutis, cunctisque ceteris Clericis prope Altare expectantibus Electus Pontificali ornatu splendens a Primiceriis Clericorum Ecclesiæ Cathedralis e Sacrario producatur & in infimo loco penes Episcopos collocetur. Tum Consecrans Missam inchoat, dicit Introitum & *Kyrie*, cantat *Gloria in excelsis*, & recitat orationem, quæ in *op.* 43. Ordinatio Episcoporum.

Formula

Sæculum IX. A. C. 881.

Formula Consecrationis primo posita est. Mox, priusquam legatur Epistola, populum monet, pro Electo, eumque Consecrantibus orandum esse, prehendit ejus manum, inchoantur Litaniæ, interim Consecrante, Electo, & Episcopis assistentibus ante Altare inclinato capite stantibus.

Sub finem Litaniarum, quando dicitur *Agnus Dei*, Episcopi se erigunt, Consecrans Librum accipit, in medio aperit, & ponit supra collum Electi ante Altare adhuc inclinati, duobus Episcopis ex utraque parte librum sustinentibus. Illa ætate, qua Libri in volumen coacti erant, hic Ritus facile servari poterat, cum liber apertus utrinque, instar Stolæ, dependeret. Electo in hunc modum Evangelium portante, omnes Episcopi cum Consecrante dexteram capiti Electi imponunt, Consecrans recitat secundam orationem, præfationem, & tandem proprias Consecrationis preces. In illis locis, quæ Crucibus notantur, manu sinistra vas Sacri Chrismatis tenens, intincto pollice manus dexteræ toties in vertice Electi Crucem format. Consecratione peracta Episcopi ex ejus collo Evangelium detrahunt, Consecrans ejusdem digitum annulo ornat, dicens, eo significari fidelitatem, qua Episcopus Fidei arcana servet, scitu necessaria Auditoribus

toribus revelet, & quæ ſecreta eſſe oportet, ſilentio premat. Scilicet Veteres ſigilla annulis impreſſa circumferebant. Tum Conſecrans tradit Electo Baculum Paſtoralem Inſigne Regiminis, & pacis oſculum figit, quod etiam Neoconſecratus omnibus Epiſcopis dat. Ponitur ſedes, in qua ſecundum ordinem ſuum acquieſcit. Legitur epiſtola, quæ eſt prima ad Timotheum de Officiis Epiſcopi, atque interim Conſecrans & Epiſcopi provinciæ illius Decreto Ordinationis ſubſcribunt. Miſſa finita hoc Decretum Conſecrato ante Altare traditur, & omnes diſcedunt. Sæculum IX. A. C. 881.

Tunc vero Epiſcopus Neo-conſecratus ad Eccleſiam ſuam Cathedralem inter cantantium choros vel deducitur, vel portatur; quo ubi pervenit, in Cathedra conſidet, & orationem habet ad Clericos, exhortans, ut quilibet ſibi & Eccleſiæ in gradu ſuo miniſtret. Inde digreditur ad Sacrarium, & inchoato Introitu rediens ſolemnem Miſſam de more celebrat. Si Neo-conſecratus Metropolita fuerit, Epiſcopi provinciæ, qui eum conſecrarunt, huic Miſſæ ſecundæ interſunt, qua peracta literas Ordinationis ſuper Altare ponunt, unde reſumptas Conſecrato tradunt.

Tales Conſecrationis Epiſcopalis Cæremoniæ ætate Hincmari erant; idque mihi

Sæculum IX. A. C. 881.

mihi notatu præ ceteris dignum videtur, quod duæ Missæ, altera Consecrantis, altera Consecrati separatæ fuerint, quæ hodie conjunguntur.

Opusc. 46. to. 1.

Scripsit præterea Hincmarus Tractatum de Officiis Episcopi, in quo inter alia dicit, Episcopi esse, omnia necessaria tam Spiritualia, quam Temporalia Clericis suis suppeditare, ipsique incumbere, ut de luminaribus Ecclesiæ, de ornamentis, de fabrica, de sartis tectis, de pauperibus, de hospitalitate curam gerat. Nempe Bona Ecclesiæ necdum divisa erant; unde Episcopus Clericos sustentare & cetera memorata omnia curare debebat.

p. 762.

Dicit quoque Hincmarus, Episcopum teneri pro viribus, ex veteri more, ad defendendam Ecclesiam Regi milites mittere, ut redderent, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Nempe hæc erant obsequia Militaria, quæ omnes Dynastas, ut sæpius memini, servata ad ditiones suas proportione, præstare oportebat. Fusius deinde de usurpatione Bonorum Ecclesiasticorum differit, & speciatim prohibet, ne quis, Regis auctoritatem obtendens, de Bonis Ecclesiæ Bellovacensis rapiat. Quod accipiendum de tempore illo, quo hæc Sedes Odone defuncto, & Odacro intruso, vacabat.

§. XXXVI.

Sæculum IX.
A. C. 881.

§. XXXVI.

Res Italiæ.

Romæ Joannes Papa, cum complures querelæ contra Romanum Archiepiscopum Ravennatem ad ipsum fuissent delatæ, eum citavit ad Concilium 24. Sept. anno 881. celebrandum. Ob illud vero præter alia, Papa Archiepiscopo succensebat, quod, se præterito, Romanus Episcopum Faventinum ordinasset; unde Neo-Episcopo omnes functiones Episcopales interdixit, atque cuidam Episcopo vicino in mandatis dedit, ut in illa Ecclesia tanquam vacante munus Visitatoris obiret. Archiepiscopus Ravennas, cum vocatus ad Concilium Romanum non venisset, excommunicatus est, donec obediret, & sententia ipsius Clericis, populoque per epistolam, quarta Octobris anno octingentesimo octogesimo primo datam, promulgata. Sed ex epistolis anni sequentis eum Papæ reconciliatum dispicimus. *Ep.* 271. 272. 273. 275. *ep.* 274. *ep.* 308. *ep.* 278. *ep.* 300. 304.

Integro ferme anno, ex quo Carolus Imperator coronatus fuerat, elapso Roma ab eo auxilia nequicquam expectabat. Quod ex Papæ querelis in epistola præter alias undecima Nov. data videmus. Anno quoque sequenti octingentesimo octogesimo secundo desertum se querebatur Pontifex, datis etiam ad Richar- *ep.* 269. 177. *ep.* 279. *ep.* 293. 298.

Sæculum IX. A.C. 882.

chardem Imperatricem literis. Sed incassum omnia.

Sede Genevensi vacante, cum Carolus Imperator ad eam occupandam quemdam Clericum, nomine Optandum, eligi curasset, Otramus Archiepiscopus Viennensis, qui Bosonis Regis partes sequebatur, cum consecrare recusavit, obtendens, quod Optandus in illa Ecclesia nec ordinatus, nec baptizatus fuisset, aliumque ordinavit Episcopum. Interim Papa, ne diu vacaret Genevensis Ecclesia, rogatus ab Imperatore, Optandum suis manibus ordinatum ad Clericos populumque Genevensem mittit, jubens, ut eum reciperent. Nihilominus addebat, nolle se, ut hæc Consecratio præter ordinem peracta, Metropolitæ Jurisdictioni noceret. Otramo deinde scripsit, exprobrans, quod Bosoni faveret, quem Tyrannum & invasorem appellat, & præcipiens, ut Romam ad dicendam causam veniret, addita Depositionis comminatione. Non paruit Pontifici Archiepiscopus, quin captum Optandum angusto carceri dari jussit. Papa, hac re comperta, jubet, ut intra octo dies captivum libertatis restitueret, & Romam veniret, ubi in Concilio vigesima quarta Septembris, Indictione prima, anno octingentesimo octogesimo secundo celebrando se purgaret. Ad idem Concilium vocavit

ep. 195.

ep. 281.

ep. 288.

ep. 292. 295.

ep. 290.

vit Papa Adalbertum Episcopum Vallis Maurienſis cum Bernario Episcopo Gratianopolitano, quem Adalbertus Matutinas laudes in Ecclesia sua celebrantem, & vi armatorum inde abstractum, indignis modis habere ausus fuerat. Sæculum IX. A.C. 882.

Romanus Archiepiscopus Ravennas procul dubio ab excommunicatione absolutus fuerit, cum Papa ei scribens vigesima octava Augusti hujus anni octingentesimi octogesimi secundi Indictione decima quinta nullam hujus rei amplius mentionem faciat. Erat autem scribendi causa, quod Papa duos Diaconos Romano commendatos vellet. In tribus epistolis sequentibus eadem die datis querelas affert contra Mainbertum Ecclesiæ Bononiensis Clericum, tanquam dissidiorum inter Romanum Archiepiscopum ejusque Clericos auctorem, præcipitque Romano Mainbertum comprehendere, & in manus Joannis Ducis, a se missi, tradere Romam deducendum. Aliis Ducibus quatuor præcipit Papa, præsidium militare eidem præstare, nisi facerent, in modum pœnitentiæ injungens; quilibet centum aureos daret, atque a vino & cibis ad ignem coctis abstineret. Romanus Archiepiscopus haud diu post obiit, scripsitque Papa ad ejus Clericos populumque epistolam, in qua dolorem profitetur, hortaturque ad preces pro

ep. 300.

ep. 301. 302. 303.

ep. 304.

Sæculum IX. A. C. 882.

defuncto Episcopo suo fundendas. Unde de reconciliatione nullum dubium supereſt.

§. XXXVII.

Joannis VIII. obitus. Marinus Papa.

vit. Tom. 9. Conc.

Joannes Papa VIII. e vivis migravit hoc anno octingentesimo octogesimo secundo decima quinta Decembris, postquam Sacram Sedem annis decem tenuisset. Habemus ipsius epistolas trecentas viginti, ex quibus dispicimus, fuisse rebus politicis Italiæ & totius Imperii Francorum occupatissimum, atque tam frequenter Excommunicationis fulmen intorsisse, ut ista comminatio prope in communem epistolarum formulam transierit (*) Ceterum injunctas pœnitentias,

(*) Scriptores alii Joannem VIII. Pontificem hac censura non perstringunt.

Illud vix credibile est, quod in Antonio Pagi legitur ad hunc annum N. VIII. Freherianus (id est Continuator Annalistæ Fuldensis a Frehero editus) vero ad initium sequentis Christi anni scribit, renunciatum esse Carolo Crasso, Romæ Præsulem Apostolicæ Sedis Joannem ab iis, qui ejus thesaurum & Dignitatem anhelabant, malleolo percussum expirasse. &c. Card-

ding-

tias, ut Romam peregrinantibus faveret, temperabat. Cujus rei exemplum afferimus. Sæculum IX. A. C. 882.

Quidam, nomine Leontardus, commisso homicidio pœnitentiam ab Episcopo suo injunctam impleverat, & absolutionem acceperat. Deinde vero, cum satellitibus fugientes fures persequi jussus, adjecto mandato, ne quemquam eorum occideret, si capere posset, cum unum eorum comprehendisset, ipsi oculos eruit, tanta sævitia, ut miseri mors brevi secuta fuerit. Leontardus iterum pœnitentiam ab Episcopo petit, qui ei injunxit; non nisi in articulo mortis

dinalis Baronius istud memorat: Quod autem ad reliquas ejusdem Pontificis res gestas pertinet, reperitur in Vaticanæ Bibliothecæ monumentis ejusdem Joannis Papæ VIII. Constitutio de Cardinalibus, his verbis: *Itemque ex nostra præsenti Constitutione bis in mense vel eo amplius vel apud illum vel illum Titulum .... vos convenire mandamus. &c.*

Ceterum non est adeo mirandi locus, si quandoque in Joanne VIII. constantia desiderari videatur, cum continuis angustiis pressus Pontificatum gesserit, & parum absuerit, quin ipse, sicut aliquando Gregorius Magnus dicere auditus est: *Putabam, me futurum Episcopum Romanorum, nunc vero sum Episcopus Longobardorum,* dicere coactus sit; timeo, ne fiam Episcopus Saracenorum.

Sæculum IX. A. C. 882.

communicare, a vino & carnibus abstinere, exceptis Dominicis & Festis, comam alere, uxorem non ducere, hominum frequentiam fugere, servis suis non imperare, Feudum a quocunque Domino non accipere. Leontardus Romam profectus est, scripsitque Papa ipsius Episcopo, hanc pœnitentiam sibi videri plus justo asperam, hortatus, ut eam ex parte relaxaret, ne pœnitentem in desperandi periculum conjiceret, omnia tamen ejus arbitrio & judicio relinquens. Hic videmus pœnitentiæ Ecclesiasticæ non nunquam pœnas temporales fuisse adjunctas, quod non modicam creabat invidiam. Joannes Papa consulentibus se Episcopis Germaniæ, an in bello occisis, contra Infideles pro Religione & Republica pugnantibus, peccata sua remitterentur, respondit, illos, qui ita in exercitio pietatis Christianæ morerentu, vitam æternam recipere, seque eis absolutionem, quantum posset, impertiri. Tandem jubente Joanne Pontifice Joannes Diaconus Ecclesiæ Romanæ, antea in Monte Cassinensi Monachus, vitam S. Gregorii Magni, ante annos trecentos defuncti, editis quatuor libris complexus est.

ep. 62.

Postquam Joannes Papa VIII. in Domino obdormivisset, & Sacra Sedes diebus octo vacasset, in Dominica, die vigesi-

gesima tertia ejusdem mensis Dec. anno 882. electus est Marinus, (*) hujus nominis secundus, olim Constantinopoli, & in Bulgaria Legatus, & Episcopus,(**) sed, ut credunt, nulli Sedi affixus, in illum solummodo finem consecratus, ut suo labore Sclavos ad fidem converteret. Is Sacram Sedem non plus quatuordecim mensibus tenuit. Sæculum IX. A. C. 882. *Papebr. con. hist.*

§. XXXVIII.

Hincmari Documenta Regi Carlomanno data.

Ludovico Rege Germaniæ vigesima Januarii eodem anno octingentesimo octogesimo secundo fatis functo, Carolo Imperatori Fratri ejus Regnum totius Franciæ Orientalis obtigit. Porro Ludovi- *Ann. Fuld. 882. Bertin. 882. opusc. 14. to. 2. p. 201.*

(*) Aliis Marinus primus. Aliis Martinus II.

(**) Antonius Pagi ad hunc annum: *Marinus hoc anno Pontifex Romanus creatus, postulatus quidem fuerat Archiepiscopus a Bulgaris, Hadriano II. Ecclesiam Romanam regente, sed nullum indicium est, ex quo appareat, eum tunc ordinatum fuisse Archiepiscopum ab Hadriano II. Quare Continuator Lambecianus perperam scribit, Marinum ordinatum fuisse contra Statuta Canonum, recte vero Freherianus, Marinum tunc fuisse Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum.*

Sæculum IX. A. C. 882.

dovicus Rex Neuſtriæ quarta Auguſti decedens Carlomanno Fratri totam Franciam Occidentalem reliquit. Tunc vero Regni Optimates Hincmarum, Epiſcopum, ætate & Ordinatione ſeniorem, rogarunt, ut documenta conſcriberet, quibus Rex juvenis dirigi, atque Eccleſia & Respublica reformari poſſent. Miſit Hincmarus duo Opuſcula, primum Optimatibus inſcriptum, & magnam partem excerptum ex Adalardo, de quo iſta memorat: *Vidi, cum fui juvenis, Adalardum, ſenem ſapientem, Caroli Magni Imperatoris propinquum, Abbatem Corbejenſem, omnium, qui Cæſari a conſiliis erant, præcipuum, cujus Commentarium de ordine in Palatio ſervando concinnatum legi, & deſcripſi.* Summam deinde Commentarii refert, nomina & miniſteria præfectorum in Regia, tempus Comitiorum & Conventuum, in quibus bis in anno de ſalute Reipublicæ deliberabatur. Præfectorum in Regia primus erat Apocriſiarius ſeu Archicapellanus, quod munus ab ætate Clodovei obierant Epiſcopi, qui Principem per vices & conſtituto temporis ſpatio, quocunque proficiſceretur, comitabantur. Poſtea Pipino & Carolo Magno regnantibus, plerumque Diaconi & Presbyteri hoc Officio fungebantur, ne Epiſcopi ab Eccleſiis ſuis abeſſe cogerentur. Ita ſub Pipino

n. 12. p. 206. Sup. Lib. XLV. §. 49.

n. 13.

n. 14.

n. 15.

pino Fulradus Presbyter consentientibus Episcopis hac Dignitate eminuit. Sub Carolo Magno idem Fulradus, tum Engelramus & Hildeboldus Episcopi, sub Ludovico Pio Hilduinus Presbyter, cui successit Fulco Presbyter, & tandem Drogo Episcopus. Archicapellano subjecti erant omnes Clerici in Palatio versantes, eique junctus erat Archicancellarius, cui suberant Notarii fideles & periti, qui Regis epistolas scriberent. Nimirum Cancellarius & Notarii omnes erant viri Ecclesiastici. Archicapellani erat cognoscere de causis omnium Clericorum ad Regiam venientium, nec ullus in conspectum Regis nisi ipsius opera admittebatur, si quidem tantæ molis negotium fuisset, quod solus Archicapellanus definire non posset. Ipse in Regia, quæcunque ad Divinum Officium pertinebant, Sacramentorum administrationem, ægrotantium subsidia, peccatorum conversionem, verbo, spiritualia omnia curabat.

Sæculum IX
A. C. 882.

n. 16.

Secundum Hincmari Opusculum ad Episcopos datum, nihil continet aliud, quam salubria consilia ad regendam ætatem Regis Carlomanni ex Scriptura & Patribus deprompta. Tam in uno quam in altero sæpe Concilium ad S. Macram citat, & adjungit Tractatum de Rapto-

Opusc. 15. *p.* 216.

op. 16.

Sæculum IX. A. C. 882.

ribus ad Ludovicum Regem a se missum. Hæc ultima sunt Hincmari Scripta.

§. XXXIX.

Hincmari obitus.

Ann. Bert. 882. Flod l. III. C. ult.

Sub illud tempus Normanni usque ad civitatem Laudunensem pervenientes vicina omnia rapinis & incendiis vastabant, priusquam vero obsidionem molirentur, Remos & Suessionem versus diverterunt. Hincmarus mature quidem de hostium adventu monitus fuit, sed omni humano auxilio destitutus deprehendebatur; quippe Urbs Remensis muris clausa non erat, & dimissi Ecclesiæ suæ Vasalli cum Rege Carlomanno militabant. Ergo noctu fugam capessit, auferens, quod pretiosissimum habebat, S. Remigii corpus, & Ecclesiæ thesaurum, suorum manibus in lectica portatus, nam pedibus incedere infirmitas non permittebat. Canonici, Monachi, Sacræ Deo Virgines in diversa sparguntur. Ipse Archiepiscopus Epernacum cis Matronam se recepit. Normanni in partes diviserant exercitum, atque una usque ad portas Remorum progressa, quæ sub manibus fuerunt, diripuit, & non nullos vicos incendit; at civitatem non intravit. Hincmarus aliquot dies Epernaci commoratus obiit vigesima prima Decembris anno octingentesimo octogesimo secun-

secundo, ejusque corpus Remos in Ecclesiam S. Remigii revectum, conditumque est in sepulchro, quod sibi ipsi infra tumbam S. Episcopi præparaverat cum Epitaphio. Ad ultimam senectutem pervenerat, Sedemque Remensem ultra annos triginta septem gubernaverat. Sæculum IX. A. C. 882.

Hincmaro illa ætate Episcoporum Franciæ nullus illustrior, & ejusdem Scripta, quorum ferme omnium memini, satis probant, in Scriptura & Patribus fuisse versatissimum. Sed Canonum magis quam Theologiæ Studiosus summo in pretio habebat Disciplinam Ecclesiasticam, quam contra molimina Principum, & ipsorum Pontificum magno vigore defendit. (*) Stilus ejus fusissimus *Sup. Lib. XLVIII. §. 28.*

(*) Qui ad Historiam Natalis Alexandri Notas adjecit Edit. noviss. Paris. p. 315 hæc habet: *Inter Galliæ Præsules Hincmarus emicat, eumque canonicæ jurisprudentiæ notitia excellentissimum prædicant. Verum sicut non desunt, qui ipsum effusissime colant, ita & qui ipsius Doctrinam in argutias, prudentiam in astutiam, fortitudinem in pertinaciam aliquando degenerasse dicant. Quapropter nec ipse Natalis illi patrocinatur, dum infra differit de ipsius contentionibus cum Ebbone, Rothaldo &c.*

Ceterum Hincmarus vehementer Canones defendit, sed sæpe cum ipsi in propria causa, præsertim contra Ebbonem Antecessorem, favere viderentur.

Sæculum IX. A. C. 882.

est & impeditus, sermo ob crebras parentheses & citationes interruptus. Ubique plura felicis memoriæ & eruditionis, quam artis, aut politioris ingenii indicia occurrunt. Ipso extincto, res Ecclesiæ in Francia tenebris involutæ. Nihilominus Schola Remensis diu stetit.

§. XL.

Normanni grassantur.

Anno superiore quoque octingentesimo octogesimo primo Normanni ingentem, quocunque devenerant, calamitatem attulerant. In Neustria Monasterium Corbejense, & Ambianum ceperunt. In Lotharingia, per Vahalim invecti, castra posuerunt Nimegii, quo incenso, mense Novembri ad oras Mosæ reversi sunt. Vastata tota regione flammas injecerunt in Urbem Leodium, Trajectum, Tungros, Cameracum, Zulpicum, Juliacum, & Aquisgranum, ubi magnificum Caroli Magni Oratorium in equorum suorum stabulum converterunt, tandemque in Monasteria Indense, Malmudarienſe & Stabulense. Hæ urbes, hæc Monasteria omnia in cineres redacta. Monachi & Virgines Sacræ, quæ Barbarorum furorem effugere potuerunt, Moguntiam cum Sacris Reliquiis & Ecclesiarum suarum thesauris se receperunt.

Ann. Bert. 881. *Meten.* 881.

Fuld. 881.

Anno

Sæculum IX. A.C. 882.

Anno octingenteſimo octogeſimo ineunte, cum Ludovico Rege Germaniæ e vivis erepto, copiæ, quas in Normannos immiſerat, fuiſſent revocatæ, illi in regionem Ardennam irrumpunt, in Epiphania Domini Monaſterium Prumienſe occupant, & per aliquot dies ibi commorati, cum receſſuri eſſent, incendunt. Omnia usque Confluentiam igne vaſtant, Treviros oppugnant, & civibus tum cæſis tum in fugam verſis urbem quinta die Aprilis, in quam incidebat Cœna Domini, in poteſtatem redigunt. Cum ibi usque ad diem Paſchæ manſiſſent incenſis Treviris, iter Metas inſtituunt. Wala ſeu Valon Metenſis Epiſcopus cum paucis copiis in irrumpentes imprudens movet, & interficitur in prœlio. At tunc Barbari ulterius non penetrarunt, ſed ſpoliis onuſti reverſi ſunt. In Neuſtria Normanni omnia Monaſteria Arteſiæ & Territorii Cameracenſis concremarunt. Mozomium & Diœceſis Remenſis partem ad deditionem compulerunt. Cumque Imperator ex Italia veniens cum exercitu in eos moviſſet, ipſorumque caſtra, quæ ad ripam Rheni munierant, obſediſſet, mutato ſubito conſilio adduci ſe paſſus eſt, ut cum Barbaris fœdera faceret. Godefrido alteri eorum Regi Baptiſmum ſuſcipienti Friſiam aliasque Ditiones dedit, alteri, cui nomen

Fuld. 882.
Meten. 882.
Bertin. 882.

Sæculum IX. A.C 883.

nomen Sigefridus, magnam pecuniæ vim ex Thesauro Ecclesiæ Metensis aliorumque locorum Sacrorum acceptam tradidit, Hugoni Regis Lotharii filio usufructu Bonorum Episcopatus Metensis, Sede vacante, concesso.

§. XLI.

Fulco Archiepiscopus Remensis.

Cum Sedes Remensis, Hincmaro defuncto, aliquamdiu vacasset, rumor a malevolis spargitur, quod Clericus populusque Archiepiscopum elegissent, non expectato Visitatore, qui ipsis secundum Canones mittendus erat. Atque usque ad Regis notitiam delata est hæc calumnia. Quam ut diluerent, Clerici Remenses datis ad Hildeboldum Episcopum Suessionensem aliosque Suffraganeos literis profitentur, neutiquam se Episcopum elegisse, nec etiam electuros, priusquam Rex Visitatorem misisset. Data est hæc Epistola quinta Februarii, cui Canonici Dominæ Nostræ (id est ad Beatam Virginem) Ecclesiæ Cathedralis, Monachi S. Remigii, Canonici S. Basilei & Theodorici, Monachi Orbacenses, & complures alii Vasalli Laici subscripserunt. Tandem electus & ordinatus est Archiepiscopus Remensis Fulco, vir nobilissima stirpe genitus, ab ineunte ætate inter Canonicos educatus, atque a Rege Carolo

to. 8. Conc. p. 871.

Anno 883.

Flod. IV. hist. c. 1. c. 4.

Carolo Calvo evocatus, exinde aulam secutus Regibus serviit. Archiepiscopus creatus, Missa ad Marinum Papam Fidei suæ Confessione, Pallium accepit. Eidem etiam scripsit petens, ut Privilegia Ecclesiæ Remensis confirmaret, ejusque curæ paternæ Regem Carlomannum commendans. Illud quoque Pontifici in memoriam reducit, quod Romæ ipsum vidisset, & collocutus fuisset, olim in Romana profectione Regem comitatus. Conjectura est, hunc Regem Carolum Calvum fuisse. Sæculum IX. A. C. 883.

§. XLII.

Capitulare Carlomanni.

Mense Martio anni sequentis octingentesimi octogesimi quarti Rex juvenis Carlomannus Comitia Vernolii ad Æsiam convocavit, in quibus Capitulare Articulorum quatuordecim ad reprimendas, insolens malum! frequentissimas rapinas editum. Præter pœnas temporales, statuitur, ut reus pœnitentiam publicam subeat, & si ipse servus sit, etiam Domino ejus pœnitentia injungatur, quod sibi subditum latrocinantem non cohibuerit, cum ejusmodi licentiam cædes, incendia, aliaque nefanda crimina sequerentur. Ut hoc statutum effectui dari possit, Episcopus, in cujus Diœcesi grassati fuerint, reos per parochos suos ter *Tom. 2. cap. p. 283.* *c. 4.* *c. 5.*

Sæculum IX. A. C. 884.

ter, si opus fuerit, admoneat; nisi se pœnitentiæ subdant, Episcopus contra eos pronunciet excommunicationem, quam latam esse refractariorum Dominis, & Episcopis Fratribus suis significet. Si
c. 6. latrocinium commissum fuerit in Diœcesi, in qua grassator nec jure proprietatis nec Feudi quidquam possideat, Episcopus eum per aliquem Presbyterorum suorum moneat, & si contumacem
c. 8. excommunicare cogatur, id Domino & Episcopo ipsius denunciet; nullus vero Episcopus alteri succenseat, si alius Diœcesanum suum ob hujusmodi admissa
c. 9. crimina excommunicaverit. Regis Mandatarii, Comites, Præfecti omnes Episcopis ad hanc legem observandam auxilium præstent. Si Episcopi, necessitate exigente, e suis civitatibus excedant,
c. 7. Vicarios constituant, ad quos oppressi confugiant; quin etiam quando præsentes sunt, Vicarios in locis a Sede sua remotis habeant. Quo furibus & latro-
c. 12. nibus necessitatis, quam obtendunt, species detrahatur, Presbyteri, (id est Parochi) iter facientes hospitio excipiant.

§. XLIII.

Alfredus Magnus, Rex Angliæ.

vit. Alfr. per Spelm. vit. per Asser. init.

Dum Francia cum tantis malis conflictatur, tranquilla quiete fruebatur Anglia, sub Alfredo, illa ætate Regum maximo

maximo. Erat is quinque filiorum Ethelulfi Regis Saxoniæ Occidentalis natu minimus, anno octingenteſimo quadrageſimo nono in lucem editus. Quinquennis a parente provinciæ, quam Demetiam dicebant, Rex proclamatur, & Romam mittitur, ubi eum Leo IV. Papa unxit. Biennio inde elapſo videlicet anno octingenteſimo quinquageſimo quinto ipſe Ethelulfus Romam profectus, iterum Alfredum juvenem, filium ſuum, comitari ſe voluit. Fratribus vero ejus Ethelbaldo, Ethelberto, & Ethelredo defunctis Alfredus ab omnibus Rex Saxoniæ Occidentalis ſalutatus.

Sæculum IX. A. C. 884.

Sup. Lib. XLIX. §. 29

De Rege Ethelredo ſingulare pietatis ſpecimen narratur. Dani, ſeu Normanni a multis annis in Anglia graſſantes, tunc forte copias in duas partes diviſerant, quarum alteri duo eorum Reges, alteri omnes eorum Duces præerant. Cum Rex Ethelredus cum fratre ſuo Alfredo in eos moviſſet, hoſtis ad exemplum dividere exercitum conſtituit, & ipſe cum uno agmine in Reges irrupturus erat, dum Alfredus alterum in Duces dirigeret. Jamque in conſpectu barbarorum ſtabant, ſed ingruens nox certamen diſtulit. Albeſcente poſtera luce Alfredus admodum matutinus in hoſtes ruere parabat. Videns vero quod frater e tabernaculo non procede-

Aſſer. p. 7. Wil. Malmesb. p. 24.

Sæculum IX. A. C. 884.

cederet, nuncios complures festinare ad eum jubet, qui indicarent, imminere Infideles, atque primos ordines pugnare. Ethelredus Officio Divino intererat, remisitque ad fratrem, qui responderent, non exiturum se, priusquam completa fuisset Missa. Interim Alfredus hostes aggreditur, & quia loco iniquo pugnabat, repellebantur Angli, nec multum aberat, quin in fugam converterentur; at Ethelredus signo crucis se muniens, cum minime expectaretur, strenue adest, suoque exemplo fractos animos erigens, memorabili edito prœlio Christianis victoriam conciliat. Unus ex Regibus Barbarorum, Comites quinque, militum ingens numerus, cæsi. Insignem victoriam ob Ethelredi pietatem Cœlo in acceptis referendam esse crediderunt.

Ingulf. p. 869.

Ethelredo igitur defuncto Alfredum anno octingentesimo septuagesimo secundo Regem Saxoniæ cuncti venerati sunt. Sed per spatium annorum sex turbida fuere tempora, Danis Angliam bello infestantibus; quin, cum anno octingentesimo septuagesimo octavo totam illam regionem in suam potestatem redegissent, Rex Alfredus in Silvam, undique subjectis paludibus inaccessam fugere, & in tugurio viri agrestis, qui regium pecus pascebat, delitescere compulsus est.

Alfredi pietas.

Asser. p. 9.

est. Ibi mensibus circiter sex moratus est, & in tantis angustiis prodigio accepisse solatium a Cælo dicitur. Omnibus circum aquis in glaciem concretis, miserat Rex suorum aliquos, qui vel pisces vel feras ad depellendam duram famem caperent, & ipse solus cum Regia uxore domi manserat. Ne esset otiosus, librum accipit, & legit. Ecce vero pulsat mendicus januam, & stipem rogat. Rex ad Reginam conversus interrogat, quid esset, quod dare possent. Et illa respondente, unicum panem supereresse, ait, *sit Nomen Domini benedictum! da panem dimidium pauperi. Nam qui quinque panibus quinque millia pauperum satiavit, efficere utique potest, ut reliqua hujus panis pars nobis sufficiat.* Paupere illo gratias agente, Rex lectionem repetit, & obdormit. Sæculum IX. A. C. 884.

In somno conspicuus ei fit Sanctus Culbertus Episcopus Lindisfarnensis in eum modum verba faciens: *Deus me misit, ut tibi indicarem, viscera misericordiæ ejus commota esse tot calamitatibus, quæ longo tempore Anglos premunt. Et eleemosyna, quam modo largitus es, tam gratum Deo obsequium fuit, ut ideo te Regno tuo restituere decreverit. Accipe signum, quod vera sint, quæ eloquor: viri, quos piscatum misisti, etsi repugnet anni tempus, maximam piscium multitu-* Sup. Lib. XL. §. 43.

Sæculum IX. A. C. 884.

dinem referent ſupra ſpem omnem & expectationem tuam. Rex ſomno diſcuſſo Reginam vocat, & quid ſibi objectum narrat. Illa reſpondet, ſe eodem tempore dormitaſſe, & ſimillimo ſomnio oblectatam fuiſſe. Mox famuli redeunt adeo ingentem piſcium vim inferentes, ut facile ad reficiendum exercitum ſufficiſſent.

Haud diu poſt Alfredo compertum eſt, quod Hubba ex Ducibus Danorum aliquis, is ipſe, qui S. Edmundum occiderat, vita exutus, & *Corvus*, ſeu vexillum magicum, in quo Pagani ſpem maximam collocare ſolebant, captum fuerit. Tunc igitur collectis iterum copiis in Danos nil opinantes irruit, vincit, cumque fuga elapſos in arce, in quam ſe receperant, obſediſſet, iis, quibus maxime volebat conditionibus, ad deditionem adegit. Videlicet, *Gutrum* Rex eorum ſacro baptiſmatis fonte lavaretur, his, qui Regis ſui exemplum imitari vellent, licentia fieret in illa regione permanendi, iisdem agri excolendi concederentur, ceteri ſine mora ex Anglia ſolverent. Conditionibus acceptis *Gutrum* Danorum Rex baptizatur, Alfredo levante, qui eum Edelſtanum vocavit, complurium Regum Anglorum nomine. Tandem diebus duodecim inter epulas con-

Sup. Lib. LI. §. 53.

Aſſer. p. 10.

consumptis Regem ceterosque Neophytos magnis donis cumulatos dimisit. Sæculum IX. A.C. 884.

§. XLIV.

Leges ab Alfredo editæ.

Alfredus *Gutrum* aliisque Danis ad fidem conversis Angliam Orientalem & Nordhumbriam, tunc regna propemodum deserta, & incursionibus Barbarorum maxime vexata, in feudum dedit. Tum operam jungente *Gutrum* novas Leges ad Christianos hos neo-conversos in officio continendos condidit. Ad conservandam Episcoporum auctoritatem pœnæ etiam temporales, sed pro Barbarorum ingenio non nisi pecuniariæ, injunguntur. Prohibetur relapsus in Idololatriam, damnantur incestus, Auguria. Præcipitur, ut dentur Decimæ, Dominicæ & Festa sanctificentur, jejunia serventur. Hæ leges tam ad Clericos quam ad Laicos pertinent; quin tamen ideo a pœnis Canonicis sint exempti, si Presbyter militet, aut si pejeret, si furetur, si impudicitiæ convincatur, si fallatur in denunciando Festo, vel jejunio, si Sacrum Chrisma non petat, aut Baptismum, ubi necessitas postulat, conferre negligat.

n. 62.

to. 9 *Conc. p.* 389. *Sup. Lib. XXXVIII. §.* 16.

c. 2. 6. 16.

c. 9.

c. 10. 11. 14.

c. 12.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

Alfredus Rex Anglis quoque sibi subjectis novas leges dedit; is enim præcipuus in illa Gente Legislator habetur.

Sæculum IX. A. C. 884.

Illarum Collectio ad nos usque pervenit, in qua dicit, quod ea amplexus fuerit, quæ optima in Legibus Anteceſſorum ſuorum, Inæ Regis Saxoniæ Occidentalis, Offæ Regis Merciorum, & Ethelberti qui primus Regum Angliæ Religioni Chriſtianæ nomen dediſſet, fuiſſent inventa.

to. 9. Conc. p. 379.

Primo ponitur in eadem Collectione Decalogus, compendium Legum Moſaicarum, & Decretum Concilii primi ab

Act. 15. Apoſtolis Jeroſolymæ celebrati. Ex his Legibus ad Religionem ſpectant ſequentes: Perjuro quadraginta dierum

can. 1. carcer, ad implendam pœnitentiam, ab

c. 2. 4. Epiſcopo ſibi injunctam, præſcribitur. Ad Eccleſias confugientibus aſylum & libertas conceditur. Furtum in Eccleſia, aut Die Dominica commiſſum graviore

c. 5. 6. pœna dignum cenſetur. His legibus etiam cavetur, ne viri Sacris Virginibus illudere poſſint; unde diſpicimus, quod clauſtris incluſæ non fuerint. Nemo

c. 7. 11. præſente Epiſcopo gladium educere audeat. Si quis Monacho ſine licentia Ab-

c. 10. batis ipſius Depoſitum ſervandum commiſerit, & amiſſum fuerit, deponens non

c. 20. habeat Actionem in Judicio. Feſta in Anglia ſervari ſolita notantur, atque præter alia octo dies in Menſe Auguſto ante Feſtum Dominæ Noſtræ, duodecim

ante

ante Festum Nativitatis Domini & quindecim ante Pascha indicantur. Sæculum IX. A. C. 884.

His pactis cum Danis initis, & pace reducta, Rex Alfredus Sigelinum, Episcopum Sarisburiensem, Romam misit, quo, atque etiam usque in Indias Sancto Thomæ dona pretiosa deferret. Episcopus, vastissimarum terrarum itinere feliciter confecto, ex Indiis uniones & aromata, Roma vero majoris pretii aliquid, videlicet, de Ligno veræ Crucis particulam, quam Marinus Papa Regi Alfredo donabat, cum pluribus aliis muneribus retulit. Præterea Regis precibus dedit Papa, ut Anglorum Scholam, quam Romæ habebant, a tributo eximeret. *Wil. Walmesb. reg. lib. II. c. 4.* *Asser. p. 12. Math. Westmon.*

§. XLV.

Marini obitus. Hadrianus III. Papa.

Marinus Papa haud credidit confirmanda esse, quæ Joannes Antecessor suus contra Regulas Ecclesiasticas egisset. Unde Photio damnato, (*) For-

(*) Antonius Pagi ad hunc Pontificem N. X. anno 882. adnotat: *Græci Marinum pro vero Pontifice Romano agnoscere recusarunt, quod Photio Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitano suam ordinationem non significasset, prætexentes eum fuisse antea Bulgarorum Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri.* Næniæ!

Sæculum IX. A. C. 884.

mosum quoque Episcopum Portuensem Sedi suæ restituit. Plura comperta nobis non sunt de hoc Pontifice, qui exeunte Februario, anno octingentesimo octogesimo quarto vita functus, Successorem habuit Hadrianum III. Patria Romanum, Benedicti Filium, Die Dominica, prima Martii, ut quidam putant, anno octingentesimo octogesimo quarto ordinatum. Is Sacram Sedem anno uno & mensibus quatuor tenuit, Photiumque, exemplum Antecessoris sui secutus, rejecit.

§. XLVI.

Epistola Photii contra Latinos.

Ap. Bar. an. 883.

Vel Hadriano Papa, vel Marino S. Petri Sedem occupante Photius data contra Latinos de Processione Spiritus Sancti Epistola, ad Archiepiscopum Aquilejensem, quem non nominat, directa, in adversarios vehementissime invehitur. Est illa Epistola ad aliam ab Archiepiscopo acceptam responsoria, dicitque, non sine maximo doloris sensu se percepisse, quosdam in Occidente affirmare, quod Spiritus Sanctus non solum a Patre, sed etiam a Filio procedat. Hanc Doctrinam primo oppugnat ex Traditione, dicens, S. Leonem Papam docuisse, quod S. Spiritus a solo Patre procedat, & Leonem III. eandem Doctrinam

Auct. noviss. Bibl. PP. p. 527.

nam profeſſum fuiſſe, cum Symbolum ſine additione duobus ſcutis argenteis incidi juſſiſſet. Attamen longe diverſum eſt dicere, Sanctum Spiritum a Patre procedere, nulla facta Filii mentione, & diſerte negare, quod a Filio procedat. Sæculum IX. A. C. 884. *Sup. Lib. XLV.* §. 48.

Tum Photius adverſus Doctrinam Catholicam eadem ferme argumenta, quæ in Epiſtola ſua ad Orientales, ſedente Papa Nicolao ſcripta, affert, & ad argumenta, tum ex S. Scriptura tum ex Patribus adducta, reſpondere conatur. Fatetur tamen, non nullos ex SS. Patribus dixiſſe, quod Spiritus Sanctus a Filio procedat. Tandem extollit auctoritatem Legatorum Joannis Papæ, qui in Concilio Conſtantinopolitano tam viva voce quam ſua ſubſcriptione declarasſent, ſe in iſto Doctrinæ articulo Græcis conſentire. At Joannis Papæ Epiſtolam premit. Ex his deinde infert, illos, qui hanc Doctrinam non reciperent, eſſe filios Eccleſiæ rebelles, & damnandos ab omnibus, cum eam & Eccleſia Romana & ceteræ quatuor Sedes Patriarchales tenerent. (*) *Sup. Lib. L.* §. 56. *Sup. n.* 23.

(*) Ex his iterum liquet, Photium non divortium, ſed communionem Eccleſiæ Romanæ expetiiſſe. Et merito quidem auctoritatem Legato-

Sæculum IX. A. C. 884.

§. XLVII.

Saraceni in Italia grassantes.

Chro. S. Vinc. Duch. tom 3. p 997. Sup. Lib. LII. §. 47.

Interim Saraceni, antiquum malum, inferioris Italiæ regiones impune depopulabantur. Joanne Papa sedente, fœderibus cum Athanasio Episcopo & Duce Neapolitano initis tuti Ditiones Beneventanam, Romanam, Spoletanam, vicinasque Insulas, maxime vero Ecclesias & Monasteria diripiebant. Mos erat Monachis Cassinensibus & S. Vincentii ad Vulturnum, ad conservandam charitatem & communem Disciplinam, constituto tempore mutuo se se invisere; igitur quadam die, cum aliqui Fratres ex Monte Cassino ad Monasterium S. Vincentii venissent, subito *Sangdan* Saracenorum Dux cum cohorte sua adequitare conspicitur. Cassinenses pavidi in arcem

gatorum Sedis Romanæ allegasset, si ii mandatis, quæ acceperant, obtemperassent, & Joannes Papa Successoresque ejus Acta in Concilio Constantinopolitano confirmassent. Denique Photius vir doctissimus fuit & eruditissimus, sed malus Theologus, & sensum Sacræ Scripturæ de Processione Spiritus Sancti tam parum intellexit, ac de aliis articulis Arius, Zvvinglius, Lutherus, Calvinus, Melancthon, quem ultimum aliqui Protestantes, risu & commiseratione digni, Magistrum Germaniæ deprædicant.

arcem vicinam, ad Monasterium suum pertinentem, diffugiunt. At Monachi S. Vincentii, Thesauro Ecclesiæ abscondito, & senibus ad custodiam relictis, cum servis & vasallis strenue Infidelibus occurrunt. Sæculum IX. A. C. 884.

Cum ad pontem, quo Vulturnus sternebatur, Monachi perveniissent, Saracenos conjectis saxis, armisque, quæ in illa festinatione, arripere potuerant, a transitu prohibuerunt. Sed ecce, agrestium aliqui, pessima mancipia, vecordes e pugna se subtrahunt, & Ducem Saracenorum adeuntes, ad Monasterium se eum deducturos recipiunt, si modo vitam & libertatem promitteret. Ille multo ampliora pollicitus, his perfidis ducentibus cum magna copiarum parte ad Monasterium contendit. Captum illico incendit, senibus illis, qui remanserant, ferro peremptis, quorum sanguine sparso muri & Ecclesiæ pavimentum diu rubescere conspecta sunt. Ceteris Monachis ad pontem prœliantibus & proditionis nefandæ ignaris deditum esse Monasterium ascendentes flammarum globi indicarunt, cumque in eos qui incenderant conversi pugnarent, undique hostibus cinguntur. Illi quidem fortiter se tuentes memorabilem barbarorum stragem ediderunt, sed tandem numero oppressi, paucis fuga elapsis, ceciderunt.

Sæculum IX. A. C. 884.

Post pugnam Saraceni, locum monstrantibus servis, terram fodiunt, & totum Ecclesiæ thesaurum inveniunt, quo inter se diviso, frumentum & legumina ad alendos monachos comportata in profluentem projiciunt. Ovantes deinde digrediuntur ad epulas, & *Sangdan* Præfectum suum ex calicibus sacris potantem aureis thuribulis venerantur. Monasterii S. Vincentii excidium die Martis decima Octobris anno octingentesimo octogesimo primo evenit. Monachi superstites Capuam confugerunt, ubi Principe & civibus oppitulantibus novum Monasterium S. Vincentio Sacrum condiderunt.

Chr. Cass. c. 44.

Elapsis exinde annis tribus destructum Monasterium Cassinense. Saraceni, qui ad Lirim sedem fixerant, Monasterium superius, ubi S. Benedictus sepultus fuerat, vastarunt quarta Sept. anno octingentesimo octogesimo quarto. Tum etiam vigesima secunda Octobris magnum Monasterium inferius diripuerunt, & injectis flammis cremarunt. Complures Monachi occisi, & præter alios Bertharius Abbas prope Altare S. Martini trucidatus. Sola Ecclesia Salvatoris, quamvis ignem sæpius injecissent, illæsa permansit. Bertharius Abbatis munere ab anno octingentesimo quinquagesimo sexto fungebatur. Isque

Mabill. Act. p. 464.

in

in Ecclesia exornanda totus fuit, & memor periculi, quod Monasterium sub Bassacio Antecessore suo subierat, cum nihil propius esset, quam ut a Saracenis caperetur, muris & turribus, ut arces solent, Asceterium munivit, & circa Cellas inferiores urbem ædificare cœpit. Sed tanta cura vim Saracenorum prohibere non potuit. Qui collectis spoliis triumphantium more in castra sua ad Lirim posita redierunt; Monachi vero reliqui, auferentes, quæ poterant, de thesauro & tabulis Monasterii Teanum se receperunt, sub cura Angelarii, Præpositi sui, quem Abbatem sibi elegerunt, commorantes in Cella seu Prioratu, a multo jam tempore fundato, & S. Benedicto sacro. Haud diu postea Angelarius Episcopus Theaninus electus est; S. Bertharius vero vigesima secunda Octobris honore Sanctis Martyribus debito colitur.

Sæculum IX. A. C. 884.

Sup. Lib. XLVIII. §. 35.

§. XLVIII.

Hadriani III. obitus. Stephanus VI. Papa.

Hadrianus III. Papa Antecessoris sui vestigiis insistens Photium damnavit. Unde Basilius Imperator, datis ad eum literis, ne quidem a conviciis abstinuit; quæ vero non ipsi, sed ejus Successori

Papeb. cont.

Sæculum IX. A. C. 885.

cessori redditæ sunt. Nam Hadrianus, postquam Sacram Sedem tenuisset sexdecim mensibus, in itinere, quod profecturus ad Carolum Imperatorem susceperat, vigesima Julii anno octingentesimo octogesimo quinto morbo correptus expiravit, & in Abbatia Nonantulana terræ mandatus est, ubi inter Sanctos colitur. Hadriano III. successit Stephanus VI. Romæ ex nobili prosapia natus, alterius Hadriani filius. Eum cura Zachariæ, propinqui sui, Episcopi Anagniensis & S. Sedis Bibliothecarii in literis humanioribus informatum, Hadrianus II. Papa, cum optimam indolem probaret, e domo patria evocavit, & Subdiaconatus ordine insignitum, apud se in Palatio Lateranensi versari voluit. Marino Papæ quoque carissimus, & ab eo Presbyter Tituli quatuor Coronatorum ordinatus, ejusdem latus deserere vix unquam sinebatur. Hadriano autem Papa III. fatis functo, Episcopi, Clerici Romani, Senatus, populusque ad eligendum Papam congregati una voce Stephanum Presbyterum expetierunt, quod sperarent, ab extremis periculis tanti viri pietate & virtutibus liberari se posse; nam tunc Romani locustis innumeris, terræ aridi-tate & fame vexabantur. Hadrianus Papa Roma discedens Joannem Episcopum Ticinensem, Imperatoris Legatum,

Ann. Fuld. 885. ap. Anast.

Vica-

Vicarium ſuum reliquerat. Hunc ergo Romani ad Stephani domum, ubi cum patre ſuo erat, deducunt, effringunt limina, Stephanum ad ſuam Eccleſiam quatuor Coronatorum, omnibus viribus reluctantem, abſtrahunt; nam clamabant ipſe & parens tanto honore indignos ſe eſſe. Inde ad Palatium Lateranenſe procedunt, & priusquam illuc pervenirent, imbre maximo decidente Deus piiſſimi viri Electioni benedicere videbatur. Die Dominica ſequente, forſan vigeſima quinta Julii, Stephanus in Baſilica S. Petri conſecratus eſt. Sæculum IX. A. C. 885.

Elapſo paucorum dierum ſpatio Pontifex Palatium Lateranenſe excuſſit, comitantibus Epiſcopis, Legato Imperatoris & Senatu, ne teſtes omni exceptione majores deeſſent. Statim apparuit, domus Pontificiæ ſupellectilem fuiſſe direptam, & ceteris pretioſis furto ablatis, paucula vaſa, quæ in ſolemnibus Pontificum conviviis adhibebantur, fuiſſe relicta. Theſauros Eccleſiarum quoque exhauſtos invenerunt, atque etiam horrea & cellaria vacua. Dolebat maxime Pontifex, nihil ſuppetere, quod Clericis, quod militibus largiretur, quo captivos redimeret, aut pauperes diræ famis tempore aleret. Ergo proprio patrimonio, quod pinguiſſimum habebat, non pepercit, in omnes liberaliſſimus Pontifex.

Sæculum IX. A. C. 885.

tifex. (*) Familiares sibi delegit, viros rebus gerendis aptos, & pietate insignes. Ad prandium semper vocabat orphanos, quos ut filios proprios nutriebat. Quando nobiles viros invitabat ad mensam, etiam esca spiritualis præbebatur accumbentibus, nam sacrorum librorum lectio nunquam prætermittebatur. Quotidie Sacris operabatur, diu noctuque Psalmodiæ & orationi intentus, quantum cura gregis sui, cujus preces audire & necessitates levare tenebatur, permittebat.

Cum locustarum plaga, quæ sub Hadriano Papa totam Romanam regionem affligere cœperat, non cessaret, primo Stephanus denunciari jussit, certam pecuniam se daturum singulis, qui modium nocentibus his insectis occisis refertum affer-

(*) Rebus Romæ & in Italia ita constitutis, Lector facile perspiciet, qua ratione videlicet non tam voluntate, quam necessitate, Principatus in Urbem & Ducatum Romanum Summis Pontificibus sensim obtigerit, ut nihil dicamus de Donationibus Pipini & Caroli Magni. Siquidem pro re derelicta haberi poterat supremum Dominium, quod nec Orientis nec Occidentis Imperatores sibi satis asserere valebant. Nec Roma tantum sed pleræque in Italia Civitates suos habebant Dominos. Atque, ut supra N. XLVII. memoravimus, Neapolis Athanasio Episcopo suo & Duci parebat.

afferrent. Quod factum quidem, sed quia hæc industria ad tollendum malum non sufficiebat, ad Sacellum S. Gregorii se contulit, ubi diu fluentibus lacrymis oravit. Tum aquam benedixit, deditque Colonis, addito mandato, ut eam populo distribuerent, qui eadem segetes & vineas suas respergerent, Dei auxilium invocantes. Ubicunque hæc aqua adhibebatur, rarescebant locustæ; unde omnes vicini populi ad quærendum istud remedium Romam confluebant. Sæculum IX. A. C. 885.

§. XLIX.

Epistola ad Basilium Imperatorem data.

Stephanus Papa acceptis Basilii Imperatoris Epistolis, ad Hadrianum Antecessorem suum directis, respondit data Epistola, in cujus principio de diversitate duarum Potestatum differit. *Quo igitur pacto*, inquit, *a Deo datus* (*) *es nobis*, *Ep.* 1. *to.* 9. *Conc. p.* 366. *to.* 8. *p.* 1391.

(*) Ex his sequitur, Summum Pontificem neutiquam recusasse, Basilium non solum Græcorum, sed etiam Romanorum Imperatorem agnoscere, si modo Romanam Rempublicam sua auctoritate & Legibus regere, & sua potentia ab hostibus defendere valuisset. Sequitur etiam Stephanum Papam, qui Carolum Crassum ab Antecessore suo coronatum Occidentis Imperatorem

Sæculum IX. A. C. 885.

nobis, ut rebus terrenis præsis, ita etiam nos per Principem S. Petrum spiritualibus rebus præfecit Deus. Tuum est curare, ut Rebelles tyranni tua potentia comprimantur; tuum est subditis populis Jus dicere, Leges condere, terra marique militares copias disponere, at nobis cura gregis commissa est, tanto præstantior, quantum distant a Cælo ea, quæ in terris sunt. Et infra: *Mirati sumus, Principem, alias sapientem, usque adeo potuisse falli, ut putidas calumnias contra Marinum Papam audires. Dicis, non fuisse Episcopum, quomodo id nosti? Si vero ignoras, cur de Pontifice temere judicas? Quicunque dicunt, Marinum fuisse antea Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri, illi id aperte ostendant. Sed etiamsi fuisset Episcopus (quod tamen non (*) fuit) nihilominus salva Canonum auctoritate transferri potuisset.* Ut istud probet, Stepha-

torem utique non ignorabat, non credidisse, Romanum Imperium ita in Francos fuisse translatum, ut nihil juris Imperatoribus Orientis superesset.

(*) Fleurius putat, sup. N. XLVII. fuisse Episcopum, ad Bulgaros missum, sed sine Sede certa & fixa. Quod si ita esset, nihilominus translatus ab una Sede ad aliam proprie dici non potuisset.

Stephanus Papa exempla S. Gregorii Nazianzeni, S. Meletii Antiocheni, & complurium aliorum, quos ab una Sede ad aliam, sed omnes in Oriente, translatos fuisse putat, profert. Tum subjungit: *Quid deliquit Sancta Romanorum Ecclesia, ut adversus eam linguam tuam vibres. Num juxta antiquum morem de Synodo Constantinopoli habenda ad te literas non dedit? peto a te, cuinam scribere oportuisset Romanorum Ecclesiam? Photio scilicet Laico?* (*) *Si enim haberes Patriarcham cum eo Ecclesia nostra frequentius literas communicaret. Sed, heu! gloriosa Civitas Constantinopolitana Pastorem non habet, & nisi amor, quo te prosequimur, probibuisset, suasissetque injurias Ecclesiæ nostræ illatas patienti animo dissimulare, Photium, peccatorem, qui contra nos indigna evomuit, pœnis longe gravioribus, quam Antecessores nostri, coercere coacti fuissemus.* (**) *Non vero hæc*

Sæculum IX. A. C. 885.

(*) Ex his dispicimus, datas fuisse Epistolas Constantinopolim de nova Synodo habenda; nempe in qua Acta Synodi pseudo octavæ rescinderentur, & hasce Epistolas non ad Photium, qui Romæ pro Laico habebatur, sed ad Basilium Imperatorem fuisse directas.

(**) Hæc & plura alia a Guilielmo Cave, qui omnia Photio faventia studiose affert, omittun-

Sæculum IX. A.C. 885.

hæc dicimus ad tui contumeliam, sed tantum ad nostram defensionem, & Marini Papæ, qui eadem sensit, ac Antecessor noster Nicolaus, & qui Nicolai Decreta exequi cupiens a vobis ludibrio habitus est, quin & in carcere per unum mensem detentus, quod in Concilio vobis præsentibus publice acta retractare noluerit. Ceterum, cum audivimus, quod ex semine tuo filium ad Sacerdotium dedicasses, magno repleti sumus gaudio. Rogamus præterea, ut Classiarios mittas, (*) *qui mœnia nostra custodiant, & a mense Aprili usque ad Septembrem Agarenos incurrentes depellant. Reliqua silentio prætereo, cum nec oleum pro Luminari Ecclesiæ nobis sit.*

§. L.

Basilii Imperatoris obitus.

vit. Basil. n. 97. p. 212.

Hæc Epistola non ante annum octingentesimum octogesimum sextum, Basilio Imperatore defuncto, allata est.

Sup. n. 3.

Postquam illi mors præmatura filium suum Constantinum primogenitum rapuisset, affectus paternus, spesque omnis transierat in Leonem filium suum secun-

tur, & premuntur silentio. Unde huic Scriptori sinceritas, quæ in Historico requiritur, deest. In Sæc. Phot. p. 47.

(*) His superius dicta confirmantur.

cundum, ex Eudocia susceptum, quem anno octingentesimo septuagesimo coronari jusserat. Hic Princeps juvenis ferre neutiquam poterat, quod tanta esset Santabareni apud Imperatorem auctoritas; unde in hominem sæpe juvenili audacia ludebat, dicens, plus justo amari a parente suo seductorem, Principis amicitia indignum. Cum susurrones hæc ad Santabarenum detulissent; ille, dissimulato dolore, quadam die ad Leonem, tanquam utile consilium juveni suggesturus, ait: *Hac fortiore ætate, cum parentem Imperatorem in agros & silvas pergentem sequeris, oporteret te esse sica armatum, qua subito casu vel contra feras, vel contra occulti inimici insidias parentem tegas.* Ex his videmus, Græcos, nisi in bello, non adsueviſſe ferro armatos incedere. Decepta est vero a veteratore adolescentis simplicitas; cumque exinde vestigia patris feras in Silvis insectantis premeret, in cuthurno altero sicam occultam habebat. Santabarenus autem aliquando ad Basilium Imperatorem: *Filius tuus Leo vitæ tuæ insidiatur. Si fides mea tibi suspecta est, jube, ei cothurnos detrahi.* Cum igitur illis diebus de more venatum exirent, simulat Imperator, cultro sibi opus esse, urgetque filium, ut sibi cultrum porrigeret, qui fraudis ignarus, sicam e-

Sæculum IX. A. C. 885.

Sæculum IX. A. C. 885.

ducit, & tradit. Meditati sceleris convictum credidit Imperator, filiumque in carcere includi, & cothurnis purpureis, Dignitatis Cæsareæ Insignibus, exui jussit. Quin Santabarenus parentem impulisset, ut filio oculos erueret, nisi Photius Senatusque obstitissent. At in carcere, Senatu frustra patris affectum ad commiserationem solicitante, detentus est.

Quadam die, cum Imperator viros ex ordine Senatorio solemni convivio adhibuisset, psittacus in illo triclinio, ut doctus fuerat, humanam vocem imitatus sæpius de more repetebat: *Heu! heu! Domine Leo!* tristi memoria afflictos convivas tœdebat cibum capere; atque Imperatori quærenti, cur dolerent, responderunt: *Hæc avis, animal rationis expers, exprobrat nobis, quam duro pectore in Leonem Principem simus. Si reus est, nullos nobis promptiores in eo puniendo habebis, si vero insons, quamdiu obtrectationem malevoli hominis vincere patieris?* Imperator his sermonibus commotus, deliberaturum se, dixit. Tum paucis post diebus cedens paterno affectui, filium e carcere liberatum & in conspectum adductum, pristinæ Dignitati restituit. Basilius inde haud diu superstes fuit, obiitque prima Martii anno octingentesimo octogesimo sexto, post-

Sup. Lib. LI. §. 5.

quam

quam cum Michaele Anteceſſore ſuo anno uno, & ſolus annis octodecim & dimidio imperaſſet. (*) Huic Principi ornandarum Eccleſiarum cura maxima fuit; quippe quadraginta duæ numerantur, quas Conſtantinopoli & in locis non admodum remotis, vel reparavit, vel a fundamentis erexit. Inter illas, quas ex toto ædificavit, eſt Eccleſia honori JEſu Chriſti, Angeli Gabrielis, Eliæ Prophetæ, Sanctæ Virginis, & S. Nicolai ſacra. Ex tecto eminebant quinque arcuata faſtigia cupro veſtita. Muri intus polito marmore tegebantur, menſæ Altarium & cancelli ex argento deaurato erant, & pavimentum marmoreis tabulis ſervata proportione concinne junctis ſtratum. In area ante portam principem, qua Eccleſia occidentem ſpectabat, duo fontes aquæ ſalientis conſpiciebantur, quorum ſubjecti alvei raro & exquiſito lapide mire nitebant. Ad portam Septentrionem verſus poſitam porticus erat, in cujus fornice Sancti Martyres depicti viſebantur. Ad meridiem inter Eccleſiam & Palatium maxima area patebat, in qua Imperator equo vectus non nunquam pilæ ludo recreabatur. Poſt Eccleſiam hortus ſubibatur. Unde

Sæculum IX. A. C. 886.

n. 77.

n. 82.

Baſilii Pietas.

(*) Baſilius Imperator a Nota Inconſtantiæ in cauſa Photii abſolvi non poteſt.

Sæculum IX. A. C. 886.

videmus, adhucdum illo ævo Ecclesias magnis locorum spatiis ab ædibus profanis fuisse separatas. Qualis vero illa ætate ars pingendi fuerit, specimen accipi potest ex quodam Manuscripto S. Gregorii Nazianzeni, quod in Regis Bibliotheca conservatur.

Forsan etiam fuere, qui pietatem & Religionis amorem esse putarent, illam crudelitatem, qua Basilius in Infideles sæviisse traditur. Nam Constantinus Imperator Basilii nepos, & vitæ ipsius, vel potius Elogii, Scriptor literis mandavit, quod captos permultos Musulmannos ex Insula Creta variis suppliciis afn. 16. fecerit. Non nullis, præsertim Apostatis, totam de corpore pellem detrahi jussit, dicens, se ab eis unctionem Baptismi, cui sponte renunciassent, auferre. Aliis solum aliquot lora a vertice usque ad talos exsecari, aliosque funibus in altum elevatos rursus in lebetes pice fervente plenos demitti voluit, illudens, hoc baptismi genus perfidis maxime convenire. Hæc facere credebatur, quod Musulmannorum genti terribilis videri cuperet. Multis insedit opinio, Basilii Macedonis Imperatoris jussu Menologium Græcorum, quod Martyrologio Latinorum conferri potest, primo fuisse collectum; sed jam constat, id ex mandato Imperatoris Basilii Porphyrogeniti, qui exin-

Leo Allat. de Lib. Eccles. p. 88.

exinde post annos centum quinquaginta regnavit, factum fuisse. Sæculum IX. A. C. 886.

§. LI.

Leo Philosophus Photium ejicit.

Basilio Macedoni successit, regnavitque annis 25. Leo VI. filius, cui Literarum amor Sapientis seu Philosophi nomen conciliavit. Primo regni sui anno, ipso jubente, duo ex Aulæ præfectis præcipui in Ecclesiam S. Sophiæ se contulerunt, Photii flagitiis publice ex pulpito recitatis, eum e Sede Patriarchali ejiciunt, & ad Monasterium Armenorum, exilii locum, abstrahunt. (*) In Sedem *Leo vit. n. 2.* *Sim. Mag. n. 1.* *Leo Gram.*

(*) Cecidit tandem Romanorum Pontificum (si Diis placet) æmulus, Oecumenici Patriarchæ umbra. Ceterum justo Dei judicio, Photius in Hæresim manifestam, de Processione Spiritus Sancti, contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis pugnantem, lapsus est; unde exemplo terribili & luculento probatur, cunctos, qui a Communione Petri, quem JEsus Christus Petram appellavit Matth. XVI. deflectunt, etiam a vera JEsu Christi Doctrina deficere. Qui enim, ut DD. Protestantes nostri nullam sequuntur Regulam, nisi forsan Sacram Scripturam proprio judicio & privato arbitrio explicatam, necessario aberrant. Dicit Cave, Photium per calumniam fuisse pulsum; sed etiamsi insidiarum in caput Leonis

Sæculum IX. A. C. 886.

Constantinopolitanam subrogatus est Stephanus Syncellus, Imperatoris frater, quem circa Festum Nativitatis Domini anno octingentesimo octogesimo sexto ordinavit Theophanes Protothronus, id est, Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia, quæ erat Ecclesiarum Constantinopolitanæ Sedi subjectarum prima. Ceterum Stephanus Sedem Constantinopolitanam annis sex tenuit.

Exinde Imperator Leo Euchaitam, cujus Civitatis Theodorus Santabarênus Episcopus erat, misit, qui eum Constantinopolim adducerent. Quippe ad Imperatorem delatum fuerat, Photium & Theodorum animo constituisse, quemdam Photii cognatum ad Imperii Solium evehere. Ambo carceribus diversis includuntur, deditque Imperator Mandatarios, qui formam Judicii instruerent. Vocatur Photius eoque in hemicyclo honorifice sedere jusso, ipsi in aliis acquiescunt, & interrogare accusatum incipiunt. Andreas Domesticus dixit: *Domine, an noviſti Theodorum Abbatem?* Photius respondit: *Theodorum Abbatem novi nullum.* Volebat dicere, Theodorum

Leonis Imperatoris structarum, ut paulopost videbimus, non fuerit convictus, quis ignorat, insignem præstigiatorem aliunde Sacerdotio fuisse indignum?

rum jam esse Episcopum & non amplius Abbatem. Contra autem Andreas eum pro Episcopo non habebat, quod a Photio fuisset ordinatus. Tum iterum Andreas: *Ain vero te Abbatem Theodorum Santabarenum non novisse?* Photius: *Novi Monachum Theodorum Archiepiscopum Euchaitanum.* Cumque & ille vocatus fuisset, Andreas dixit: *Imperator ex te scire vult, ubi pecunia resque ipsius sint.* Santabarenus respondit: *Sunt, ubi eas reposuit Imperator, qui tunc regnabat; nunc vero, cum eas Imperator repetat, in potestate ipsius est, easdem recipere.* Subjunxit Andreas: *Edic! cui destinabas Imperium, cum Imperatoris parenti suasisti, ut ei oculos erueret, an tuo, vel Patriarchæ Propinquo?* Santabarenus: *Neutrius eorum, quorum me accusas, mihi conscius sum.* Mox Stephanus Officiorum Magister, ex Mandatariis alter, ad Santabarenum: *Quomodo ergo misisti, qui ad Imperatorem deferrent, te certis argumentis demonstraturum, criminis reum esse Photium?* Tunc vero Santabarenus ad Photii pedes prostratus ait: *Obtestor te, Domine, per Sanctum Numen! ut primo me deponas, tuncque me, sacerdotio dejectum, obtrectatores uti sceleratissimum hominem ad pœnas deposcant; nunquam tamen me auctore vel conscio talia ad Imperatorem dela-*

Sæculum IX. A. C. 886.

Sæculum IX. A. C. 886.

delata sunt. Photius, ut profiteretur, Santabareni innocentiam sibi omnino esse perspectam, dixit: *Per salutem animæ meæ, Domine Theodore, Archiepiscopus es in hoc & in altero Sæculo.* Andreas vero ira concitatior ad Theodorum: *Itane, Abba! negas, te mihi præcepisse, ut ad Imperatorem deferrem, a te Patriarcham ultimi sceleris convinci posse?* Theodoro omnia pernegante, Mandatarii, quid in ista quæstione actum, referunt Imperatori, furiose indignanti, quod Photius nocens esse non satis probaretur. Ergo Santabarenum acerrime virgis cæsum Athenas in exilium misit, & postea utroque lumine suo jussu privatum in Natoliam relegavit. Exinde Constantinopolim revocato pensionem annuam, a quadam Ecclesia præstandam, contulit. Santabarenus adhucdum diu superstes demum imperante Constantino & Matre ejus Zoe, nempe anno 912. mortem oppetiit.

§. LIII.

Epistola Styliani ad Pontificem.

to. 8. Conc. p. 1395.

Porro Leo Imperator accepta Stephani Papæ Epistola, ad patrem suum data, Styliano Metropolita Neocæsariensi Euphratesinæ provinciæ, cognomento Mapa, ceterisque omnibus Episcopis, Abbatibus & Clericis, a Photio persecutionem

nem passis, convocatis, ait: *Neminem compello, ut videtis, ad communicandum cum Photio, a me ipso expulso; sed potius rogo vos, ut Patriarchæ fratris mei communionem amplectentes, unum ovile & unum gregem efficiatis. Quia vero a Photio ordinatus est Diaconus, si inconsultis Romanis, a quibus Photius depositus est, nolueritis fratri meo communicare, scribamus & mittamus una Romam ad Pontificem, petamus Dispensationem & Absolutionem pro illis, quos Photius ordinavit.* (*) Ergo Imperator, simulque Stylianus nomine omnium Episcoporum, Clericorum, Monachorumque ad Stephanum Papam dederunt Epistolam, quam habemus. In ea Stylianus breviter & clare totam Schismatis Photiani historiam enarrat, initium ducens a Gregorii Syracusani condemnatione, quam a Leone Papa IV. & Benedicto ejus Successore confirmatam fuisse, differ-

p. 1398. *to.* 9. *p.* 368.

(*) Ex hac tota Epistola contra Græcos & Protestantes Jurisdictio Romani Pontificis in Ecclesias Orientales luculenter probatur. Clarissime demonstratur, ipsis Græcis confitentibus, Synodum Photianam, quam dixere octavam, nullius fuisse auctoritatis, nullius roboris. Tandem perspicitur, quod Communio Ecclesiæ Constantinopolitanæ adhucdum, post ita dictum Schisma Photianum, constiterit.

Sæculum IX. A. C. 886.

differte affirmat. At præstat credere Epistolis Nicolai Papæ, quem ego secutus sum. Dicit Stylianus, se ex numero illorum esse, qui ab initio, cum Photius in Cathedram Episcopalem intruderetur, reclamassent, & exinde cum ipso nunquam communicasse. Eundem accusat, quod perditissimorum hominum opera Ignatio mortem consciverit, (*) & ab armatis in possessionem Ecclesiæ immissus fuerit. *Fratribus nostris*, inquit, *Sacra Mysteria ad S. Sophiam celebrantibus, intrat ille impudens, in Sanctuarium; quem ubi conspexerunt, Liturgia neutiquam perfecta aufugerunt.*

Sup. Lib. L. §. 3.

Et post alia: *Cum videret, complures sine consensu Sedis Romanæ nolle eum recipere, fidem Pauli & Eugenii, quos Joannes Papa ad Ignatium Patriarcham in causa Bulgarorum miserat, solicitare aggressus, datis muneribus vacillantes & comminatione Imperatoris perterritos eo adduxit, ut publice dicerent, se venisse ad Ignatium anathematizandum, & Photium Patriarcham confirmandum. Præterea nomine Ignatii & Fratrum suorum literas confinxit, deinde*

p. 1403.

(*) Styliani verba sunt apud Baronium ad hunc annum: *Et ita Imperatorem adversus Ignatium irritavit, ut ei vitam male absulerit. Qui cum ita male fuisset mortuus &c.*

de Romam missas, in quibus Papam rogabat, ut Photium reciperet. Hinc cum Petrus Presbyter Constantinopolim venisset, tam ipse quam Paulus & Eugenius declararunt, Photium a Sacra Sede receptum fuisse. Tum infra: *Quoniam vero scimus, quod a vestra Apostolica Sede corrigi & juxta Canones corripi debemus, bis nostris literis te oramus, ut miserearis populi, qui non sine rationabili causa Ordinationem Photii recepit, auctoritate Legatorum tuorum, primo, Rodoaldi & Zachariæ, secundo, Pauli & Eugenii deceptus. Noli velle, ut infinitus numerus cum Photio pereat. Hoc enim facere consuevit Ecclesia. Synodus Calcedonensis deposuit Dioscorum, Hæresis Auctorem, & Flaviani Interfectorem; at illos qui ab ipso ordinati vel seducti fuerant, ad pœnitentiam suscepit. Concilium secundum Nicenum quoque Iconoclastarum Hæresis Auctores damnavit, Sectatores autem ad pœnitentiam admisit. Te decet eadem indulgentia uti, ne populus fidelis ad desperandum compellatur.*

Stephanus Papa, accepta hac Epistola, respondit: *Non mirum est, si Photium exosum & ab Ecclesia damnatum ejeciſtis, qui salutiferam Domini Crucem delusit.* Vult dicere, quod Sacramenta & subscriptiones crucibus signatas violasset; id enim a cunctis Sacrilegii genus

tom. 8. Conc. p. 1407. tom. 9. p. 373.

Sæculum IX. A. C. 886.

nus habebatur. Tum Papa prosequitur: *Ceterum, Epistolam Imperatoris a vestra diversam invenimus. In illa enim Photius, vitam quietam amplexus, & Sedi Constantinopolitanæ, datis literis, renunciasse dicitur; multum autem interest, abdicasse, aut ejectum fuisse. Itaque cum sententiam ferre non possimus, nisi causa plene cognita, ab adversis partibus Episcopi ad nos mittendi sunt, ut, quod Deus dederit, pronunciemus. Nam Ecclesia Romana ceterarum omnium exemplar est, ejusque Decreta in sempiternum manent.* Orientales, elapsis demum annis tribus, mandato in hac Epistola contento, obtemperarunt.

Sup. Lib. XLVI. §. 25.

§. LIII.

Epistola Fulconis ad Papam.

Flod. IV. c. 1. Interim Stephanus Papa, Marini & Hadriani Antecessorum suorum exemplum secutus, ad Fulconem Archiepiscopum Remensem literas dedit, solatium ferre conatus, atque Fratrem & amicum blande compellans. Igitur Fulco datis ad Papam Responsoriis, profuse gratias agebat, dicens, se ad Pontificem venturum fuisse, nisi ab Infidelibus includeretur, qui decem tantum ab urbe Remensi milliaribus distantes Parisios obsiderent. Unde dispicimus, hanc Epistolam ante annum octingentesimum octogesimum sex-

sextum scriptam non fuisse. His addebat Fulco; tantis calamitatibus regnum Franciæ jam annis octo affligi, nec tutum esse, extra munitas arces degere. Dicebat sceleratos quosdam Papæ exitium machinari, seque opem fuisse laturum, si temporum iniquitas permisisset, & profitebatur, se totamque familiam suam & præter alios Guidonem Ducem Spoletanum, fœderatum suum, quem Papa in filium adoptaverat, esse Pontifici addictissimos, cui ipse & Suffraganei sui novo gratitudinis vinculo adstringerentur, quod Papa jura Ecclesiæ Remensis confirmare vellet. Hanc Ecclesiam plusquam ceteras in Galliis omnes a Romanis Pontificibus nullo non tempore fuisse honoratam, quæ a S. Petro Primatum accepisset, cum ille S. Sixtum primum Episcopum illo misisset. S. Remigium ab Hormisda Papa Vicarium in Galliis fuisse constitutum, quibus beneficiis olim acceptis jam privilegiorum Confirmatio a Maximo & Hadriano III. Pontificibus concessa accederet. Sæculum IX. A. C. 886.

Tandem rogabat Papam, ut, datis ad Archiepiscopos Senonensem & Rotomagensem Epistolis, eos urgeret ad excommunicandum Ermenfredum Usurpatorem Monasterii, fundati a Rampone Fulconis fratre, qui jam prius in hac causa

ad

Sæculum IX. A C. 886.

ad duos Pontifices Anteceſſores ipſius ſcripſerat.

Inter alias Epiſtolas, quas Papa, & Archiepiſcopus Remenſis ad ſe mutuo dederunt, occurrit una Papæ non ſolum ad Fulconem, ſed etiam Aurelianum Lugdunenſem, ceterosque Galliarum Epiſcopos de querelis Eccleſiæ Bituricenſis contra invaſionem Frotarii Archiepiſcopi Burdegalenſis directa. Nam Bituricenſes contendebant, Joannem Papam Frotario Sedem Bituricenſem tantum jure proviſorio, quamdiu Burdegala a Barbaris occuparetur, conceſſiſſe. Ergo Stephanus Papa Frotarium ab Archiepiscopis ad reditum in Sedem ſuam compelli jubet, addita comminatione Anathematis, niſi morem gereret.

§. LIV.

Normanni ad portas Pariſiorum.

Chr. de Norm. Geſt. Duch. tom. 2. p. 527.

Non ſine cauſa de Normannis querebatur Fulco, nunquam enim alias pejus Franciam afflixerant. Jam prius anno octingenteſimo octogeſimo tertio menſe Octobri per Terraciam ingreſſi, &, ſuperata † Orſia, a Rege Carlomanno prœlio victi, nihilominus usque ad Viromandos penetrarunt, atque Eccleſiam S. Quintini, & S. Mariæ Attrebati incenderunt. Deinde Somonæ ripas ſecuti Rege cum exercitu in fugam verſo &

† aliis Iſara

ultra

ultra Isaram se recipere compulso, Ambiani hyemarunt. Inde frequentissime erumpentes, Ecclesias evertebant, cremabant vicos, Christianos alios captivos abstrahebant, alios trucidabant. In viis publicis corpora occisorum Clericorum, Nobilium, Virorum, feminarum, parvulorum jacentia iter facientibus occurrebant. Christianorum non nulli, abjecta Religione, Normannis jungebantur, aut saltem eorum tutelam efflagitabant. Tandem ad pacta descendendum fuit; tumque duodecim millibus librarum argenti receptis, mense Novembri anno octingentesimo octogesimo quarto recesserunt. Una pars Bononiæ conscensis navibus mare trajecit, alia Lovanii in Regno Lotharii sedem per hyemem sibi delegit. Ut vero tanta pecuniæ vis cogeretur, Ecclesiæ, earumque servi spoliati. Sed paulopost, Rege Carlomanno, cum feras in nemore agitat, vulnerato, & sexta Decembris anno octingentesimo octogesimo quarto ætatis suæ decimo octavo, Regni autem sexto, extincto, illico redeunt Normanni, & Optimatibus conquerentibus, quod datam fidem fallerent, respondent, cum solo Rege Carlomanno inita esse a se pacta, jamque ab ejus Successore parem pecuniæ summam sibi dandam esse, si pace frui vellet.

Sæculum IX. A. C. 886.

Fulco ap. Flod. IV. c. 5

Ann. Met. 884.

Sæculum IX. A. C. 886.

Responso feroci perterriti Proceres mittunt ad Carolum Imperatorem Legatos, qui Regnum offerrent. Venit ille in Franciam & Rex salutatur. At illico reversus est in Germaniam.

Chr. Norm.

Igitur Normanni, favente occasione, bellum restaurant, contra Franci, quo Barbaros morarentur, urbes ad amnes positas munire cœperunt, atque inter alias Pontæsiam, quam Normanni mense Novembri anno octingentesimo octogesimo quinto obsessam, & promissis pactis in potestatem redactam, nihilominus igne cremarunt. Inde Parisios processerunt, adversa Sequana navigaturi, ut ulteriorem regionem popularentur. Lembos vero agebant tanto numero, ut duarum leucarum spatio fluminis undæ conspici non possent. Tunc Sigefridus barbarorum Rex Gozelinum Episcopum Parisiensem adit, dicens, se innoxium solummodo transitum petere. Respondit Episcopus; Carolum Imperatorem suæ fidei commisisse hanc urbem, quam, priusquam dederet, ultima experturus esset. Illa tempestate urbs Parisiensis ultra Insulam, quæ hodieque civitatis nomen retinet, non protendebatur. Duo pontes aditum præbebant, nempe major ille, qui hodie *Pont au change* vulgo dicitur, & pons minor, cujus nomen mutatum non est. Uterque edita turri,

Abbo de bel. Paris. lib. 1.

qua

qua hostes subire poterant, muniebatur, ubi hodie duæ † Arces extructæ visuntur. Ergo Normanni, ut Sequanam in potestate haberent, majoris pontis turrim ultra duos menses ferociter irruentes oppugnant; at, Odone † Comite Parisiensi, Roberto ejus fratre, Gozelino Episcopo, ipsiusque nepote Ebolo (*)

Sæculum IX. A.C. 886.

† les deux Chatelets.

† Eudes

(*) In Annalibus Benedict. Tom. III. ad annum 888. legimus: *Superstes fuit tantum ad annos abhinc quinque Ebolus seu Ebulo Abbas, cujus tempore corpus S. Dionysii a quodam Gisalberto furtim sublatum, & Ratisbonam in Basilica S. Emmerami transportatum ferunt. In hujus rei argumentum Emmeramenses nostri duos lapides proferunt, in quorum uno hæc leguntur: Sub Ebulone Abbate Gisalbertus furavit;* in altero: *Furatus est quinque nonas Junii. Huc venit Prid. nonas Decembris tempore Tutonis Episcopi. Id ita accidisse Recentiores narrant. Gisalbertus homo Germanus rem se gratam Arnulpho Imperatori facturum existimavit, si corpus S. Dionysii Episcopi & Martyris suffurari posset, eique offerre. Hujus rei causa in Monasterium Dionysianum, tanquam criminis reus, se confugere simulavit, ut Sanctitate loci se pœnæ subduceret. In hoc itaque asylo commoranti facilis fuit ad Sacrum tumulum accessus. Rebus omnibus ad furtum dispositis, Abbati & Monachis lautum convivium parat, omnibusque post*

Sæculum IX. A. C. 886. Abbate, qui ipsi dimicabant, eam strenue tuentibus, repulsi sunt. Unde insilire cessarunt ultima Januarii año octingentesimo octogesimo sexto, urbem tamen præsidiis cinctam custodierunt usque in annum sequen-

post epulum somno resolutis. . . . . Ratisbonam vero allatum corpus Tutone Episcopo: quod vere S. Dionysii primi Parisiorum Episcopi & Martyris corpus esse coram Leone IX. probatum sit, & Pontificio Diplomate confirmatum. Verum ad refellendam hanc fabellam non aliis Auctoribus opus est, quam Germanicis, Witichindo, inquam, Ditmaro, & Arnolfo Monacho, qui omnes sub finem decimi Sæculi scripserunt. &c. Postquam deinde Mabillonius Tom. IV. verba ex Bulla Leonis IX. Papæ retulit, subjungit: *Hæc Summa vulgati Diplomatis, quod subdititium esse vel ipsa contextus lectio persuadet, id est, Stilus, qui omnino a Pontificis Leonis aliorumque Romanorum literis alienus est. Deinde multa in fictitio illo Diplomate falsa continentur &c.* Quæ hic Mabillonius commemorat. Et tandem subdit: *Sed his nugis diutius immoror. Haud tamen absolute negaverim, Leone Papa Ratisbonæ demorante, quæstionem de corpore S. Dionysii ventilatam fuisse (id enim & Annales Saxonici tradunt) atque in S. Emmerami Templo tunc detectum fuisse quoddam corpus, quod ejusdem S. Dionysii corpus esse, prolatis nescio quibus tabulis, Ratisbonenses asseruere. Idque forte*

quentem, quo Imperator Carolus, poſt- Sæculum IX.
quam bis miſiſſet auxilia cum valido ex- A. C. 886.
ercitu advenit. Sed ecce! pacem cum Normannis pudendam iniit. Gozelino Epiſcopo, antequam obſidio ſolveretur, fatis functo Aſchiricus ſucceſſit. Ceterum res in illa obſidione geſtas ſtatim carmine latino ſcripſit Abbo Monachus S. Germani de pratis, teſtis oculatus; verum ſtilo adeo barbaro & inquinato, ut intelligi vix poſſit. Libertatem receptam Sanctorum Civitatis Pariſienſis Patronorum, & præter ceteros S. Genovefæ atque S. Germani beneficium eſſe dicit. *Ducheſne to. 2. p. 499.*

Cum Normanni, Francis Pariſios fortiter propugnantibus, ibi Sequanam trajicere non poſſent, incredibili ſolertia, ſcaphas ſuas ultra duo millia paſſuum terreſtri via ad oram ſuperiorem raptarunt, iisque e ripa rurſus in flumen immiſſis, iterum contra Sequanæ fluctus ſcaphas ſuas agentes in amnem Icaunam invecti, Senones ſex menſibus irrito la- *Regin. an. 888. Ann. Met. eod.*

forte Leoni perſuaſum fuiſſe. Hinc eſt, quod Heinricus Rex (Franciæ) *ad refellendam hanc opinionem frequentem Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum cætum in Dionyſiano Monaſterio per Hugonem Abbatem indici juſſit, ac Sancti Dionyſii loculum reſerari &c.* Quid de hac controverſia ſentiendum, Lector judicet.

Sæculum IX. A. C. 886.

bore obsederunt. At Burgundiam, magnam partem, igne, ferro, latrociniis vastarunt. Everardus Archiepiscopus Senonensis, obsidione Parisiensi necdum soluta, prima Februarii anno octingentesimo octogesimo octavo e vivis abiit, Antistes doctrina & virtutibus celeberrimus. Is quondam Monachus & Præpositus ad S. Columbam Ansegiso anno octingentesimo octogesimo secundo mortuo successerat. Ipse vero Successorem habuit Walterium meritis sibi longe imparem, Walterii Episcopi Aurelianensis Nepotem.

Mabill. to. 6. Act. p. 485.

§. LV.

Concilia Cabilonense & Colonienſe.

tom. 9. Conc. p. 399.

In tantis turbis nihilominus quædam Concilia in Provinciis ab Oceano remotis celebrata. Quale illud est decima octava Maji, anno octingentesimo octogesimo sexto, Cabiloni ad Ararim in Ecclesia S. Marcelli ad pacem stabiliendam, aliasque causas Ecclesiasticas componendas, habitum. Adfuere Episcopi octo, videlicet, Aurelianus Lugdunensis, Bernuinus Viennensis, Geilo, seu Egilo Lingonensis, Adalgarius Augustodunensis, Stephanus Cabilonensis, Adalbaldus Bellicensis, Geraldus Matisconensis,

sis, Isaac Valentinensis, Leboinus Chor-epiſcopus Lugdunensis. Unde videmus necdum Chorepiſcoporum officium ubique fuisse sublatum. Sæculum IX. A. C. 887.

Anno sequente octingentesimo octogesimo septimo prima Aprilis Concilium Coloniæ in Ecclesia S. Petri, consentiente Carolo Imperatore, celebratum. Cui interfuere Guillebertus Archiepiscopus Colonien sis, Franco Episcopus Tungrensis, Odilbaldus Trajectensis, Wulfelinus Mimigardefordiensis (nempe Monasterien sis) & Drogo, qui in ea Synodo Episcopus Mindensis ordinatus est. Luidbertus Archiepiscopus Moguntinus, & S. Rambertus Hamburgensis Synodo consensisse dicuntur. Nempe, ut conjicere debemus, per suos Legatos. Franco Episcopus Tungrensis contra raptores Bonorum Ecclesiæ suæ querelas movit; unde Synodus antiquos Canones commemoravit, minasque & Censuras contra latrocinantes pronunciavit. *p.* 396.

§. LVI.

Translatio S. Martini secunda.

Ad hunc annum quoque octingentesimum octogesimum septimum secunda S. Martini Translatio ad Ecclesiam suam Turonensem refertur. Hoc Sacrum Corpus annis jam triginta & uno *Sup. Lib. XLIX. Odo de reverſ.* 13. *B. Mart. Bibl. Clun. p.* 114.

Sæculum IX. A. C. 887.

Antissiodori, quo metu Normannorum urgente delatum fuerat, detinebatur; tot tantisque vero claruit miraculis, ut oblationes Fidelium immensæ cumularentur. Cumque Clerici Antissiodorenses ingentem donorum vim cum Monachis Majoris monasterii, † qui ad custodiendas S. Martini Reliquias ibi manserant, partiri vellent, quod dicerent, non solius S. Martini, sed etiam S. Germani precibus patratorum miraculorum gratiam adscribi debere, novo miraculo litem pro S. Martino decisam ferunt. Ergo cives Turonenses, opportunum tempus nacti, ad revehendum Patroni sui corpus, miserunt Antissiodorum, qui illud ab Episcopo repeterent. Is negavit, eo adduci se posse, ut Ecclesiam suam tanto thesauro, quem in ea inveniisset, privaret. Ad Regem deinde conversi sunt, qui invidiosum judicium a se amolitus est. Tum, cum re infecta Turonem reversi essent, & Archiepiscopus Adalaudus, Episcopis Aurelianensi, Cenomanensi, & Andegavensi convocatis, hac de re deliberasset, communi consilio statutum, ut Ingelgeri Comitis in Territorio Vastinensi, Domini Lochiarum, † & Ambasiæ, domum etiam in Civitate Antissiodorensi & circumjacentes agros possidentis, cui Rex nuper Comitatum Andegavensem dona-

† Marmoutier.

† Loches

donaverat, auxilium flagitarent. Jamque Delegatos ad eum mittere parabant, cum ipse orandi studio, a nemine invitatus, Turonem venit, & ex Ecclesia pedem referens, socordiam exprobrat civibus, quod Sancti Patroni sui corpus repetere omitterent. Illi, quibus obstaculis id facere prohibiti fuissent, narrant, ipsiusque opem implorant. Sæculum IX. A. C. 887.

Tunc vero Ingelgerus copias contrahit, & postquam sex ferme cum peditum tum equitum millia ad signa convolassent, Antissiodorum movet; Archiepiscopus autem Turonensis interim unius hebdomadæ jejunium, & preces publicas ad felicem expeditionis eventum a Cœlo impetrandum imperat. Interea Ingelgero Comite ab Episcopo Antissiodorensi carissimi Depositi, quod Ecclesiæ ejus urgente necessitate commissum fuisset, restitutionem postulante, respondet Episcopus, non oportere Christianos vi armorum in loca Sacra irrumpere; sed se postera die responsum daturum. Ubi deinde cum Episcopis Augustodunensi & Trecensi, tunc forte præsentibus, consultasset, dixerunt illi, nullo prætextu tantum Depositum honeste retineri posse. Episcopus meliora suadentibus morem gessit, celebrata est Missa in honorem S. Martini, ejus Corpus comitantibus Episcopis & ma-

Sæculum IX. A. C. 887. magna populi frequentia, Turonem revectum est, ubi illud Archiepiscopus, Suffraganei, Clerici populusque inter maximæ lætitiæ signa exceperunt.

Plurima miracula in hoc S. Martini reditu, & ex quo in suam Diœcesim revectum fuisset, patrata feruntur, & mandatum, ut Translationis memoria quotannis ipsa die decima tertia Decembris celebraretur. Hebernus majoris Monasterii Abbas, qui S. Martini Corpus olim Antissiodorum secutus, cum toto tempore ad custodiam ibi permansisset, & in reditu comitatus fuisset, Adalaudo in Archiepiscopatu Turonensi successit.

Gall. Chro. to. 1. p. 749.

FINIS TOMI XII.

INDEX

INDEX
TOMI XII.
RERUM ET NOMINUM.

Actardus Nannetensis. Translatus ad aliam Ecclesiam. p. 515.

Ado Viennensis. p. 25. Ejus Martyrologium. p. 26. Chronicum & obitus. p. 568.

Adventius Metensis. Apologia Lotharii. p. 107. Epistola ad Nicolaum Papam. p. 123. Ad Episcopum Virdunensem. p. 231.

Æneas Parisiensis. Ejus Tractatus contra Græcos. p. 289.

Alexandria. Sophronio Melchitæ succedit Michael. p. 241. Josepho Jacobitæ successit Michael. p. 242. Michaeli Cosmus, & huic Osanius. ibid. Michael alter Michaeli succedit. p. 691. & 627. Osanio Jacobitæ succedit Michael. p. 727.

Anastasius Bibliothecarius. Ejus Epistola ad Adonem Viennensem. p. 270. Excommunicatur. p. 317. Legatus Constantinopolim mittitur. p. 423. Vertit Concilium octavum. p. 445.

Anglia. Normannorum Latrocinia. p. 461. Ethelulfo succedunt filii Ethelbaldus, Ethel-

Ethelbertus, & Ethelredus. ibid. Edmundus Rex Angliæ Orientalis. p. 463. Martyr. ibid. Fratribus Ethelbaldo &c. succedit Alfredus in Saxonia Occidentali. p. 783.

Anima. An duæ sint in homine. p. 425.

Annales Bertiniani. A quo scripti. p. 184. Hincmari Remensis Opus, vel ipsius jussu scripti. p. 577.

S. Anschavius Hamburgensis. Ejus vita & obitus. p. 140. & seqq.

Antiochia. Jobo Melchitæ succedit Nicolaus. p. 243. Theodosius Patriarcha. p. 694. Mittit Basilium ad Pseudo-Synodum VIII. p. 704. Successit Stephano, qui una die sedit. p. 726.

Appellatio ad Sedem Romanam. Sufficit, si appellans credat se bonam causam tueri. p. 103. Caute est admittenda. p. 127. Appellatio ad Sedem Romanam solis Episcopis concessa. p. 583. Prius ad Metropolitanum est appellandum. ibid.

Arelate. Rostangius Archiepiscopus & Vicarius Apostolicus. p. 623.

S. Athanasius Neapolitanus. p. 544.

Athenæ. Nicetas Episcopus interest Concilio Oecumenico. p. 343.

Baluzius. Rerum Historicarum studiosissimus. p. 677.

Bardas Cæsar. Literas restituit Constantinopoli. p. 2. Somnium. p. 162. Obitus. p. 163. & seqq.

Basilius Imp. p. 236. Epistola ad Papam. p. 309. Interest Pseudo-Synodo. p. 717. Obit. p. 802.
Bavaria. Carlomannus Rex. p. 595.
Bernoldus. Ejus visio. p. 607.
Bogoris Rex Bulgarorum. Baptizatur. p. 189. Romani prædicant fidem in Bulgaria. pag. 209.
Bohemia. Ad fidem convertitur. p. 732. Borivojus Dux. ibid.
Boso Ludovici II. Imp. Gener. p. 623. Rex. ibid. Rex Provinciæ. p. 672.
Britannia Minor. Salomon Rex. p. 225.
Bulgari. Convertuntur. p. 187. Contentio inter Romanos & Græcos. p. 438. Michael eorum Princeps. p. 439. Episcopos & Presbyteros Latinos expellunt. p. 521. Subjiciuntur Ecclesiæ Constantinopolitanæ. p. 523. Papa reclamat. p. 617.

Cæsarea in Cappadocia. Theophanes Photii amicus. p. 646. Procopius. p. 684. In Pseudo-Synodo subscribit. p. 714. Stephanum Constantinopolitanum ordinat. p. 808.
Canones. Si adversentur Leges, Canones sunt præferendi. p. 103. In Oriente conditi in Occidente citantur. p. 511.
Canonici. In clausura. p. 556.
Cardinalis. Hoc nomen jam sæpius occurrit. p. 666. & seqq.
Carlomannus Caroli Calvi Filius. Damnatur.

tur. p. 475. Excommunicatur. p. 494. oculis privatur. p. 550.

Carlomannus Ludovici Germanici Filius & Rex Bavariæ. p. 595. Obit. p. 736.

Carlomannus Rex Franciæ Occidentalis. p. 774. Ejus Capitulare. p. 781. Obit. pag. 817.

Carolus Calvus. Rex Lotharingiæ coronatur. p. 332. Imperator. p. 559. Obit. p. 604.

Carolus Craſſus Imp. p. 735. Rex totius Franciæ Orientalis. p. 773. Pacta cum Normannis. p. 779. Rex etiam Franciæ Occidentalis. p. 818. Pax cum Normannis. p. 821.

Carolus Ludovici Germanici Filius. p. 587. Papa ei ſcribit. p. 671.

Caſſinenſe Monaſterium. In illo Hadrianus Lothario communionem dare promittit. p. 326. Bertharius Abbas. p. 675. Monaſterium deſtruitur. p. 794. Bertharius Abbas Baſſacio ſucceſſerat. p. 795. Angelarius Abbas. ibid.

Chorepiſcopi. Non confirmant. p. 140. Valide ordinant Presbyteros & Epiſcopos. p. 262.

S. Clemens Papa. Ejus Corpus Romam defertur. p. 320.

Clerici. Presbyteri ordinantur unam uxorem habentes. p. 56. Presbyter ob peccatum carnale depoſitus. p. 75. & ſeq. non ordinentur Clerici niſi titulo certæ Eccleſiæ. p. 137. Presbyter ſemel lapſus nunquam

quam in ministerium Ordinis sui restituatur. p. 140. Clerici a Judicio Sæculari exempti. p. 202. Presbyter ob flagitium cum Moniali commissum deponitur. p. 554. Clerici puniendi non modo si stuprum obtulerint, sed etiam si imprudentes cum fœminis conversati fuerint. p. 557.

Colonia. Gunthario sufficitur Guillebertus. p. 474. Legatus Ludovici. p. 573.

Concilia. Imperatores non intersunt, nisi cum discutitur materia fidei. p. 156. Non confirmata a Romano Pontifice sunt sine Authoritate. p. 305.

Concilium ad S. Macram. p. 739.

Concilium Attiniacense. p. 475.

Concilium Cabilonense. p. 822.

Concilium Colonienſe. p. 823.

Concilium Confluentinum. p. 16.

Concilium Constantinopolitanum. Contra S. Ignatium. p. 39. Canones p. 46. & seqq.

Concilium Duziacense. p. 496. Acta. p. 499. Secundum. p. 551.

Concilium Oecumenicum VII. In Francia ignoratur. p. 483.

Concilium Oecumenicum VIII. Convocatur. p. 240. Sessio prima. p. 342. Secunda. p. 355. Photius in Concilio. p. 371. & Imperator. p. 379. Sessio septima. p. 393. Legatus Alexandrinus advenit. p. 407. Canones. p. 424. & seqq. Finis. p. 428. An Patres Christi Sanguine subscripserint. p. 432. Sententia lata de Bulgaris. p. 443.

Conci-

Concilium Piſtenſe. p. 73.
Concilium Pontigonenſe. p. 566.
Concilium Pſeudo-Octavum. p. 677. Epiſtolæ Orientalium. p. 691. A Græcis habetur legitimum rejecto Concilio vero. p. 724.
Concilium Ravennatenſe. p. 558. Aliud. p. 601.
Concilium Romanum. In cauſa Ignatii. p. 96. Aliud, in quo Metenſe damnatur. p. 113. Aliud ſub Hadriano II. contra Librum Photii p. 312. Contra Gregorium & Formoſum Epiſcopum Portuenſem. p. 564. Aliud. p. 593. plura ſub Joanne VIII. pag. 657. & 669.
Concilium Sueſſionenſe. In cauſa Wulfadi. p. 169.
Concilium Ticinenſe. p. 561.
Concilium Trecenſe. p. 248. Epiſcopi Franciæ falſis Decretalibus ſe ſubjiciunt. p. 250. Aliud. p. 625. Canones. p. 631.
Concilium Wormatienſe. p. 306.
Confeſſio. Sacerdoti facienda. p. 199. Generalis ante Conſecrationem Epiſcopi præmittenda. p. 761.
Confeſſio criminis in Judicio. Non eſt tormentis extorquenda. p. 203.
Confirmatio. Repetitur. p. 214.
Conſtantinopolis. Pulſo S. Ignatio intruditur Photius. p. 7. In ea Sede hæreſiarchæ. p. 295. ea Sedes Romanæ eſt ſubjecta. p. 519. Communio cum Romana etiam poſt Photium. p. 811.
Conſtantinus & Methodius Sclavorum Apoſtoli. p. 211.

Cosmus Legatus Alexandrinus in Pseudo-Concilio VIII. p. 704.
S. Cyprianus. Ipsius Reliquiæ Compendii. p. 600.
SS. Cyrillus & Methodius. p. 320.

Decretales primorum Sæculorum. p. 133. & seq.
Duda Monialis. Pœnitens. p. 554.

Ecclesia. Orientalis Status. p. 241. Potestas explicandi Evangelium. pag. 396. Fundata in quinque Patriarchiis. p. 405. Romani eleemosynam mittunt Jerosolymam. p. 657. Ejus Bona necdum distributa. p. 766.
Egilo Senonensis. p. 172.
Electio Episcoporum. Imperator non impediat electionem Canonicam. p. 425.
Eleutherius. Uxorem & Filiam Papæ interficit. p. 318.
Elias Presbyter Legatus Jerosolymitanus in Concilio Oecumenico VIII. pag. 343. & 694.
Epbesus. Basilius Archiepiscopus subscribit Synodo VIII. p. 431. Gregorius in Concilio Pseudo-octavo subscribit. p. 716.
Episcopatus. Totum complectitur Sacerdotium. p. 293.
Episcopus. E Monasterio evocatus servat mores. p. 173. Unde dicti Suffraganei. p. 427. Episcopi in Ecclesia sunt Judices, &

nullatenus Laici. p. 430. Jura Archiepiscoporum. p. 481. prius consulendus est Archiepiscopus, quam Papa. p. 483. Episcopi non exeant e Regno sine Regis licentia. p. 494. Translatio ad Summum Pontificem pertinet. p. 516. Episcopi publice accusandi. p. 632. Episcopus Pallio non utitur sine consensu Archiepiscopi. p. 643. In Oriente Laici ordinantur. p. 704. Episcopus ad Vitam Monasticam transiens non potest redire ad Episcopatum. p. 714. Status Electionis in Francia. p. 742. Consecrationi præmittenda Confessio Generalis. p. 761. Milites Regi mittunt Episcopi. p. 766.

Eucharistia. Transubstantiatio probatur. p. 459. & seq.

Excommunicatio. Non hæc, sed arma conferunt Regna. p. 490.

Formosus Episcopus. Legatus Nicolai I. in Bulgaria. p. 191. In Concilio Romano. p. 313. In Galliam mittitur. p. 330. Petitur a Bulgaris. p. 438. Damnatur a Joanne VIII. p. 562. Romam reducitur. p. 621.

Francia. Ludovicus Balbus obit, cui succedunt Filii Ludovicus, & Carlomannus. p. 673. Ludovicus obit. p. 745. Carlomannus solus. p. 774.

Frotarius Burdegalensis. p. 816.

Fulco

Fulco Archiepiſcopus Remenſis. p. 780. Epiſtola ad Stephanum VI. p. 814.

Gotteſchalcus. Ejus exitus. p. 183.
Gradum. Petrus Patriarcha. p. 601.
Græci. Schiſmatis fundamentum. p. 255. Exempla malæ fidei. p. 446.
Gregorius Syracuſanus. Appellat ad Pontificem. p. 9. In Concilio. p. 393.
Guntharius Colonienſis. Deponitur. p. 115. Epiſtola contra Pontificem. p. 118. Eum excommunicat. p. 119.

Hadrianus II. Papa. p. 265. uxore vivente. p. 266. Epiſtola ad Epiſcopos Franciæ. p. 274. Epiſtolæ ad Waldradum, & Epiſcopos Germaniæ. p. 279. Epiſtolæ & Legatio Conſtantinopolitana. p. 337. Epiſtolæ ad Carolum Regem. p. 469. Aliæ Epiſtolæ. p. 520. & 536. obit. p. 549.
Hadrianus III. Papa. p. 790. Photium rejicit. ibid. obit. p. 796.
Hedenulfus Hincmaro Laudunenſi ſubſtitutus. p. 639.
Hincmarus Laudunenſis. Ejus cauſa. p. 321. ſubmittitur. p. 476. Obſtinatus. p. 496. Ejus reſponſum. p. 507. In Concilio Trecenſi. p. 629. Hedenulfus ipſi ſubrogatur. p. 639.
Hincmarus Remenſis. Sententia de Matrimonio. p. 31. Quid de adultera decernendum. p. 34. Tractatus de Divortio.

p. 79. Epistola in causa Rotadi. p. 127. Hincmarus in Concilio Suessionensi. pag. 174. Capitula quinquaginta quinque. p. 481. Epistola ad Papam. p. 486. Ejus querelæ contra Hincmarum Laudunensem. p. 499. Statuta Synodica. pag. 555. Tractatus contra Primatum Ansegisi. p. 571. Libellus ad Imperatorem. pag. 581. Epistola de Appellatione. p. 582. Capitulare. p. 611. Epistola de Jure eligendi. p. 742. De forma Electionis Episcoporum. p. 748. obit. p. 776.

Honorius Papa. Damnatus asseritur. p. 314.

Hubertus. p. 19.

Hugo Lotharii & Waldradæ Filius. p. 606. excommunicatur. p. 639.

Iconoclastæ. In Concilio VIII. p. 403.

Jejunium. Sæpius per annum. p. 196. Mariti in Quadragesima ab Uxoribus abstineant. ibid. Germanorum jejunia. pag. 291.

Jerosolyma. Theodosius Patriarcha Eliam mittit ad Concilium Oecumenicum VIII. p. 241. Joanni successit Sergius, Sergio Salomon, & tandem Theodosius. p. 243. Ejus Epistola Synodica. p. 694. Theodosio succedit Elias. p. 695. & 726.

S. Ignatius Constantinopolitanus. Pulsus. p. 5. Persecutionem patitur. p. 48. Restituitur. p. 237. Epistola ad Hadrianum Pontificem. p. 310. Obit. p. 649.

Impe-

Imperator. Negotia Ecclesiastica non tractet. p. 572.
Imperium Romanum. Per gladium S. Petri designatur. p. 637.
Interdictum. Universale nocet. p. 500.
Investitura. Cum Baculo. p. 146.
Joannes Diaconus. Jubente Pontifice vitam S. Gregorii M. scribit. p. 772.
Joannes VIII. Papa. Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ. p. 312. Papa. p. 550. Carolum Calvum coronat. p. 560. Formosum damnat. p. 562. Epistolæ ad Carolum Imp. p. 590. Aliæ. p. 593. & seq. Ad Carlomannum. p. 613. Ad Basilium Imp. p. 616. Legatio ad eundem. ibid. fugit in Franciam. p. 622. Ludovicum Balbum coronat. p. 635. Literæ ad Selavos. p. 658. Photium recipit. p. 667. Epistola de voce: *Filioque.* p. 721. An crediderit Spiritum S. a Filio procedere. p. 722. & seq. Epistola ad Suentopulchrum. p. 729. Obit. pag. 770.
Joannes Ravennas. Ejus causa. p. 63. & seqq.
Josephus Legatus Alexandrinus in Synodo VIII. p. 420. & 691.
Italia. Status Reipublicæ. p. 597. Multi modici Domini sine Præpotente. ibid. & seqq. Tractatus cum Saracenis. p. 674. & seqq.
Jurisdictio Ecclesiastica. In Criminalibus. p. 318. Ecclesia non fundit sanguinem. p. 501.

Lambertus Spoletanus. Romæ. p. 618.
Leo Basilii Imp. Filius. p. 802. Imperator. p. 807.
Leo Philosophus. p. 2.
Longobardia. Boso Dux. p. 561.
Lotharius Rex. Theutbergam dimittit. p. 18. Waldradam ducit. p. 87. Adventius Metensis eum defendit. p. 107. revocare Theutbergam cogitur. p. 149. Epistola ad Hadrianum II. p. 277. Iter in Italiam p. 325. Moritur. p. 329.
S. Ludmilla. p. 732.
Ludovicus Balbus. Rex Franciæ. p. 605. Coronatur a Joanne Papa. p. 635.
Ludovicus II. Imp. Pugnat contra Saracenos p. 278. Legatos mittit ad Basilium Imp. p. 423. Obit. p. 559.
Ludovicus Rex Germaniæ. Obit. p. 586. Ejus filii Carlomannus, Ludovicus, & Carolus Regnum dividunt. p. 587. Ludovicus obit. p. 773.

Mahometani. Mutazem succedit Aaron. p. 243. Aaroni Jaffar, Jaffar Mahomet, Mahometi Achmet. ibid. Achmeti Mahomet Mutaz. p. 244. Achmet in Ægypto. ibid. Mutazio succedit Mahomet Muthadi, & huic Mutamid. p. 725. In Ægypto Tuloni succedit Achmet Filius, & Antiochiam capit. ibid.
Manichæi seu *Pauliciani.* p. 524.

S. Maria. Manichæi dicunt, eam plures filios genuiſſe ex S. Joſepho. p. 527.
Marinus Papa. Epiſcopus & in Concilio VIII. Præſes. p. 735. Legatus Joannis VIII. ibid. Papa. p. 773. Photium damnat. p. 789. Formoſum reſtituit. p. 790. Obit. ibid.
S. Martinus. Secunda ipſius translatio. pag. 823. & ſeqq.
S. Maurus. Ejus translatio. p. 285.
Mediolanum. Anſpertus Archiepiſcopus. p. 562. Papa ei ſcribit. p. 622. Excommunicatus deponitur. p. 670. Anſperto ſuccedit Anſelmus. p. 737.
Menologium Græcorum. p. 806.
Methodius Archiepiſcopus in Moravia. Obit. p. 729.
Metrophanes Smirnenſis. In Pſeudo-Synodo VIII. excommunicatus. p. 710.
Michael Patriarcha Alexandrinus. Ipſius Epiſtola ad Baſilium Imp. p. 408.
Miſſa. In Lingua Sclavonica, Syriaca, Ægyptiaca, Armena. p. 660. & 731.
Moguntia. Luitpertus Archiepiſcopus. pag. 473. Ad Concilium vocatur. p. 624.
Monachi. Præliantes. p. 793.
Monaſteria. Sint ſub poteſtate Epiſcopi. pag. 538. Partem habebant in Electione Epiſcopi. pag. 750.
Monialis. Cum Presbytero lapſæ qualis pœnitentia. p. 554. & ſeq.
Moravia. Converſio. p. 212. & ſeq. Res Ec-

clesiasticæ. p. 729. Suentopulcher Princeps. ibid.

Neapolis. Status illius Civitatis. p. 544. & seqq. Sergius Tyrannus. ibid. Cum Saracenis Tractatus. p. 598. Athanasius Episcopus Sergium oculis privat. p. 614. Excommunicatur. p. 737.

S. Neotus Anglus. p. 466.

Nicetas Scriptor Vitæ Ignatii Patriarchæ. pag. 432.

Nicolaus Papa. Legatos Constantinopolim mittit. p. 35. Epistolæ. p. 36. & seq. Damnat Acta Legatorum. p. 62. Epistolæ. p. 67. Legatio in Franciam. p. 92. Damnat Photium in Concilio. p. 95. Epistola ad omnes Episcopos Franciæ. p. 133. Ad Michaelem Imp. p. 152. Responsa ad Consulta Bulgarorum. p. 192. Epistola Constantinopolim data. p. 204. Ad Theutbergam. p. 227. Aliæ. p. 229. & seq. Obit. p. 261. Sanctis adscriptus. ibid.

Nicolaus Studita. p. 245.

Nicomedia. Georgius in Pseudo-Synodo VIII. p. 712.

Nitria. Episcopatus origo. p. 729.

Normanni. Grassantur. p. 778. Godefridus Rex baptizatur. p. 779. Ad portas Parisiorum. p. 816.

Odo Comes Parisiensis. p. 819.

Ordines. Diaconus ad Episcopatum evectus sine ordine Presbyteratus. p. 56. Ordina-

dinatio Episcoporum non reiteranda. p. 226. Diaconi immediate Episcopi ordinati. p. 253. Nec Diaconi, nec Presbyteri unguntur in manibus. p. 263. Diaconi ordinati in Episcopos. p. 293. Id factum negat Ratramus. p. 303.

Pallium. A Summo Pontifice missum quid tribuat. p. 200. prohibetur Photius Pallia mittere. p. 668.

Papa. Ad eum a Patriarcha Constantinopolitano appellatur. p. 9. Metropolitæ in prima instantia ab eo judicandi. pag. 128. Sedes Romana suas prærogativas non habet a Conciliis. p. 157. Potestas Ecclesiastica est a Sæculari separata. p. 161. Nullus Episcopus sine Papæ consensu deponatur. p. 250. Donatio Constantini p. 292. In Sede Romana nullus hæreticus. p. 295. Habet auctoritatem in tota Ecclesia, fatente Patriarcha Constantinopolitano. p. 310. Universalis in titulo etiam Constantinopoli. p. 350. Invicta testimonia ab Orientis Patriarchis. p. 351. Papa non potest simul Rex esse & Episcopus. pag. 491. Potestas specialis in omnes Ecclesias. p. 504. Vicarius Papæ an recipiendus. p. 569. & seq. Papa excommunicatum in Concilio non absolvit sine consensu Episcoporum, qui adfuerunt. p. 670. A Photio sæpius Pater Spiritualis vocatur. p. 683. Papæ Jurisdictio in Ecclesiam Constantinopolitanam. p. 811.

Patriarchæ. Quinam vere tales sint. pag. 200.

Paulus Anconitanus. Constantinopoli deceptus. p. 654.

Petrus Siculus Auctor Historiæ Manichæorum. p. 525.

Photius. Anti-Patriarcha. p. 7. Scribit ad Pontificem. p. 14. & 52. Ejus astutia. p. 70. Damnatur in Concilio Romano. p. 95. Papam deponit. p. 213. Epistola contra Latinos. p. 217. In Monasterium detruditur. p. 237. In Concilio Oecumenico. p. 393. Epistolæ ad Monachum. p. 447. Ad Basilium. p. 531. Alia. p. 533. Revocatur. p. 645. A Papa agnoscitur pro Patriarcha. p. 660. Apologia. p. 688. Epistola de Processione Spiritus S. p. 790. ejicitur. p. 807.

Pœnitentia. Publica. p. 112. Confessio Secreta, & Absolutio. p. 231. Pœnitentia injuncta pro commisso homicidio. p. 263. Confessio secreta necessaria. p. 585. Absolutio in mortis articulo. p. 747.

Prudentius Annalium Bertinianorum Scriptor. p. 184.

Ratramus. Ejus Tractatus de Spiritu S. Processione. p. 295.

Ravenna. Joannes Archiepiscopus. p. 622. Joanni succedit Romanus. p. 644. Excommunicatur. p. 767.

Regula Monastica. Pueri oblati censentur simpliciter obligari. p. 307.

Religio

Religio Christiana. Ejus veritas. p. 530.
S. Rembertus Bremensis. Ipsius vita. p. 145.
Remensis Ecclesia. S. Sixtus primus Episcopus a S. Petro missus. p. 815.
Rodoaldus Legatus. Perfidus. p. 113. Romæ damnatus. p. 126.
Roma. Lamberti Spoletani violentia. p. 618. An Summi Pontifices crediderint translatum esse Imperium. p. 800.
Rotadus Suessionensis. Ejus causa. p. 75. & 99. Romæ absolvitur. p. 127.
Russi. Fidem Christianam amplectuntur. p. 220. & 529.

Sagæ maleficæ. An dentar. p. 82.
Salisburgum. Theotmarus Archiepiscopus. p. 614.
Sclavi. Convertuntur. p. 211. Sclavonicarum literarum auctor. p. 212. sub obedientia S. Sedis. p. 658.
Scriptura Sacra. In linguam Sclavonicam translata. p. 212.
Senonensis Ecclesia. Habet titulum Primatus sine Jurisdictione. p. 578.
Spiritus Sanctus. A Filio procedit. p. 296. Disputandi initium. p. 718. Epistola Joannis VIII. de voce: *Filioque.* p. 721.
Stephanus VI. Papa. p. 796. Epistola ad Basilium Imp. p. 799.
Stephanus Patriarcha Constantinopolitanus. p. 808.

Ste-

Stephanus Subdiaconus Basilii Imp. Filius. p. 719.
Stylianus Neocæsarienſis. Ejus Epiſtola ad Papam. p. 810.

Theodorus Cariæ ſeu *Abucara.* p. 359. Ejus Dialogi cum Muſulmannis. p. 452. Solus Chriſtus vaticiniis promiſſus, & miraculis oſtenſus, non vero Mahomet. p. 453.
Theodorus Santabarenus. Photii Socius. p. 647.
Theutberga. Accuſatur. p. 19. Fugit. pag. 24. reducitur. p. 149. Papæ ſcribit. pag. 227.
Treviri. Bertulfus ſufficitur Theutgaudo. p. 472. Ad Concilium vocatur. p. 624.
Turcæ. p. 244.

Uxor. An liceat habere plures. pag. 634. & ſeq.

Waldrada. p. 149. & ſeqq. excommunicatur. p. 166.
Wulfadus Bituricenſis. p. 187. Quatuor Epiſtolæ Papæ in ejus cauſa. pag. 223. & ſeqq.

ERRA-

ERRATA.

Lib. L.

Pag.	9. ſubjectum	*Corrige:* ſubjectam.
	12. manus.	manu.
	26. volebat;	volebat,
	29. quibis	quibus.
	43. non ejeciſtis;	ejeciſtis.
	ibid. judicio	judicium,
	68. innocentem depoſuiſti;	innocentem condemnaſti.

In Nota.

Pag.	85. Republicam	Republica.
	91. foveret	faveret.
	99. datam	data.
	106. Lotharium	Lothario.
	128. Hinmarus	Hincmarus.
	ibid. N. VIII.	§. VIII.
	169. potum donavit,	donavit.
	171. Concilio	in Concilio.

In Nota.

Pag.	187. Item Auctor	idem auctor.
	193. in te- reus	in te reus.
	199. ad Græcis	a Græcis.
	221. qrosdam	quosdam.
	ibid. autiquæ	antiquæ.
	222. habenda ſunt	habendum eſt.
	230. eosque atque	eosque.

Lib. LI.

Pag.	237. exilii ſuo	exilii ſui.
	243. nepos	nepotem.
	251. ſex centa	ſexcenta.

In Nota.

Pag.	255. ſingulas	poſt ſingulas.
	260. detractat	retractat.
	268. ne quidquam	nec quidquam.
	272. Epeſinus	Nepeſinus.
	276. Paca	Papa.

In Nota.

Pag.	298. fait Theologien	fait le Theologien.
	378. quocunque	quacunque.

ERRA-

ERRATA.

Lib. LI.

Pag. 389.	depreſum *Corrige:*	deprehenſum.
399.	maximus.	maximas.
403.	cur non ad	cur ad.
404.	JEſu Chriſt.	JEſu Chriſti.
In Nota.		
405.	factus eſt	factum eſt.
In Nota.		
406.	triennii	Trienniis.
430.	fuerit. Epiſcopum	fuerit, Epiſcopum.
432.	& Deceſſoribus	a Deceſſoribus.
ibid.	ſanguine	ſanguinem.
465.	muri, diruti	muri diruti.
476.	legendum	legendam.
489.	neſciat Proximus	neſciat. Proximus.
491.	Pontificis	Pontifices.

Lib. LII.

Pag. 515.	Monaſterio	Miniſterio.
573.	directos	directam.
623.	peramenter	peramanter.

Lib. LIII.

Pag 645.	Orientalis	Orientis.
669.	§. XI.	§. IX.
673.	regnaſſat	regnaſſet.
676.	fundos	Fundos.
683.	alterum	alteram.
689.	quod in eam	quo in eam.
In Nota.		
711.	Non ego	Non nego.
757.	& illum Canonem &c.	literæ debebant eſſe antiquæ non curſivæ.
768.	libertatis	libertati.
781.	Miſſa	miſſa.
803.	Cuthurno	Cothurno.
810.	§. LIII.	§. LII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bericht an den Buchbinder.

Dieses Portrait kann füglich an dem Rucken des Schmutz- oder Vortitels vom Ersten Tomo dieses Werks, angeleimt werden, wo es sodenn dem Haupttitel gerade gegen über zu stehen kommet.

FLEURY
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XIII

Th 12
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN